1 - 174

ANNALES
REGUM HUNGARIAE

AB

ANNO CHRISTI CMXCVII. AD ANNUM MDLXIV.

DEDUCTI

AC MAXIMAM PARTEM EX SCRIPTORIBUS COAEVIS, DIPLOMATIBUS, TABULIS PUBLICIS, ET ID GENUS LITTERARIIS INSTRUMENTIS

CONGESTI

OPERA ET STUDIO

GEORGII PRAY, S. J. SACERDOTIS

PARS III.


COMPLECTENS RES GESTAS

AB

WLADISLAO I.

AD

MATHIAE CORVINI CORONAT.





VINDOBONAE,

TYPIS JOANNIS THOMAE DE TRATTNERN,

CAES. REG. AULAE TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLAE.

CIↃ. IↃCC. LXVI.

AD LECTOREM.



Cum altero abhinc anno operis quidem universi tertiam, annalium vero, quibus regum Hungariae res gestas complector, secundam partem vulgavi: fidem dederam, me, si qui opellam meam litterariis instrumentis adjutum irent, eorum gratia sic temperanter usurum, ut nihil, quod non ad lucem efferri oporteret, in vulgus manaturum esset. Sed sive illi conatus meos tanti non faciunt, seu aliud in caussa est, cur id facere graventur, sensi me mea exspectatione insigniter frustrari. Itaque ne mihi tempus omnino vacuum abiret, coepi, quod series ipsa postulabat, Wladislai Poloni, tum Ladislai Posthumi, ac ex parte Mathiae Corvini res in ordinem cogere, eodemque, quo priores, modulo informare; praesertim, quod ipse jam multo ante materiam, quae huc faceret, non segniter compilassem, & suam praeterea Symbolam Cl. Kollarius pro suo in me & elegantes litteras studio, prorsus, ut solet, liberaliter contulisset.

Scio non paucos id mihi vitio daturos, &, ut fere est multiplex hominum de eadem re opinio, percontaturos etiam: cur historiam Corvini mancam in lucem emittam? rem videri & praeter regis tam secunda fama per Europam vulgati dignitatem, & contra legentium seu exspectationem, sive desiderium, qui mentem suam in partes distrahi moleste laturi essent.


Haud male id quidem: verum illos ego scire percupio, non mei me eatenus arbitrii esse, sed eorum prorsus, qui meos conatus suo aere in lucem vulgari petunt, quorum studio, & voluntati, nisi blattis laborare velim, ut in opera comprehendor, subserviendum est. Ad haec verebar, ne, si Ma-

thiam,

thiam, quantus est, litteris complecterer, volumen ceteris majus evaderet. Quare illo rem adduxi, ut, quod commode prorsus fieri poterat, in eo anno, quo regni Hungariæ corona insignitus est, narratio finem acciperet, ratus, ea ratione, nec rerum seriem cum aliquo annalium incommodo posse intercipi, nec legentibus a me molestiam creari. Ceterum an ab assentationis studio, quod Bonfinius vitare aut noluit, aut nequivit, abhorream, ii facile existimabunt, qui meam cum illius narratione volent contendere.

Hæc, quæ profarer, habui: illud visum mihi adjicere præterea: comperisse me ex familiaribus, esse non nullos, qui me hanc in pertexendis annalibus rationem sectari, prope impatienter ferant, putentque, diplomata, & alia id genus litterarum monumenta narrationi de industria a me inseri, quasi laboris compendia quæram: itaque nullo negotio fieri, ut opus mihi tantum non dormienti in molem excrescat. Quibus ego, si in simili argumento nervos suos aliquando contendissent, facile responderem: sed malo cordatis viris meam in scribendo fidem, quam istis eloquentiam solum probari. Dabam Comaromii in insula Cituorum. V. calendas Apriles, anno MDCCLXVI.

LIBER



ANNALES REGUM HUNGARIAE.

LIBER I.

WLADISLAUS I.

Annus Christi 1443.

Wladislao, defuncta Elisabetha, rerum potiente.



Wladislaus, postquam Elisabetha præter omnium opinionem exstincta fuisset, magis impeditam, quam speratum sit, provinciam nactus est, quod & veneficii suspicione (1) aoud finitimos graviter laboraret, & metus esset praeterea, ne pacis tractatio, quam viva regina magno regni commodo absolvi posse creditum fuit, in ipso exitu adhæreret. Quæ res, si minus ex sententia caderet, difficillimam undequaque regni administrationem redditura erat. Nam Giscra Cassoviensem ditionem cum finitimo agro, Aximithus Scepusiensem tractum, Liptoviensem vallem cum Montanis Urbibus Pancratius cum sociis tenebant, Bohemi fere omnes, & Ladislao postumo addicti. Ad hæc Fridericus Romanorum rex, quod amplissimos in finitima Hungaria fundos ab Elisabetha in pignoris loco haberet, ex Austria minari, & pupilli partes tuiturus videbatur: Turcos autem a Bosnia, & Servia incubituros suspicio fuit: neque minus

(1) VITUS AANPECK scriptor coævus, Tom. I. Script. rer. Austri. apud CL. HIERONY. PEZ pag. 1254. sic habet: *Ipsa denique Elisabeth intoxicata, ut dicebatur, per Regem Wladislaum in Mastrutis martaris* (hoc est in vestibus, aut pellibus Marturum, seu Martium) *Anno Domini MCCCCXLII, ante Sancti Thomæ Apostoli in Posonio moritur.* Quamquam sint; ut indicavi, qui defunctam Jaurini scribant.

Annus Christi 1443.

nus tuta res Wladislao in Polonia erat, ex qua Casimirum in Masovios arma, bellumque parare crebris nunciis afferebatur.

Strigoniensis Archiepiscopus cum nonnullis Procerum Ladislao postumo studet.

Ac Bohemi quidem, quos in Hungaria restitisse memoratum est, primi omnium, ubi mortem reginæ compererant, Giscra Duce ad Fridericum Austriacum defecere, certi animis, provincias, quas Elisabethæ prius nomine occupassent, pupillo se servaturos. Quorum exemplo Ladislaus Gara, & Dionysius Strigoniensis Archiepiscopus, dum reliqui accommodato tempori consilio partes Wladislai certatim amplectuntur, in fide constantes mansere. Atque hunc cum Ladislao Gara, & Giscra Bohemo defuncta regina continuo in Austriam ad Fridericum delatum constat, multaque clam arbitris postumi causa egisse, sive ut illius factionem sua auctoritate corroboraret, seu quod magis crediderim, ut collato cum Romanorum rege consilio, afflictis pueri rebus prospiceret. Id quem in modum, aut quo eventu actum sit, non habeo, quod affirmem: illud in comperto est; Dionysio, quod Fridericus puerum, ne aliorum fraudi pateret, arctissime in Stiria teneri jusserat, suspicionem, num viveret, obortam esse, neque, dum Vienna in Hungariam discederet, eam mentem penitus posuisse, quoad ab Æenea Sylvio per litteras edoctus, metu liberatus esset. Non indignæ relatu sunt, quod & pueri mores legentium oculis mirifice subjiciant, & ad res, quas deinceps narratione complectar, rite intelligendas, permultum lucis allaturæ videantur. (1)

„ *Æneas Sylvius Poeta, Reverendissimo in Christo Patri Dionysio Archiepiscopo Strigoniensi, S. R. Ecclesiæ Presbytero Cardinali.*

Æneæ Sylvii ad hunc litteræ, de Ladislao puero.

„ Res nova Pater colendissime! & fortasse mira videbitur, quod ego tuæ „ paternitati scribam, qui nihil habeam tecum negotii, quique nec nomine, nec „ corpore apud te sim notus. Sed post facio ista, dum me complaciturum „ tuæ Reverendissimæ Paternitati non ambigo. Namque cum partes Serenissimi „ Domini regis Ladislai inter primarios teneas, defendasque, quis dubitet, gra- „ tum tibi fore, illius audire sospitatem, quem toto conatu defendis. Ego qui- „ dem certus sum, Paternitatem tuam Reverendissimam nihil in terris magis deside- „ rare, quam puerum illum bene optimeque valere. De qua re cum dubia mens „ tua ex Vienna recesserit, non est ab re meis litteris scribi, quod oculis vidi meis, „ ut confundantur, qui passioni consultantes suæ, non rei verba, sed verbis rem „ aptare nituntur. Jamque rem prosequor: Stiriæ fluvius est, qui ex alpibus præ- „ cipitatus Dravum influit amnem, ac exinde per Istrum fertur in Pontum, quem „ Muram incolæ vocitant. Prope hanc ripam oppidum jacet gentile, nomine, „ Græcium dictum. Hic ex medio camporum æquore, ingens tumulus surgit, „ præruptis undique scopulis liber; cujus cacumen arx tenet, & natura loci, & „ opis humanæ præsidio munita, ad regiam quoque fastigiata magnificentiam.

„ Hic

(1) Epist. XIII. editionis Basileensis Anni 1551. Fuit Æneas cognomento Piccolomineus, patria senensis, genere patritio. Primum in Concilio Basileensi, ut vocant, abbreviator, tum in Austriam delatus poeta insignis, ac Friderico Cæsari a secretis; postea Senensis Episcopus factus, mox Cardinalis, ac denique toti Ecclesiæ prælectus sub Nomine Pii II. multa egregie scripsit. Inter cætera librum unum de educatione liberorum, aureum sane opus, ac Ladislao regi anno 1450 dicatum. Epistolæ dedicatoriæ hoc initium est. *Si quem virtuti operam dare, totumque se bonis præbere artibus oportet, hunc esse te, Ladislae rex inclite, Nemo qui sapiat, inficias ibit. Maximis namque regnis, & amplissimis principatibus, postquam tutelæ functus annos, expectaris imperaturus, quibus, nisi consummatæ prudentiæ fueris, diu dominari non poteris. Regna virtuti parent, resistunt vitiis. Sicut olim imperatoris ignaviam Roma non tulit, sic hodie regis desidiam Hungaria detestatur. Nulli magis, quam regnanti opus est sapientia, quo pacto recte gubernaverit alios. --- Tu ergo dum puerum agis, & cum natu grandis fueris, optimis te præceptis imbui sines.* --- Operis finis vero sic habet: *Tu tamen interim, quod tibi puero conducere dictum est, sic te exercere, ac discere stude, ut aliorum huius opusculi partium cupidissimus videare. Vale ex nova civitate, Mense Febr. Anno MCCCCL.*

„ Hic ſpes Auſtriæ, Hungariæ deſiderium, & Bohemorum cura nutritur, rex „ Ladislaus puer, quem idibus Septembris in aula regia coram Friderico Cæſare, „ patruele ſuo, magna procerum ſtipante caterva ſum contemplatus. Adhibe „ obſecro aures, tibique & puerum, & pueri mores deſcribam, nec ſine voluptate, ut opinor, quæ referam, audies. Annos natus tres erat puellus, jamque attigerat quartum, ſed ætatem maturiorem tum proceritas pueri, tum intellectus mentiebatur. Tu eum aliquando in ulnis habuiſti, quando coronam regio imponens capiti, nunc dimittis Domine ſervum tuum dixiſti, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Sed alia nunc pueri facies eſt: aſpectus ejus omnes, qui aderant, incredibili voluptate replevit. Incedebat namque per aulam, tanquam ſciret ſe regem eſſe, deberique ſibi ab omnibus reverentiam, oculosque nunc huc, nunc illuc non ſine majeſtate quadam deflectens. Candidulam manum porrigebat aſtantibus, tantaque lucebat in eo puero gravitas, ut ſæpe minorem grandævi reges præferant. Antequam patruelis adeſſet, nutricem percontatus eſt ſæpe, ubinam eſſet, at ubi venientem didicit, in honorantis modum ſuopte caput ſuum inflexit, & tanquam ſciret, Ducalis dignitas quantum ab Imperiali diſtaret, aliter Sigiſmundo Duci, aliter Cæſari ſe obviam dedit. Dum hinc, atque hinc in circulo interpellaretur, æthiopem forte vidit, moxque in Cæſaris fugiens ſinum, heu quam, inquit, deformis! demiratus eſt Cæſar confugientis ad ſe pueri confidentiam, qui priori tempore nunquam in eum dirigere lumina voluiſſet, lætusque novitatem circumſtantibus exponebat. Tum magnificus Cancellarius Caſpar (1), ne mirere, inquit, imperator; Numen in puero eſt, nec regius ſanguis divini ſpiritus tutela caret. Matrem habuit, cum te antea ſprevit; nunc, illa defuncta, præter te habet neminem, ideoque tibi tamquam patri alludit. Tu illi pater, tu mater, tu avus es. In te illi ſpes, in te ſubſidium, in te ſalus eſt. Scit hoc puellus, &, quia pupillus eſt, orphanusque, auxilium tuum implorat, te ſibi patronum petit, tutorem, advocatum, patronum. Ego deſertus ſum, ait, hinc Poloni Hungariam occupant, hinc Bohemi novas res moliri ſtudent. Ætas mea contemnitur, & quia annos non habeo, nec jus credor habere. At ſi tu me Cæſar juveris, maxima hæc duo regna mihi obediunt, nec præter te, majorem regem, quam ego ero, Europa videbit. Sin deſeris, ex rege coronato parvulus fiam Dux: ex quibus rebus altera domum noſtram tollet in altum, altera in profundum merget. Sed obſecro, ut curam mei habeas Cæſar, ut familiæ noſtræ honori conſulas, & tuam ſerves dignitatem, ne jus meum alieni uſurpent, meaque abutantur ætate. Hoc vult puer o Cæſar! cum ad te venit, hoc illæ blanditiæ poſtulant, hoc eſt, quod ad te confugit, non ſine aliqua divinitatis inſtigatione: tu pueri, tu pupilli, tu orphani, & ſanguinis tui miſerere. Moverunt Cæſarem tum pupilli blandimenta, tum Caſparis verba: at poſt morulam, non deſeram, inquit, Caſpar ſanguinem meum, nec ſi Romanum imperium, aut Auſtria quidquid poterit periclitari, juſtitiam pueri ſuſtinebo. Sicque locutus patruelem brachiis elevans, media fronte ſuaviatus eſt. Erat puer ultra quam dici poſſit, formoſus: naſum avi materni & frontem ſuſceperat; oculos ex patre mutuatus fuerat; pectus, & humeros ex utroque, cetera matris erant. Ore parvulo, malis ad gratiam tumeſcentibus; ſucci plenus, & plus lactis habens, quam ſanguinis, capillis criſpis, & in auri fulgorem nitentibus, riſu cum verecundia mixto. Nihil in puero emenda dignum: ſi nudum, ſolumque in nemore quis reperiſſet, regium genus in puero cognoviſſet.

Annus Chriſti 1443.

„ O ſi puerum hunc viderent Hungari tui, qui tecum in fide manſerunt! „ O ſi eum tangere, aut audire poſſent! quos animos ſumerent, quas acies ducerent, quæ bella gererent, quas ederent hoſtium ſtrages? ſtupebam olim ego, cum legerem, Macedonas cum Illyrienſibus prælìantes, quoniam prima pugna ſuccubuiſſent, ſequenti die certamen inſtauraſſe; infantemque, ob cujus regnum certabant, ad bellum jacentem in cunis detuliſſe, quo viſo tantus ardor inva-

(1) Fuit is Casparus Schlick, ut ex aliis ejusdem Æneæ Epiſtolis patet.

Annus Christi 1443. „ ferit milites, ut hinc leones, hinc pecudes crediti fuerint præliantes. Accendit namque virtutem commiseratio pueri, quoniam indigne privari regno cernebant. Versi ergo in fugam Illyrii victoriam hosti reddiderunt. --- Quæ cum mihi prius fabulosa viderentur, Ladislaus puer avitis regnis spoliatus credibilia præbuit. Nam si ego alienigena, sub imperio natus Romano, commoveri viscera, & omnes mutari affectus ex aspectu pueri sensi; quid, inquam, facturi sunt illi, quibus hunc natura Dominum tradidit, quos pater ejus, & mater, & avus rexere, qui eum inter se nasci viderunt, qui caput ejus adhuc infantis diademate cinxerunt, qui jure jurando promiserunt obedientiam; nempe, si verum mea sententia fert, non solum fideles præsentia pueri commoveret, sed ipsos etiam, qui fidem cum fortuna mutarunt, ad commiserationem traberet, immo & ipsos hostium truces animos frangeret, nec telum esset tam asperum, cujus acies in puerum quidquam posset adeo generosum, nec ullius oratio tantum momenti haberet in populos, quantum se ipsum puer in medio multitudinis erigens. ---- Habet enim latentem quamdam energiam regis facies: nec ullus est tam durus, tam asper, tam ferus, aut immanis, qui regibus indigna ferentibus non compatiatur. Sed tunc præcipue misericordia crescit, cum is, qui patitur, suam calamitatem effari per ætatem nescit: at ubi flendum esset, risu diffunditur, ubi ridendum, planctu, qualem cernimus Ladislaum, qui etsi maximam habeat plorandi materiam, sepulto patre orbatus, & matre ac regnis nudatus, alacritatem tamen ostendit. --- O generosum puerum! quis est, qui te spernit regem, quis est, qui tibi nolit subesse? quæ illi nobilitas satis erit, cui tua minor videtur? Nemo est in orbe toto, qui te generis claritate præcellat, nemo par est, multumque distet, necesse est, qui tibi secundus ponatur. -- Namque ut prætereams nobilissimæ Australis domus originem (1) --- genitorem tuum Romani, Hungari, atque Bohemi regem suum venerabantur, cujus opera totum in orbem vulgata sunt, pro tutela fidei, & augmento nominis Christiani gesta. Avus tuus iisdem præfuit regnis. Turcos plurimos plurimis præliis lacessivit, Sirthas plurimos domuit, omnibus infidelibus terrori fuit: scissam Ecclesiam, tresque colentem Pontifices in Constantiensi Concilio traxit ad unionem: Gallos, Anglicosque, infensissimos hostes composuit, Hispaniam pacavit. Italiam ter intravit, coronamque cæsaream suscepit; cujus Fratres reges fuerunt, Pater illi Carolus IV fuit, & illi avus Henricus VII. Cæsarum, qui post Theodosium regnavere, tum sapientissimus, tum gloriosissimus; sub quo Germania, & Italia, quasi columbæ, sub aquila tremebundæ tulerunt imperium: cujus majores longa serie Romanam Rempublicam gubernarunt, quam nunc & tuus patruelis Fridericus administrat. O splendidum genus pueri, o gloriam, & laudem! ubinam sanguis illustrior? ubinam series tantæ nobilitatis? Obscuritatem quærunt, qui post tantam generositatem alium petunt regem. Mira res, si tantum splendorem Hungari fugiunt, quem nec Macedones, nec Babilonii, nec Romani contemnerent, sed ultro sibi regem deposcerent, cujus egregia indoles præsagium facit, paternam in eo fortitudinem, avitam prudentiam, & utriusque liberalitatem renatam. Nec tantam spem de se aut Ascanius Æneæ, aut Hector Priamo, aut Alexander Philippo præbuit, quantam in hac ætate Ladislaus se visentibus exhibet. Hunc Cæsar propediem in Austriam secum adducet, Hungariæque vicinum præbebit, ut videri ab bis possit, qui amant, & timeri ab his, qui odiunt. Faxit Deus! vita ejus ut illi longior sit, --- & Augusti felicitatem superet. Hæc habui, quæ de Ladislao nunc scriberem, quæ cum scirem tibi jucunda, silere nolui. Tu, si visum fuerit, & amicis, & inimicis hæc communicare poteris: illis ad gaudium, istis ad pænam: quorum tandem oculos divina pietas adaperiat, ut ad cor reversi Dominum suum agnoscant, ejusque potius veniam, quam ultionem exspectent. Tu vale feliciter, bonoque animo puelli regis

(1) Refert hoc loco Austriacæ domus originem ad Julium Cæsarem; sed hanc fabulam cum ipse postea in rebus Friderici III, tum alii quoque dudum explosere.

„ regis ætatem tolera, quo virilem togam sumentem, & tu, & tui omnes plus „ invenietis lætitiæ, quam sperare fas fuerit. Ex Græcio. Annus Christi 1745.

Hactenus Æneas; quo nemo magis, sive dum in Aula Cæsaris erat, seu postea, quam ad amplissimos Ecclesiæ magistratus traductus esset, Ladislai partes tutatus est, Hungarorum præ Bohemis fere studiosior: quod hi & multiplex religionis studium, tum intestinas civium factiones dedita opera alerent. Quamquam partium tædio capti fuisse, utcunque videri hoc anno poterant, quod plerosque procerum Viennam ad Fridericum venisse proditum sit, (1) ut ab Elisabethæ obitu de creando rege, & regni rationibus in medium consulerent. Quid in eo conventu actum fit, nusquam in vulgus, quod sciam, manavit. Verisimile est, si quæ de futuris rebus conjectura capi potest, Optimates id maximopere egisse, ut Ladislaus in Bohemiam traduceretur, atque isthic Rempublicam capesseret: Fridericum contra veritum ne puerili ætas aliorum injuriis objiceretur, vicariam potestatem Maynhardo, & Ptasconi, quoad pupillus adolesceret, confirmasse: cujus conjecturæ rationes in loco, ubi usus erit, exponemus. *Legatio Bohemorum ad Cæsarem.*

Eodem tempore, quo hæc apud Bohemos aguntur, Legatio & apparatu, & hominum numero mirifice instructa ab Turcis in Hungariam venit, non tam ut pacem peteret, quam, quo loco res ab reginæ obitu in regno essent, specularetur; quibus deinceps Amurates (nam penes hunc imperii summa tum apud barbaros fuit) uti in suum commodum posset. Legatorum oratio, fere ut Asiaticis mos est, exotica, & plena fastus erat: Belgradum ut sibi dederetur, postulabant, aut annuum tributum pendi, ita pacem bona fide utrinque coalituram: neque passuros se, ut in longius tempus responsa trahantur, cupereque, ut, quid rex eatenus constituisset, sine mora, & citra ambages ederet. Hæc illo dicebantur, ut prius pacem imprudentibus extorquerent, quam sciri posset, res suas ab Hungaris interea ad extremum pene discrimen adductas esse. Sed commodum nuncii ab Hunyiade cum litteris intervenerant, quibus significabatur, semel, atque iterum signa cum barbaris feliciter collata, multos in prælio cæsos, captosve, plures in fuga interemtos, inter quos duces præcipui nominis duo cecidissent: ad hæc pleraque signa militaria, & ingentem spoliorum vim cum impedimentis in nostrorum potestatem venisse. Itaque, haud minore, quam venerint, fastu rejecti legati sunt, mandatumque, ut ab Hunyiade in castris responsa acciperent; regem, quidquid is decerneret, ratum omnino habiturum. *Turcorum ad Wladislaum.*

Recens Victoriæ nuncius cum in vulgus manasset, non modo legatos re infecta abire coegit, sed plerisque nostrum adjecit animos, ut communi studio bellum in barbaros movendum existimarent. Hujus consilii auctorem Julianum Cardinalem fuisse comperio, qui, ut primum seorsim regem nactus est, futuri belli rationes, & commoda prolixe, graviterque explicuit. Christianos, quos Europa haberet, principes jam abhinc, quam e Polonia in Hungariam evocatus, potentissima duo regna conjunxisset, spea maximas concepisse, ejus virtute, ac potentia barbaros non modo ab Hungariæ limitibus, quos infesti tenerent, detrahendos, sed in obscura quoque Asiæ latibula, ex quibus Christianorum oscitantia, & discordiis ad tantam potentiam emersissent, retrusum iri. Esse rei hujus ex sententia conficiendæ & modum, & rationes in promtu, quando Hunyiades, tametsi paucos sub signis censeret, confectis tamen prospere aliquot præliis, viam ad victoriam complanasset; Hungaros autem, si rex suis auspiciis bellum duceret, cum sua, tum regni causa certatim advolaturos, neque defuturas ex Polonia suppetias, quorum salus ab Hungarorum incolumitate penderet. Et haud satis e Republica videri, si superbissimum hostem latius in dies grassari fineret: dedisse eum nuper admodum stoliditatis, ac ferociæ argumentum, cum gemino prælio victus, præter nobilissimam Serviæ portionem, tributum quoque annuum a victore petulanter exigere minime vereretur. Vulgari etiam turpissimas Amuratis minas, qui, quoties vino largius indulgeret, toties inter capacissima pocu- *Rejicitur ob partam recens ex barbaris victoriam.*

(1) Chronic. BARTOSY. Tom. I. Monum. in edit. Bohem. Cl. GELASII DOBNER e Cleric. Regular. Schol. Piar.

Annus Christi 1443.

pocula se Romam petiturum, ac sanctissimo Divi Petri templo pro ganea, & stabulo usurum vociferetur (1) Quod dedecus cum singillatim ad Hungaros, qui Romanis sacris impense dediti semper fuissent, tum universe ad Christianos attineret, facturum regem pro suo in Ecclesiam studio, si id bello ultum iret, maculamque barbarorum sanguine aboleret. Idem Despota non solum apud regem crebro agebat, sed optimatum quoque studia supplex prensabat, obtestatus ne se, neu filios suos, qui indigna quæque Hungarorum causa a barbaris perpessi essent, inultos sinerent: periculum præsentius esse; quam ut tergiversando superari queat; cui nisi mature caveretur, exitium nequaquam vitari posse, quo omnes propediem implicari necesse esset.

Rex de movendo in barbaros bello cogitat.

Moverant hæc Wladislaum tum suopte mitem, facilemque, tum belli gloria, quam se ex barbaris relaturum sperabat, magnopere incensum, ne quid tamen in re gravissima invitis, aut imprudentibus regni proceribus statueret, placuit conventum ordinibus Budam indicere. Ad quem cum frequentissimi non ex Hungaria solum, sed Polonia quoque confluxissent, acriter in utramvis partem disceptatum fuit, essetne bellum barbaris indicendum, an contra pax honestis conditionibus inita bello anteponenda, quod gravia utrinque momenta non deessent, quæ in re, quam nec temere amplecti, nec leviter rejicere tutum erat, ambiguam prorsus sententiam redderent. Ita dubiis cum Julianus Cardinalis Christianorum principum auxilia affutura promisisset, miro omnium consensu bellum in Turcos decretum est, si modo pax, aut induciæ cum Friderico Romanorum rege confieri possent, ne quid interea ab tergo inimicum esset, dum communibus viribus arma in barbaros apparantur. Quare visum est, legatos ad Fridericum mitti oportere, qui non solum inducias concilient, sed Germanos etiam, si ita usus ferret, ad belli communionem pertrahere studerent (1)

In eum finem frustra Bohemos a Ladislai partibus nititur abstrahere.

Hæc dum naviter curantur, optimates, qui conventui interfuere, haud levis sollicitudo incesserat, ne Giscra cum Bohemis suis novas res moliretur, & captata regis absentia regnum intestinis factionibus permisceret. Cum enim, ut comitiis interesse vellet, ab Wladislao rogaretur, non abnuit solum morem regi gerere, sed ictis cum Dionysio Strigoniensi Archiepiscopo, ac Ladislao Cara novis fœderibus, seorsim ut conventus Strigonii haberetur, effecit; in quo de stabilienda postumo dignitate, qui istius partes sectabantur, diligenter agerent. Lecti quoque oratores ad Fridericum, qui & suppetias, si res ad vim spectaret, & Ladislaum, ut præsentia sua nutantes in fide confirmaret, in Hungariam mitti postularent. Legationis hujus exitum Æneas Sylvius datis ad Casparem Schlickium litteris in hæc verba retulit. *Scripsi dudum tibi dietam indictam fuisse per Hungaros,*
ut ambæ partes Budæ convenirent, ac de regni commodo transigerent, quod mihi ad-
modum displicebat, propter locum, quo nil agi posse cernebam, nisi ex arbitrio regis
Poloniæ, timebamque nostrum infantulum jure privari suo. Sed respicit illum Deus,
& quia humana destitutus est ope, ex alto reperit auxilium. Nondum perdita spes
est, nec tam felix est adversarius, quam fama prædixit. Cum essemus nuper in via
huc venientes, obvios oratores Hungaros apud Pruggam habuimus, qui usque in Lu-
ben (3) regiam secuti sunt Majestatem. Hi attulerunt litteras ex parte communita-
tum, quas optime nosti: ac ex parte Strigoniensis Archiepiscopi, Giscræ, & Ladislai
Bani. Hi fuerunt etiam hoc anno apud Viennam, unus est, quem Giscra tunc misit,
alter missus fuit per communitatem Cassoviæ, quem nomine Philippum dicunt. Hi re-
tulerunt, partem regni, quæ obedit Ladislao, nullatenus consentire voluisse, in dieta
Budensi: sed contenti sunt omnes, ut duo conventus fiant: pars quidem Polonorum
Budæ conveniat, & pars Ladislai apud Strigonium, idque in Purificationis festo pro-
ximo. Petunt quoque Ladislaitæ, ut rex ad Srigonium oratores in præfixa die trans-
mittat, nec velit res tantas negligere. Postularunt etiam regem suum ad conter-
mina regni deduci, sicut eis promissum esset. Orator Giscræ retulit, Dominum suum,
quamvis Uxorem alterius haberet, stabili mente Ladislai partem tueri, nec timere ali-

quem

(1) Franciscus PHILELPHUS qui ea ætate vixerat. Epist. Lib. VI. in Epist. ad WLADISLAUM regem.

(2) CALLIMACHUS in rebus WLADISLAI Lib. II.

(3) Subaudi LEOBIUM Stirorum.

Annus Christi 1443.

quem, nec debere illum sic esse uxorium, ut propter feminam regem deserat, sed viam sibi per hoc patere, qua sibi atrahat alienos, mulieremque viro subesse, non virum mulieri: & hoc conjugium non parum conducere Ladislao. Hoc responsum est regis: Ladislaum nondum missum, quia ægrotus fuisset, sed mittendum esse, quamprimum rex in Austriam reverteretur. Oratores futuros in dieta, ut petitum esset, & super hoc Rectoribus Austriæ scriptum est, ut ipsi oratores mittant. Gratiæ actæ sunt, quod in Budensi dieta non sit consensus præstitus, scriptumque est Castellano Græcensi, ut puerum his oratoribus ostendat. & hoc modo dimissi sunt Hungari Vienna - - -.

Et cum Cæsare inducias conciliare.

Interea legati quoque, quos ab Wladislao missos supra indicatum est, ad Cæsarem venere. Non eadem, qua priores, benevolentia accepti sunt; quod pacis conditiones afferrent, quæ postumo iniquiores, quam æqui ratio admittebat, viderentur. Itaque alia fœderis norma a Friderico dictata est, secundum quam, si ita Polonis placeret, amicitia utrinque coalesceret. Ea res magnas Wladislao, & proceribus curas conscivit, veritis, ne quid monstri Cæsar ea cunctatione aleret, missique Viennam Julianus Cardinalis, tum Nicolaus Cracoviensis Decanus, ac Laurentius de Hedervara, regni Palatinus, Ladislao postumo præ ceteris infensus, qui placato Friderico, quibus possent conditionibus, pacem sancirent. Dati sunt ab Cæsare arbitri, qui suo nomine cum Hungaris transigerent. Acta res est magno animorum æstu, quod Cæsariani partes Ladislai accerrime tuerentur, Palatinus contra a Polono staret, fuissetque ob exortas utrinque altercationes sine ullo operæ pretio discessum, nisi Cardinalis litigantium fervorem prudentia sua mirifice temperans, inducias, quamquam ægre admodum, impetrasset. Partium studia Aeneas Sylvius, qui rebus gestis quoque interfuit, ad Agrippinæ urbis Secretarium in hæc verba perscripsit. (2) *Miserat rex Poloniæ litteras quasdam Cæsari nostro, formamque dederat, juxta quam pacem deposceret. Non libuit Cæsari, quod petebatur, formamque aliam dictavit, per quam non solum Austria, Stiria, atque Carinthia cum Carniolia, sed omnis etiam obedientia regis Ladislai comprehendebatur: oratoresque cum eadem misit, quibus regem Poloniæ petentibus, post expositionem legationis certi deputati sunt viri, cum quibus conferrent. Inter quos Julianus Cardinalis, Nicolaus Decanus Cracoviensis & Laurentius Palatinus Hungariæ fuere. Inter hos cum lecta esset forma per Cæsarem data, magnus rumor exortus est, quoniam Ladislaus rex Hungariæ vocitabatur. Ex hoc inquit Decanus, jam se Cæsar partialem facit, qui regnum Hungariæ attribuit Ladislao: Nos ergo nihil amplius tractabimus secum, quid Cæsar in Hungariæ regno manum extendit? Ad hæc oratores, vos, inquiunt, nodum in scirpo quæritis, quid vestra interest, si Cæsar suum patruelem regalibus ornat titulis? Dominus vester se Hungariæ regem scribit, nec Cæsar suas respuit litteras, quoniam nec vestra scripta jus auferunt Ladislao, nec apices regii, si quod habetis, vobis jus adimunt. Ad hæc retulit Palatinus: at Wladislaus verus est Hungarorum rex, non par ratio est. Tum oratores, haud hic locus est de jure disputandi; postquam unita fuerit Ecclesia* (nam turbæ, quæ vivo Sigismundo Basileæ exortæ erant, nondum sopitæ fuere) *jus poterit in hac causa discuti: At ego Palatinus, inquit, & coram summo Pontifice, & coram Cardinalibus nihil negotii haberem, hanc tueri causam, quia plana, & perspicua res est. Nec tam inops sensu est quisquam, qui regnicolis auferat eligendi regis potestatem. Non disputaturi venimus, inquiunt oratores, sed de pace acturi, si pacem vultis, pacem damus, si bellum plus placet, non detrectamus certamen; vestrum est eligere, quid horum malitis. Hinc Decanus, non sic exhausti sumus, inquit, neque tam vecordes, ut tam ignominiosam pacem velimus amplecti. Vires adhuc sunt nobis, & animi, nec quemquam timemus. Tum oratores, nec nos, ajunt, aut inopes sumus, aut exangues: Si aliena invadere non possumus, at tueri nostra commode valemus, idque bonis viris sat est. Nobis a tergo tuta sunt omnia, in fronte vos habemus; quibus potentes sumus resistere, si malignari volueritis: vos inter nos & Turcos estis medii, videte, ne retro, & ante feriamini. Tum Palatinus: Scimus Cæsarem vestrum opulentum esse, sed regnum etiam hoc plenum est; nobis nemo terrori est, pacem vestram vobiscum referte. Referimus, inquiunt oratores, ab invicemque discedere volunt.*

Quæ legatorum ea in re studia fuerunt.

Exinde

(1) Epistola 62.

Annus Christi 1443.

Exinde Julianus Cardinalis, per Deum oro, viri magnifici complectimini pacem: Si progredi adversus Turcos volumus, pax necessaria est, finite, ut hoc pauper regnum respiret: nolite campos Christiani sanguinis unda commaculari. Sed frustra vociferatio ejus fuit, abitum est re infecta: in crastinum tamen nunciatum est oratoribus, ne discederent, quia non regis nomine responsum eis fuisset. Expectatum est, *iterumque disputatum; postea res in camera regis trutinata est. Tandem venit in publicum vox, & in hunc modum Hungarica lingua loquutus est: revertimini oratores ad Cæsarem, salutemque sibi meo nomine dicite; post referte: nos pacem per eum missam, quamvis non indigeamus illa, sui causa, ut sibi complaceamus, libenter acceptasse; & in omnibus ejus articulis, sicuti jacent, esse complexos. Super qua re litteras nostras infra octendium Posonii recipietis, ubi & Cæsarios apices esse curabitis nobis tradendos. Sic ergo conclusa res est.* Non obscure Sylvius conciliandæ pacis difficultatem in Decanum Cracoviensem conjicit, quem fastu maximo memorabilem fuisse, alibi in litteras retulit. Coaluit tamen haud multo post tempore Cardinalis studio amicitia. Nam Cæsar, quamquam minime tutum arbitraretur, id bellum juvare, in quo Wladislaus principatum teneret, quod metus esset, ne, ut fere insolentes homines victoria facit, profligatis barbaris signa in Austriam converteret, tamen ne sibi communem apud principes Christianos invidiam conflaret, quasi dedita opera Hungaros barbaris prodat, missis Posonium oratoribus inducias in biennium concessit: *quibus cautum est, nec partibus Ladislai regis per Wladislaum, suosque dari nocumentum, nec rursus turbari debere, qui Polonum sequerentur. Si quis violator fœderis esset, eum ambæ partes compescerent.* (1) Ad hæc: *ut tutum utrinque mercatoribus, & omni homini iter esset: quod si quis ex Austria, vel Stiria in Hungariam, aut ex Hungaria in Austriam vel Stiriam prædaretur, damnumque inferret, eum ambæ partes contererent.* (2) Eidem fœderi Giscra cum Bohemis inclusus; ut nihil omnino jam esset, quo nostri ab inferendo Turcis bello avocari possent.

Induciæ in biennium sanciuntur: Earum conditiones.

Fecerant ad id ex sententia conficiendum jam multo ante ingentes apparatus, accitisque subsidiariis ex Polonia cohortibus, tum convolantibus etiam cruce signatis, exercitus haud temnendo numero conflatus est: quo indictis supplicationibus, rebusque divinis per dies aliquot rite lustrato, Wladislaus circiter Calendas Majas frequentissima procerum corona stipatus Buda movit; transmissoque danubio modicis de industria itineribus, ut tempus, spaciumque ceteris sub signa confluendi daret, profectus est. Inde Tibiscum versus contendens, superatoque flumine, rursus ad Danubium iter deflectens, copias ad salsum lapidem, unde facilis ex Valachia in Bulgariam comeatus est, traduxit. Hic Georgius Vuchovicsius, Rasciæ Despota obviam regi factus subsidiarium militem, pro ratione principis sic satis copiosum Hungaris conjungit: quo auctior Wladislaus, captis per iter oppidis plerisque, exercitum citra cunctationem in hosticum ducit, & ad Moravam in citeriore fluminis ripa castra metatur. Hinc pars trans amnem frumentatum missi, sub meridiem in speculatores Turcorum incidunt, cum quibus congressi facile eam manum dissipant: verum, ut ex captivis intellexere, haud procul isthinc duo hostium millia in silvis latere, fraudem veriti ad suos revertunt. Turci, qui ex nemore interea emerserant, fugere nostros rati, celeriter palantes consequuntur, metumque, ac trepidationem augent. Sed rex commodum ea die magno cum numero armatorum venatum egressus, nostrorum fugam, & hostium temeritatem præsentia sua continuit. Qua re effectum est, ut castra communi Ducum consilio trans Moravam locarentur placuitque, hostem, si modo pugnam non detrectaret, ad conferendum prælium elicere. Ad hæc data Hunyiadi mandata, ut in hostes progressus videret, quæ barbarorum consilia essent, naviterque pro locorum, & temporis habitu rem curaret.

Decreto in Turcos bello, rex ad Moravam castra metatur.

Is haud impigre mandatam sibi provinciam exequitur, lectoque militiæ robore in mediterranea Bulgariæ penetrans tertiis castris ad Sophiam urbem venit, quam non multos post dies, quod defensioni imparata esset, & servandæ illi multum operæ præterea locandum, militis, ut & ad invadendum hosticum faciliore dein-

Et Hunyiadi, ut in hosticum promoveret, imperat.

(1) AENEAS SYLVIUS epist. 81. ad Leonardum Episcopum Pasaviensem.

(2) Idem in rebus Friderici III. Tom II. analect. CL. KOLLARII.

deinceps uteretur, libidini destituit. Nostri capta & direpta principe regni urbe pronam ad grassandum viam nacti, totam latissime provinciam percursantes ditissima spolia agunt. Corruptoque igni hostium solo ad regia castra reditum maturant, non tam prædarum satietate, quam adventantis hostis metu, quem magnis itineribus appropinquare rumor erat. Neque malignam fuisse famam eventu probatum est. Amurates enim cognito nostrorum in Bulgariam adventu, ac populatione, suos, qui in Europa haud temnendo numero erant, coire jubet, & hosti confestim obviam ire; quoad ex Asia suppetias accerseret. In illos nostri, dum in Serviam redire parant, incidunt, & spoliis onusti, quodque hostis præter opinionem se aspectabilem dedisset, prælio non satis comparati. Hunyiades viso periculo prædas seponi mandat, & structa, quantum temporis angustiæ sinebant, acie in Turcos prior infertur, turbatisque ordinibus magis cædem, quam pugnam edit. Ad eum modum quinquies, dum iter facit, cum Turcis signa contulit, semperque victor dissipato, quod imminebat periculo, spoliis onustus ad regis castra incolumis se recepit. (1) Annus Christi 1443.

Ab Hunyiadis reditu, placuit, ne miles desidia metuque corriperetur, profectionem sociatis viribus in hostem edicere. Igitur convulsis signis eam Bulgariæ partem, quæ Thraciæ ad meridiem obtenditur, populatione quaqua versum circumlata petunt, quod illac Carambum Asiæ minoris Præfectum jussu Amuratis recentes copias adducturum pro comperto habebatur. Bidui itinere progressis trepide per speculatores nunciatum est, Turcos cum valida manu ad Nissam urbem in insidiis latere. Eo nuncio rex nihil territus, delectum ex omni multitudine haberi jubet, Hunyiademque cum decem millibus armatorum mittit, ut hostem per noctis silentium nihil tale opinantem adoriretur, se tempori quoque cum auxiliariis, si ita usus ferret, præsto futurum pollicitus. Ille speculatores accelerato itinere subsequutus ad Nissam cum pervenisset, intellexissetque Turcos metu correptos recessisse, adhibitis celeriter operis urbe potitur; tum, quod per exploratores certior esset redditus, hostem pœnitentia ductum cum XX equitum millibus appropinquare, dato signo in feram usque noctem Turcis obviam proficiscitur. Ubi haud longe eorum castra distare comperit, lunaque ad coordinandam aciem, quantum satis esset, lucem præberet, præcipuum copiarum robur ad eos castrorum aditus, qui fugæ locum præbere poterant, tacite circumduxit, ipse alia parte sublato incondito clamore in sopitos, nihilque tale metuentes impetum facit. Experrecti hostium vociferatione Turci fugam magis, quam arma spectabant; eoque deferuntur, qua liberum ex castris exitum pro belli fortuna jam multo ante sibi comparaverant. Sed ubi vias omnes Hungarorum præsidio interclusas vident, desperatione acti vim adornant, et quantum per trepidationem licuit, prælium illo usque satis viriliter sustinuere, quoad Hunyiadis nomen, a tot partis victoriis fatale Turcis & formidabile percrebuisset, tum vero, ut quemque nox & timor in præceps egit, per invia, & avia ferri, ac salutem inobservati quærere: nostri palantes undique consequuti non prius cædendi, quam illi fugiendi finem fecerant. Ceteros, qui evaserant, ut temere palabantur, Bulgari propemodum internecione delevere. Cæsorum multo, quam victorum majorem numerum fuisse, præsertim, si prælii exordium cum hostium fuga contendamus, facile mihi persuadeo. (2) Qui contra triginta Turcorum millia ea nocte gladio nostrorum hausta scribunt, nullo negotio Wladislai, ac Cardinalis Juliani litteris, quas ad Fridericum III. Romanorum regem dederant, refelluntur. Eorum partem Aeneas Sylvius suæ ad amicum epistolæ in hæc verba inseruit. (3) *Nihil modo*, inquit, *plus esset scribendum, nisi, quod te scire volo, Reverendissimum Dominum Cardinalem S. Angeli cum rege Poloniæ, atque Despota jam intrasse Bulgariam, quo in loco Bassa Turcorum cum viginti millibus equitum obviam venit, præmissisque levis armaturæ militibus, christianorum exerci-*

Re ab hoc feliciter patrata exercitus in hostem movet.

Hunyiades occupata urbe Nissa Turcos conserto prælio profligat.

Victoriæ fructus.

(1) TUROC. Chron. Parte II. Cap. XL. & CALLIMACHUS de rebus WLADISLAI Lib. II.
(2) Id. Ibid.
(3) Epist. 44.

Annus Christi 1443.

exercitum infestabant. Tum Joannes Transylvanorum Dux, qui Hungarica lingua dicitur Wayvoda, receptis decem millibus equitum, Moravam flumen trajicit, relictisque impedimentis Bassam petebat prælium initurus. Timuit Bassa, recessitque. Joannes vero urbem Nissam profectus est, eamque militibus cinxit, nec magno negotio expugnavit. Exinde relatum est, Bassam cum exercitu reversum, bellum poscere. Quo accepto obviam Joannes perrexit, atque ut in propinquo fuit, structis aciebus certamen iniit. Mira res, ex Turcis duo millia cæsa dicuntur, capta quatuor millia. Ex christianis solum decem cecidere, quibus pro Christi nomine certantibus bene putandum est obvenisse. Signa militaria novem intercepta sunt, multa præda asportata, & spolia ditissima, reliqui, quos fuga morti eripuerat, incolarum insultu periisse dicuntur. Hæc acta sunt ad diem tertium Novembris, sicut regi nostro per ipsum Cardinalem, & regiis litteris scriptum est. Ex quibus non modo tempus conserti prælii certum habemus, sed litem præterea omnem diremtam de cæsorum numero, inter quos tredecim ductores magni nominis fuisse idem Sylvius in litteras alibi retulit. (1)

Ad hanc Castriotus nonnihil contulit.

Ceterum haud parum operæ, & momenti ad victoriæ consecutionem Georgium Castriotum, qui ob egregia, & præclara facinora Scanderbegi, sive Alexandri Magni cognomen adeptus est, contulisse memoriæ est proditum. Qui cum impatienter ferret, se, suosque, ab avito Epiri principatu summa injuria per Turcos dejectum, rationem modumque, quo se in libertatem vindicaret, jam multo ante secum exegerit, atque hac pugna opere ipso executus sit. Ubi enim inclinatam Turcorum fortunam vidit, scribam auricularium Bassæ, quem dedita opera prælii tempore observabat, cum suis assecutus, comprehensum vinculis onerari, tum fallaces litteras ad Crojæ præfectum exarare jussit, quibus Amuratis nomine mandata dabantur, ut is sibi urbis præfecturam, curamque omnem traderet. His exaratis, ne rei indicium ad Turcos perveniret, hominem obtruncari mandat, collectoque, quem non temnendo numero sub signis habebat, Epirotici generis milite per Triballos in Epirum, & deinceps ad principatum quoque paternum incredibili suorum gaudio eluctatus est. (2) Sunt, qui eum cum Hunyiade consilia sua prius communicasse perhibeant, atque istum tempore usum ejus voluntati subserviisse, quo factum, ut incruenta pene victoria, quemadmodum a nobis narratum est, de Turcis potiretur. Sed id ego, tametsi rei eventus haud raro certus consiliorum index esse soleat, uti non temere negare, sic nec pro comperto affirmare ausim.

Nostri in Thraciam movent.

Hunyiades ab obtenta victoria regi iterum conjunctus facile volentibus persuasit, ut ne hostem metu consternatum, & tot cladibus pene attritum elabi sinerent, sed fugitivum, quam possent, citatis itineribus consequerentur, ita futurum, ut, si in hostico finis bello poneretur, Hungaria deinceps a barbarorum incursionibus immunis esset. Neque segniter his consiliis obtemperatum est, præsertim quod rex Hunyiadi omnia tribueret. Itaque haud multos post dies ad ipsas Thraciæ fauces perventum est. quibus superatis; pronus ad eas ditiones aditus erat futurus, in quibus barbari traducto ex Asia imperio sedes posuere. Sed terrebat in ipso principio objecta locorum facies, quod Hæmi montes, qui Thraciam a Mæsis, & Triballis discriminant, hac parte rupibus eminerent, quæ superatu difficillimæ viderentur, qua autem in planities vergunt, vasta solitudine, ac profundissimis saltibus horrerent. Accedebant annonæ penuria, neque idonea jumentis pabulatio, tum fatigatus ex itineris contentione miles, ac ipsum hyemis principium, quæ non modo vulgum, sed regem ipsum, ut receptui caneret, propemodum persuaserant, nisi Hunyiades, qui earum regionum peritissimus habebatur, acriter obstitisset.

Territi itinerum difficultate ab Hunyiade in proposito confirmantur.

Ille, *quidquid malorum exhaustum erat, frigus, famem, lassitudinem, desperationem repetenda, rursusque perpetienda dicere, si regrediendum foret, tanto hominum, jumentorumque vexatione majori, quanto magis naturalem regionis vastitatem bellum etiam exhauserat. Longe plus solitudinis, difficultatumque a tergo relictum, quam emetiendum superesset, si progredi perseverarent: multo etiam altiora montium juga superata, quam per quæ in Thraciam transcendendum. Stare eos in limine* bor-

(1) Epist. 81.

(2) MARINUS BARLETIUS Chron. Turcic. Lib. I.

Annus Christi 1443.

horrei felicioris jam agri, biduoque perventuros non ad amæniora solum loca, sed rerum etiam omnium feraciora. In quibus præterquam quod reficienda exercitui abunde superfutura essent, tantum etiam prædæ passim expositum, quantum referre fastidirent. Unicum atque eundem ultimum laborem instare. Subinde non bellum fore, sed populationem. Meminissent, qua alacritate per inaccessas cotes, & saltus invios etiam invita natura paulo ante properassent; qua virtute nihil actum foret, si victoriam non prosequerentur. Cæsos quidem ab se ad satietatem hostes sed facile instauraturos exercitum: veriusque irritatos, quam victos dici posse. Rursus occupaturos ea, quæ ipsi deseruissent oppida, & a patria, penatibusque postea propulsandum iterum bellum, quod in agrum hostilem vincendo convertissent. Incertum esse, an eadem felicitate arma semper sumerent. Dum Deus, ac fortuna cæptis faverent, non temere omittendam debellandi Europam opportunitatem, ut omitteret, quam flagitiosum illis esset futurum, si felicitati suæ atque occasioni defuisse viderentur. (1)

Ad Thraciæ fauces Turci pugnæ copiam contra Amuratis mandata, faciunt.

Hæc cum Hunyiades crebro & palam jactaret, non modo confirmatus militi adversus difficultates animus fuit, sed novi præterea stimuli ad prælium adjecti, eratque vox una omnium, duceret modo audacter in hostem, se illius auspicio, qui vires barbarorum toties afflixisset, pugnam, si ad manus veniretur, non detrectaturos. Neque segnius, quam se facturos polliciti sint, egere, ut primum barbaros in summis montium jugis eminus conspexere. Amurates enim, ubi suorum cladem aliam ex alia acceperat, veritus id, quod futurum fuit, ne bellum in Thraciam ab Hungaris transferretur, Asiaticas copias, numero quam poterat maximo Europæis conjunxit, jussitque montium fauces, per quas nostris transeundum erat, insidere, disertim vetans ne manus aperto marte consererent, sed positu locorum tuti vim, si attentaretur, solum propulsarent, spe non inani ductus, nostros & iniquitate loci, & imminentis hyemis rigore territos suapte recessuros. Sapiens & accommodatum tempori consilium, si id Carambus Phrygiæ præfectus, quem copiis præposuit temeritate sua non corrupisset. Nam ut nostros, faucibus succedere vidit, & in acclivum niti, contemni se a paucioribus ratus, mandatique, quod acceperat, immemor, explicatis ordinibus signa in hostem deferri jussit. Id Hunyiades) qui barbari fastum non ignorabat, futurum jam multo ante providerat. Itaque suos contra hostis opinionem celeriter in planitiem reducit, ordinataque in lunæ modum acie, quo primus ex monte proruentium Turcorum furor intervallo ipso refringeretur, latera firmissime obvallat, ne aut nostros circumveniendi, (erant enim barbari numero plures) spatium haberent, aut omnes ex faucibus eluctati pugnæ aleam ipsa copia difficiliorem redderent. Et favebat Hunyiadis consilio, quem pugnæ paraverat, locus. Erant utrinque, quo exercitus cornua vergebant, lenes tumuli, virgultis ita tecti, ut nec pugnandi locum interciperent, & locandis præterea insidiis peridonei essent. Huc hastatas Polonorum turmas, prægrandibus munitas lanceis, quibus cæsim punctimque utebantur, modico a nostris intervallo locat, mandatque, ne prius se hosti aspectabiles facerent, signaque conferrent, quam prælium maxime ferveret: tum improvisi ex insidiarum loco erumperent, & in Turcorum latera invecti rem gererent fortiter, hinc se maximum ad consequendam victoriam momentum sperare. (2)

Nostrorum ad instans prælium apparatus

Collatis fig[illegible]is barbari vincuntur, capto eorum duce Caramba.

In hunc modum pro loci ratione dispositis copiis Turci missilibus telis prælio initium fecere, quibus haud pauci ex nostris, quod densissimis stipati ordinibus consisterent, in principio vulnerati sunt, fuissetque non exigua clades illata, nisi Hunyiades cognito, quod rei suberat, periculo, suos confestim ad gladios venire jussisset, tum vero alia repente oborta pugnæ facies; Turci vulnerum, quod nostri certissime semper ferirent, illorum contra ictus, in loricatos frustra vibrarentur, impatientes, laxatis ordinibus nutare primum, tum, postquam Poloni ex insidiarum, ut narratum est, loco erupissent, de prælii fortuna penitus desperare. Erat id pedestre maximam partem agmen, lanceis, quæ prælto, & ob-

(1) CALLIMACHUS loco laudato.
(2) Idem Ibid.

Annus Christi 1443.

oblongo ferro horrebant, munitum. Itaque illi inter Turcos, quibus trepidatio animos jam ademerat, excursantes equos barbarorum maxime feriebant, qui cum ex vulnerum dolore consistere in loco nequirent, non modo aciem hostium turbare, sed equites etiam humi ut plurimum profundere cœperunt. Itaque maxima Turcorum pars ad pedestre, quo minime valebat, certamen redacti, tanto facilius cædebantur, quanto equestribus alias insultibus assueti, statariam peditum pugnam perferre minus consuevere. Abhinc tota barbarorum acies inclinari, ex qua, qui proximi jugis, unde eruperant, fuêre, ubi primum conclamatam rem esse videbant, pristinas fauces occupant, ceteri in apertam fugam acti, nostris naviter insequentibus, & fugientium terga tanto ardore cædentibus, ut plerique ex victoribus ad summa fere hostium juga eniterentur. Quæ res quoniam periculo non caritura videbatur, plus enim negotii ab locorum iniquitate, quam a Turcis futurum nostris erat, & nox præterea ingrueret, dato ad receptum signo miles in castra reductus est, spoliis præ quam alias onustus, inter quæ Carambus quoque barbarorum Ductor fuit, quinquaginta deinde aureorum numum millibus in libertatem vindicatus. (1)

Nostri tentato iterum frustra hoste victores domum revertunt.

Postero die, quod appareret, victos cum ob Ducis jacturam, tum amissum exercitus robur, impetum minime toleraturos, si in eos victores ducerentur, placuit, tametsi difficillima esset, novam aggressionem moliri. Sed arduum confestim in principio obortum est negotium, quod reptando magis, quam figendo ex ritu militari gradum in aduersos hostes eniterentur, diuque, & fortasse frustra cum asperrimis saxis colluctandum nostris fuisset; nisi Hunyiades, qui omnia prius experiri, quam desistere a prosequendo victoriæ fructu mallebat, obliqua montis latera ad ascensum clementer acclivia vidisset, quibus superatis & facile ad summum jugum evadere, & hostem ex ineluctabilibus rupibus proturbari posse arbitratus est, præsertim quod editissimus vertex, qua parte Turcis objiciebatur, abruptus, nostrorum molitionem, ne hostium oculis usurpari posset, mirifice tegeret. Id cum rex comperisset, mutata sententia, nam a fronte barbaros aggredi constitutum prius habebat, Hunyiadem cum ceteris copiis consecutus est. Jam hic cum fortissimis quibusque in jugum perinde, ac quod Turci insederant, editum pervenerat, cum immensus biatus, qui nostros a barbaris latissime discrevit, porro progredi non sinebat. Igitur cum nec tumultuaria materia in promtu adesset, qua interceptum spatium impleri posset, neque ob periculi moram pons insterni, Hunyiades ex repræsenti capiens consilium, machinas afferri imperat, simul audacissimum quemque in montem recto itinere eluctari, ut, si jactis machinarum ope lapidibus, hostis, quod putabat, ex statione deturbaretur, locum ex templo caperent, & cominus cum barbaris manus consererent. Respondebat in principio consiliis eventus haud improspere, & spes erat propagata per machinas clade Turcos e latibulis illis proturbandi, nisi Alibegus, post captum Carambum militari consensu Dux creatus suos commonefecisset, ut rupium oppositu se tuerentur, & audito machinarum fragore humi se prosternerent. Ita & eorum, qui eminus ex jugo barbaros impetebant, & qui cominus rem gerere jussi sunt, omnis conatus frustratus fuit. Hunyiades animadvertens, operam suam adversum saxa rupesque ludi, fessum militem ex summis jugis ad regem, & castra reduxit, satis præclare actum ratus, quod barbaros prælio fractos memorabili clade profligasset. (2)

Scriptorum de hoc bello opiniones.

Multiplicem victoriæ fructum fuisse extra dubitationem est, de quo cum Wladislaus Fridericum III., per epistolam certiorem fecisset, ejus sententiam Æneas Sylvius ad passaviensem Episcopum in hæc verba contulit. (3) *Wladislaus more Polonorum, qui de magnis majora loquuntur, triginta millia hominum cecidisse suis epistolis adnotavit. --- sed hujus victoriæ præter auspicium, nihil ad eum pertinuit. Nam solus Joannes Wayvoda Transylvanus rei militaris peritissimus cum* de-

(1) Idem Ibid. & TIMON in Epit. chronol.
(2) CALLIM: loco cit.
(3) Epistola 81.

decem millibus expeditorum militum, hoc bellum confecit. In eandem fere sententiam, Wladislaum pugna abstinuisse domestici annales propemodum omnes consentiunt, quod ego sic accipi oportere mihi persuadeo, ut regem a primo conflictu, quo Hunyiades cum decem millibus ingentes Turcorum copias penitus profligavit, absuisse quidem arbitrer, postremo contra prælio non interfuisse modo, sed præfuisse etiam putem, quod id & scriptor pene synchronus memoriæ prodiderit, nec verisimile sit, ignavum animum, qualem regi affingunt, tam repente commutari potuisse, ut non modo strenue fortiterque rem deinde cum hoste gereret, sed artis etiam militaris nec pauca, nec vulgaria argumenta daret, quemadmodum ad annum sequentem, ubi ad cladem Varnensem perventum fuerit, memorandi locus erit. Triginta autem hominum millia universe cæsa esse, si tot pugnæ, quas nostri cum barbaris inierant, secunda semper fortuna consertæ in rationem veniant, nihil prorsus a vero abhorret.

Annus Christi 1443.

Sed id utcunque fuerit, illud constat, Wladislaum, quamquam Julianus Cardinalis cum Hunyiade, & Despota Rasciæ contra obnixe niterentur, ob inclementiam temporis, & commeatus penuriam, fessum militem in hyberna reducere maluisse, quam hosti nullo operæ pretio prodigere. Itaque collectis præmissisque cum levi armatura impedimentis in postremo agmine hastati equites, qui tamquam murus terga antecedentium munirent, locantur. Atque hoc ordine signum receptui datum est. Ea re, tametsi nostri a discrimine tuti redderentur, caveri tamen non potuit, quin barbari desertis montium jugis per intervalla crebro in recedentes insultarent, &, ut impeditum prorsus per densissimos saltus iter erat, jactura quoque afficerent. Et suberat huic molestiæ aliud periculum, quod metus esset, ne miles tot hostium incursionibus fractus lassitudine, & inedia periret. Præter famem enim, qua copiæ laborabant, nulla quoque jumentis in vastissima solitudine pabulatio fuit. Collatis igitur consiliis placuit comportari simul, igneque cremari, quidquid ex sarcinis, spoliisque magis oneri, quam usui esset futurum, tum infirma, aut supervacanea jumenta interfici, & arma, quæ ex cæsis comilitonibus, aut barbarorum præda supererant, ne hostibus usui essent, effossis scrobibus terræ mandari. Quibus diligenter procuratis, exercitus itineri aptior, majoribus, quam antea, factis itineribus sine noxa Belgradum pervenit. Isthinc, data militi aliquot dierum quiete, Wladislaus Ducum corona stipatus cum Prætorianis Budam contendit. Ubi cognitum est, eum urbi jam appropinquare, summi Hungariæ sacerdotes, qui Budæ regni causa tum convenerant, sacro ornatu præcincti cum viris principibus, clerique, ac ingenti civium numero obviam facti regem summa honoris significatione victorem salutarunt. Erat ingressus in urbem ovationi similis, nisi quod Wladislaus ex ritu christiano Deum victoriæ auctorem despicabili habitu testatus, templum prius, quam regiam pedes ingressus fuisset. Tum habita palam Numini ob domitos barbaros gratiarum actio, signa hostibus erepta tholis affixa, ducumque, ac præcipue Hunyiadis res bello gestæ, cum cujusvis insignibus, & titulis ditissima pictura in conspectiore templi parte ad posterorum memoriam transmissæ. (1)

Nostri in receptu non nihil damni accipiunt.

Rex ovanti similis Budam ingreditur,

Hunc in modum annus hic a profligatis septies Turcis Hunyiadisque opera extra regni ditiones propulsatis barbaris, finem accepit. Cui non parum splendoris, ac fortunæ adjectum fuisse haud immerito videri potest, quod in medio victoriarum cursu Joanni filius Matthias Corvinus natus esset, tanquam Deo, in cujus manu regna sunt, placuerit, eum, inter armorum fragorem, & relata ex hostibus trophæa nasci, qui ab adito deinceps contra spem omnium Hungariæ regno, belli, pacisque artibus ita claruit, ut parem ante se vix in eo studio habuerit, superiorem autem post se nullum facile fuerit relicturus. (2)

Joanni Hunyiadi Matthias filius nascitur.

Vulgato per Europam Wladislai reditu, ac victoria lætitiæ pars ad omnes pene christianos principes pertinuit, Italos præsertim, qui salvis in Hungaria rebus, se, suasque fortunas optimo loco constitutas videbant, illis contra periculo proximis primos omnium esse, in quos barbari terra, marique vires con-

Victorem regem principes per legatos colunt,

B 3 ver-

(1) CALLIMACHUS Lib. laud.

(2) TIMON Epit. Chronol.

Annus Christi 1444.

Et continuandum in Turcos bellum auctores sunt,

versuri essent. Quare in principio sequentis anni ab Eugenio Pontifice maximo, tum Venetis, Genuensibus, ac Philippo Burgundo legati adfuere, qui ad laudes partæ ex Turcis victoriæ, adhortationes quoque ad novam in barbaros expeditionem adjecere. Quas ne inanes quisquam existimaret, ingentem se classem Hellesponto immissuros spondebant, cujus subsidio hostis ex Europa in Asiam facile rejici possit, si Hungari obmoto rursus bello victoriam prosequi satagerent. In eandem sententiam orator, quem Joannes Palæologus miserat, verba fecit, adjecitque bellum nullo pene negotio confectum iri, quod Turcorum regulos novas in Asia res moliri certis nunciis comperisset, in quos Amurates, ne factiosi ipso tempore incrementa sumerent, militem europæum, traducturus ferebatur. Id tempus Palæologum diligenter occupaturum esse, ut ditiones, ex quibus summa injuria ejectus sit, recuperet: orare se magnopere, ut, cum Græci ab ortu aggressionem in hostes molituri essent, Hungari ab occasu sibi sociisque ne deesse vellent, ita citra difficultatem futurum, ut barbari ex Europa exacti in Asiæ latebras, ex quibus christianorum dissensionibus freti prius eruperant, ingratiis redire cogantur. Hæ oratorum, qui salutandi regis causa affluxerant, fuere preces, quas Julianus Cardinalis, & Rasciæ Despota, captatis principum animis, & quæ huc facere possent, momentis in medium allatis mirifice augebant: Wladislaus collaudato legatorum in se studio, facturum se recepit, ne, a quibus missi erant, jure queri possint, ab se privatas regni necessitates rei christianorum publicæ anteponi, neque tamen in re tam gravi, quidquam leviter tractari oportere, præsertim, quod Poloniam ab Tartaris nuper vastatam comperisset, nec satis res in Hungaria a Bohemis tutæ essent, de his se cum regni ordinibus, quos Budam proxime excivisset, deliberaturum, tum responsa, quæ eorum consiliis optime commodarent, seorsim daturum. (1)

Eam ob causam inducias cum Giscra Bohemo conficit.

Fuere ab Elisabethæ obitu res in Hungaria intestinis procerum studiis vehementer distractæ, quod pars Wladislaum sectarentur, alii postumo studerent. Horum præcipuus Giscra Bohemus est habitus, a belli scientia, ex domesticis latrociniis magnum consecutus nomen. Placuit hunc quoque, & civitatum, quæ istius imperio parebant, magistratus ad præstitutum regni conventum data publica fide accersere, ne aut turbarum aliquid interea daret, dum de bello in barbaros movendo studia ceteri contulerint, aut in armorum etiam, fœderisque societatem, si id ex usu esset, venire. Adfuit ad dictum diem, & cum eo Nicolaus Pancratius, partium quidem Wladislai assertor, sed quod omnem regionem, quæ Vago flumine abluitur, latrociniis infestam teneret, plerisque invisus; qui, quod quietem publicam turbaret, præter omnem liberi conventus rationem in carcerem conjectus est. Cum Giscra, postquam dies aliquot frustra extracti fuissent, biennales induciæ in has conditiones sancitæ: captivi sive bello, sive abactione libertatem amisissent, utrinque liberi dimitterentur, si de pace interea non conveniret, elapsis induciis rursus redirent ad eos, quorum juribus obnoxii essent; tum amicitia, quam pepigissent, bona fide coleretur. Sed hæc fœderatio Giscræ propemodum fatalis extitit, quod vulgus amicitiam parum firmam fore existimans, si is ad suos evaderet, concito tumultu hominem ad supplicium deposceret, fuissetque non leve conflatum misero periculum, nisi Wladislaus, postquam publicæ fidei sanctitatem parum apud factiosos valere intellexit, Polonos quosdam submisisset, qui periclitantem clam urbe eductum, mutato amictu Jaurinum perduxere. (2)

Et res Polonicas, ne quid se absente turbaretur, componit.

Deinceps res Polonorum in consultationem adductæ sententias mirum in modum distraxerant, quod Poloni res domesticas, quæ per intestina partium studia indies magis defluebant, regem per se se curare vellent, Hungari contra veriti, ne is ad matrem reversus, & quietis dulcedine emollitus a belli, quod instabat periculis averteretur, Julianum Cardinalem, & Despotam, tamquam duas machinas admovebant, ut regem apud se retinerent. Illi hortando, rogandoque Wladislai animum, gloriæ ceteroquin cupidum, & a recentibus victo-

(1) CALLIM.: Lib. III

(2) Idem Ibid.

ctoris juveniliter exultantem facile eo adducunt, ut Polonis necessitatem, & magnitudinem instantis belli ostenderet, quo minus eorum votis morem posset gerere, simulque post inita ultro citroque consilia statuit, ut Polonia, nequid periculi se absente respublica caperet, per legatos interea administraretur. Ita constitutis rebus toto animo bellum turcicum complexus, de scribendis supplementis comparanda annona, sociorumque subsidiis, ac de modo, rationeque, qua adversus hostem uti oporteret, diligenter cum optimatibus egit, visumque est, ut ante omnia fœderati, qui sponte armorum societatem obtulissent, omnium, quæ necessaria ad bellum essent, per legatos admonerentur. Itaque missi Constantinopolim oratores, qui Palæologo significarent, ut cum suis, si Hungaros ad Thraciæ, Macedoniæque fines pervenisse intellexisset, ex parte altera præsto esset, remque communibus uti viribus, sic & consiliis ageret. Itali per litteras id temporis itidem commonefacti, ne pollicitis desint, qui se Helespontum navibus infestum servaturos spopondissent. Atque isti, quidem datæ fidei memores bellique ante alios cupidi summa diligentia intra brevissimum tempus LXX. triremium classem ad Cajetam constituerant, dedereque in mandatis Francisco Alberto Florentinorum Cardinali, quem summa potestate classi præfecerant, ut primo quovis tempore, cum primum secunda aura aspirarit, soluta classe Helespontum peteret, ne quid subsidii a barbaris ex Asia in Europam transmitti possit. Quo cognito haud facile dictu est, quibus animis nostri curas in futurum bellum intenderent, darentque operam, ut conciliatis finitimorum fœderibus auxilia undique compararent. Placuit præ ceteris Georgium Castriotum, qui ab occupato Epiri principatu Turcis metuendus evaserat, magnumque ad felicitatem belli momentum allaturus videbatur, in armorum quoque societatem vocare. Igitur re in conventu deliberata rex in hanc sententiam litteras ad Castriotum dedit. (1)

Annus Christi 1444.

Fœderati in bellisocietatem vocantur.

Wladislaus Hungariæ, & Poloniæ rex, Scanderbego Albanorum principi S. P. D. Distulit fortasse in hoc tempus fortuna feram istam gratulationem nostram, quo non tantum hodie tibi ob recuperatum feliciter imperium, sed pari etiam prudentia, fortitudineque defensum, duplici rei prosperæ eventu gratularemur. Et gratulamur itaque, nec tibi tantum, verum etiam christianis omnibus, quod tanta sit benignitate Dei, per virtutem nunc tuam, rei christianæ accessio facta. Quandoquidem non minima semper inter cetera mala, nostra clades illa ducenda fuit, Epiroticæ gentis amissio. Cum iniquis sublatus fatis Joannes Castriotus Pater tuus, princeps, ut audio, de omnium animis optime meritus, neque tibi in aliena degenti potestate, regnum avitum filio tradere, neque aliter ab Amurate oppressus, imperio suo consulere potuit. Et viveret utinam nunc felix eo nato parens, qui omnium superesset fortunam, si te ante vidisset, quam a vita discederet. Ita unus plane videris mihi, pace omnium dixerim, hac tempestate princeps, sicut omnibus animi, corporisque bonis, ita divino quodam fato præditus, cujus auspiciis non solum tuta imposterum omnis Epiroticæ terræ ora futura sit, sed cuncti præterea populi a corpore Macedoniæ imperii, nefario Ottomanniorum latrocinio jam pridem direpti, in antiquam formam juris, ac ditionis suæ redituri. Quid enim, ut cetera taceam, quæ & apud barbaros vel puero tibi olim tanta indies crescente invidia, maximum nomen prodiderunt, victoria illa speciosius, quam nuper Alybassa cum tot copiis cæso, fugatoque, partam tibi ingenti admiratione æque audivimus, ac credidimus. Sed adest nunc Scanderbege, Deo agente, qui te exacto quodam consilio in hæc difficillima tempora christianæ reipublicæ reservavit, majoris penitus tibi gloriæ materia. Subest occasio contra Amuratem, omnes veteres, novasque tuas, ac tuorum injurias ulciscendi, nec privatas istas tantum, sed & publica id genus mala, atque tot oppressæ, ne dicam, exstinctæ jam fidei ludibria, si cum victore exercitu tuo, nondum desperatis rebus nostris adesse velis. Invitant te ad hoc omnes Hungariæ, & Poloniæ principes, ac viri fortissimi, invitat Julianus sancti Angeli Cardinalis, cum piis illis christianæ salutis militibus, jam diu nobiscum in armis in-

In primis Castriotus Epiri Princeps, scriptis a rege litteris.

(1) Marinus Barletius Chron. Turcic. Lib. I

Annus Christi 1444

instructus; nihil præter tua signa expectamus. Quam si nunc oblatam ultro a Deo immortali occasionem non rejicis, debellari posse penitus palam omnes affirmant, expellique Turcas, & a tam diuturna Europæ possessione deturbari. Omittendum itaque hoc loco apud te omne adhortationis genus censeo, pro ea causa, qua defensa, salutem, lucem, libertatem, omissa, ominari horreo, quæ ferat. Satis nos hucusque tandem deservivimus christiani, conflagravimus jam omnes, dum nemo incendium ad se trajecturum putat. Quid de Græcorum cernimus, quantum de Triballorum imperio? jacturas demum ipsas meas, totque exhausta, ac exhaurienda indies mala, quis recenseat? quis fortissimos principes, Hungarici imperii propugnacula, per omnes ætates amissos, & tot validissimos exercitus eodem funesto belli fato absumtos, ac occisione ferme occisos? ita, ut nulla sit jam in Hungaria domus, nulla matrona luctus expers. Audiant hæc christiani principes, nec movet ullum miserabilis sociorum fortuna: sic nos veluti piacula quædam, luendis omnium periculis, hosti passim objectari patiuntur. Unus Eugenius sanctissimus romanæ rei Præsul, & Philippus Burgundiæ dux afflictæ fortunæ onus non detrectarunt. Alter Julianum hunc cum præclaro nobis milite adjunxit, Philippus classe instructa, & in Helespontum usque missa Turcis transitum, quantum in ipso fuit, fortiter prohibuit. Alia nunc nobis spes propinqua subest, auxilii optandi. Quare ultro nunc te ad tam necessarium bellum evocare, tum virtus tua, imprimis cognita suasit, tum rerum omnium nostrarum periculum discrimenque coëgit. Ceterum cum ignoret nemo, quam id nunc sis incommodo acturus tuo, propter recentem adhuc domesticarum rerum tumultum, & vix dum pacatum noviter redemti imperii statum, id te movere non debet, cum & tibi præclarissimum nomen hac expeditione sis pariturus, & hoc præsens beneficium apud minime ingratos animos sis collaturus. Quod enim prior tu hodie pro salute nostra, dignitateque feceris, id nos pro tua laude, & imperii incremento semper faciemus. Vale. Ex Buda Regia nostra III. nonas julii, anno MCCCCXLIV. (1) Hæc epistolæ sententia fuit, quæ quo animo, ac rei eventu, ab Scanderbego accepta sit, suo loco a nobis dicetur.

Hæc inter Turci pacem ab Hungaris flagitant.

Hæc tametsi clanculum inter Christianos agebantur, caveri tamen non potuit, quin rei indicium ad Amuratem Turcorum principem perferretur. Qui, cum sæpe alias, tum priore inprimis anno bellicam Hungarorum virtutem suo damno expertus esset, metuebat, ne, si Christiani fœdere inter se coirent, res Turcica funditus pessumiret. Ad hæc certis nunciis ex Asia afferebatur, Caramaniæ regulum cum validissimo exercitu in Pontum, & Bythiniam infestis signis irrupisse, agique ab eo rem fortuna adeo secunda, ut, nisi mature illi copias objiceret, periculum sit, ne Asiatico imperio penitus exuatur. Perculerant hæc barbari animum, non de nihilo veritum, ut utrique hosti, si ad manus veniretur, resistendo par futurus esset. Itaque ad pacem haud difficulter mentem adjecit, sed ut fastu plenus erat, pudebat hominem aperta ad fanciendum fœdus legatione metum contestari. Quare nuncios clam ad Despotam Budæ tum apud Wladislaum commorantem expedit, qui de redimendo Carambo, quem nuperno prælio captum narravimus, agerent, re autem ipsa etiam atque etiam viderent, ut pacem, quam possent, honestis conditionibus conficerent. Admissi ad Despotam citra ambages, cur venissent, aperiunt, libertatem filiorum, quos Amurates ab occupata Servia captivos detinuerat, pristinum dignitatis splendorem, tum restituendas, quibus exutus erat, in solidum ditiones pollicentur, si modo faciles ad conflandam pacem aditus sibi apud regem moliri velit. Ille dolo, ac fraude se a barbaris circumduci ratus, difficilem se legatis primum præbuit, tum, ubi rogandi, hortandique nullum finem Turci fecissent, cum Hunyiade rem omnem communicat. Qui, etsi ex novis militum supplementis, sociorumque auxiliis, bellum feliciter posse confici speraret, tamen, cum regnum ab intestinis factionibus nondum penitus convaluisse, & Fridericum præterea Romanorum regem divitiis, & auctoritate potentem in quasvis occasiones incubare sciret, illatam pacis mentionem haudquaquam aspernatus est, præsertim quod conciliandum fœdus

(1) Epistola refert annum 1443. sed errorem in eo cubare ipsæ litteræ satis produnt.

dus plus commodi polliceretur, quam bello, cujus exitus fere in incerto sunt, ceteroquin potiri possent. Experiri tamen prius placuit, vere ne, & quibus conditionibus pacem postularent. Transactum ante omnia est de captivi precio: pro quo cum quinquaginta aureorum numum millia se pensuros legati recepissent, facile apparuit, non simulato animo pacem a barbaris flagitari. Itaque Hunnyiades regem adit, monetque, ut, quantis posset, copiis Szegedinum proficisceretur, affuturos isthic Turcorum legatos, qui, ut pax, & amicitia instauretur, ultro rogaturi essent. Offerri quidem ab eis conditiones, quæ tempori, & regni rebus percommodæ videantur, meliores tamen citra dubium extorqueri posse, si belli apparatum, militemque armorum cupidum in propinquo spectarent. (1)

Annus Christi 1444.

Pacis mentionem tanto avidius rex arripuit, quanto magis de Polonia, nam & isthic domesticis turbis fere omnia fervebant, animo prius angebatur. Itaque haud gravate cum suis Szegedinum profectus est, quo Hunnyiades cum Despota, & Turcorum legatis præiverat. Hic oratorum princeps, græcæ originis homo, sed Turcorum sectam professus, cum ad regem admissus fuisset, de incerto bellorum exitu, de pacis, foederumque commodis, & quæ sibi usui futura putabat, diu multaque verba fecit, quibus, proclives alioquin ad pacem animi, facile ad stabilienda utrinque fœdera permoti sunt. De Conditionibus major disceptatio oborta: quod Turci Bulgariam, & pleraque Serviæ oppida cum argenti fodinis sibi servata vellent; Wladislaus contra quæcunque prius bello aquisivissent, legitimis dominis restitui juberet. Extractis per disceptationem aliquot horis, in has conditiones denique conventum est. Turci Bulgariam duntaxat sibi haberent: cetera, quocunque essent modo occupata, redderentur iis, quorum juris ante bellum fuissent. Captivi, & inprimis Despotæ filii bona fide liberi dimitterentur. Tum dies præstituta, qua barbaros oppida, civitatesque secundum pacta reddere oporteret. Ita pax in decennium conflata est, non auso adversari etiam Iuliano Cardinali, sive quod opponeret tot spebus, & utilitatibus nihil in promtu haberet, seu frustra se in tanta animorum consensione contra obnixurum putaret, periculumque esset, ne, si unus refragari pergeret, omnium invidiam perferre cogeretur. (2) Tametsi omninò permirum fit, nostros tam facile ad pacem animum applicuisse, quando de nunciorum fide dubitari merito poterat, quod auctoritate ad firmandam pacem minime instructi ab Amurate essent, quemadmodum infra dicendi locus erit.

A quarex cum suis nonabhorret.

Pacis conditiones.

Sed id negotium hactenus adductum pene in exitu aliunde discussum est. Contendebant barbari, ut rex prolata in medium Sacra Eucharistia juraret, se pacem, hujusque conditiones bona fide cum suis servaturum, rati parum sincero animo eam confieri, nisi sacerrimo hoc ritu a Christianis communiretur. Ut insolitum, præterque spem id postulatum fuit, ita omnes, quo barbari ea religione cuperent evadere, incertos ac attonitos reddidit. Wladislaus, ne, si id negaretur, suspicandi materiam legatis præberet, haud invitum se fore ostendit, fecissetque, nisi Gregorius Sanocius, qui ex Poloniæ optimatibus plurimum auctoritate & gratia valuerat, regem, ne id faceret, graviter cohortatus esset, neque ex sua, nec religionis dignitate facturum, contendens, si, sacrosanctum divini misterii arcanum, quo preciosius religio nostra non habeat, profanorum oculis prostitueret; persuasumque Turcis, fœdera secundum ritus christianos jure jurando firmata, integre, & bona fide servatum iri. Quare minime invitis barbaris Sacramento ex cujusvis gentis, ac religionis more ab utriusque dicto fœdus confirmatum est. Inde errorem plerisque scriptoribus obortum suspicor, qui amicitiam non aliter, quam tradito Turcis Eucharistico Numine, conflatam litteris prodidere. Sed nihil omnino necesse fuit, ut pissimus ceteroquin rex, victorque, barbaris, & profanis hominibus pacem precarie flagitantibus, sacerrimum religionis nostræ pignus, prudens, volensque polluendum destitueret. (3)

Iure jurando confirmantur.

Vix

(1) CALLIMACHUS Lib. III.
(2) Idem ibid.
(3) Idem ibid.

Annus Christi 1444.

Plerosque tamen confectæ pacis pœnitudo subit: & quas ob causas?

Vix sanctio fœderum per Hungariam vulgata est, cum nuncii a Francisco Cardinali adsunt Szegedini cum litteris, quibus significabat; Amuratem copias omnes adversus Caramanum, qui tyrannidem moliebatur, in Asiam traduxisse, ac ditiones, quas cis Hellespontum possideret, præsidio nudatas reliquisse: se cum classe, & sociis mediterraneum pelagus feliciter emensum, occupatis Bosphori littoribus jam id daturum operam, ne barbaro exercitum in Europam transportandi ulla facultas esset. Quare videret rex, & fœderati, ut secundum pacta conventa barbaros, qui in Europa supererant, bello appeterent, neque oscitantia, aut socordia pulcherrimam sibi occasionem elabi sinant, per quam inimicissima gens penitus debellari possit. Affuturas propediem subsidiarias principum Italiæ cohortes, quarum ope præclarum aliquid patrari queat, si modo spem, quam de se Hungari dedere, non frustrentur. Ut hæc coram rege & proceribus lecta sunt, subito quidam quasi languor plerorumque animos occupavit, memoria eorum, quæ prius christianis principibus polliciti fuissent, vehementer anxios. Accessit illud quoque, quod Constantinopoli litteræ gravissimæ afferrebantur, quibus Imperator majorem in modum ab rege petebat, ut, quæ iniisset adversus barbaros consilia, tum belli gerendi modum, rationesque secum communicare ne gravaretur, quo & ipse suas fœderatis adjiceret vires, hostemque alia parte propulsaret. Quem in finem cum copiis ad Misistram urbem jam pervenerit, ut armorum sociis propinquior esset. Erant litteræ in hæc verba signatæ (1)

Palæologus Græcorum per oratores, & litteras, armorum societatem offert.

„ Serenissimo, & Excellentissimo Principi, & Domino Domino Wladislao, Dei gratia regi Hungariæ, Poloniæ, & Dalmatiæ, Croatiæ &c. supremo „ Principi Lithuaniæ, ac Hæredi Russiæ, & fratri, scutum totius Christianitatis gubernanti, Domino nostro in Christo Deo dignissimo, Joannes Palæologus „ Romanorum Imperator, ac moderator in Christo, trophæo Græcorum.

„ Serenissime & Excellentissime Princeps! per reditum legati nostri ab „ Excellentia vestra recepimus litteras Majestatis vestræ, ex quarum serie, & „ nostri oratoris verbis certiores redditi sumus, vos optime, & feliciter valere, „ qua de re nedum nos, sed & omnes principes christicolæ lætari plurimum debent, summumque rerum omnium opificem, ac factorem Deum orare, & obsecrare votis, jejuniis, & orationibus, desistereque honeste non possunt, ut „ salvus sitis, quia christianissimus estis. Debinc propter maximam rerum gestarum præteritarum gloriam, & futurarum incolumem contra perfidos, nequissimosque Teucros, & optimam mentem cum laude Dei, gloria, & unione „ sacrosanctæ religionis nostræ, quæ voce nostra digne satis eloqui non possunt. Nam „ si nobis ora sonantia centum ipse Deus dedisset, laudes vestras satis extollere nequiremus, sed mens conscia recti, votis hæc magnanima cœpta vestra prosequitur. „ Verum, quia etiam, ubi facto opus est, verba ipsa non sufficiunt, intellecto, & „ clarius cognito, sublimitatem vestram contra Teucros ituram hac æstate, decrevimus omnes vires, & studia nostra vestris favoribus addere contra perfidum, „ crudelissimumque christianorum hostem Amuratum, omnique cura, studio, „ & diligentia Serenitati vestræ grati esse studemus, & universus ordo christianorum tenetur.

„ Sed dum hæc cogitaremus, perficeremus, expectaremusque Majestatis „ vestræ ad partes orientis adventum, ad notitiam nostram pervenit, Georgium „ Despotum, & Serenitatem vestram cum dicto Amurato quædam pacis fœdera cœpisse, & perfecisse, & ipsum parare legatos suos ad Excellentiam vestram pro concludendis, & firmandis conventionibus. Qua de re plurimum admirati sumus, nec possumus satis intelligere, unde talia processerint, qui victo, „ superatoque inimico ita perterritus est, ut solum nomine Celsitudinis vestræ ruat „ ejus imperium, & in præsentiarum cum nulla ei spes relicta sit, velitis his insidiis „ ipsi tempus præstare ad restaurandas, redintegrandasque vires quo ipse victus, „ superatusque regnet cum periculo, & ruina multorum principum, populorumque christianorum, qui apertissime vestris viribus, & auctoritate dictum Amuratum,

(1) *Dlugossus Hist. Polon. Lib. XII. pag. 790.*

„ ratum, & ejus loca oppugnarunt. Quapropter in mentem noſtram cadere
„ non poteſt, quod tantus error, glorioſa, & digniſſima principia finiret, quorum
„ fama jam per univerſum terrarum orhem diffunditur, nec indignum Celſitudini
„ veſtræ Juſtinianum, & Titum, vere digniſſimos Imperatores, comparaverim.
„ Quas ob res veſtro nomine, & ſingulari authoritate, & felicitate moti ſunt prin-
„ cipes, & populi chriſtianorum, ejus ſuhditi colligati, vicini, & coadhærentes,
„ ſed etiam ejus fidei complures, Caramanus videlicet, qui magnam Aſiæ orien-
„ talis partem ſuis viribus, & exercitu uſque ad maria adeptus eſt, huic etiam
„ additi ſunt filii Karandugle, & plures alii, & claſſis optata jam ſtrictum (1) de-
„ het obſediſſe. Unde non eſt credendum, quod tanta, tamque inſperata occa-
„ ſione victoriæ oblata Serenitati veſtræ, viribus omiſſis, cogitationes ſuas ad pa-
„ cem, quæ multas inſidias habitura ſit, convertit, ſed potius ad provehendam
„ gloriam, & famam fidelium, & delendam chriſtianitatis inveteratam maculam,
„ contra perfidos, nequiſſimosque Teucros, qui crudeliter, nequiſſime & fidem
„ noſtram, & chriſtianum nomen impiiſſimeque, ac turpiſſime inſecuti ſunt.
„ Sed ut nulla de laudibus veſtris taceat ætas, & Serenitatem veſtram votis po-
„ ſteritas omnis expoſcat, vincite Titum, qui Iudæos triginta uno denario ven-
„ didit, propter Chriſtum triginta nummis venditum, &, ſi quid in verbis fuit;
„ evaneſcat, redeatque Majeſtas veſtra ad mentis integritatem, qua nulla præ-
„ clarior, aut divinior excogitari poteſt. Nec, ut arbitror, unquam aderunt
„ expoſitoribus, quos nos nullo pacto, die, noctuque cogitantes intelligere non
„ poſſumus, niſi fortaſſe Serenitas veſtra his aures præbuerit, ut facilius Amu-
„ rates Græcia derelicta ad tuendam Aſiam ſe converteret, quemadmodum
„ eum feciſſe die duodecima menſis Julii intelleximus, ſicque facile ſit non re-
„ pugnantes vincere, & omnis occidentalis plaga veſtro nomini ſupponatur.
„ Nam cum ore Salomonis noſtri dictum legerimus: „ *Omne regnum in ſe divi-*
„ *ſum dilabitur*, „ non poterit utramque partem tueri, nec potenti manu, impe-
„ diente claſſe maritima, in Græciam redire, nec futurum parva ſtipante homi-
„ num caterva, qui ſe & ſuos apertiſſimo periculo ſubjiceret, & ſic illum imitabi-
„ tur, qui duos una hora ſectatur lepores, qui altero inſecuto, quandoque
„ carehit utroque. Habet etiam penes ſe conſules venales, quibus nullo pacto
„ confidit, nec poteſt confidere, cum ſæpiſſime minimis in rebus; & paucis per-
„ ſuaſionibus deficiunt, & ſemel mali, ſemper præſumuntur eſſe in eodem gene-
„ re mali, teſtante juris regula. Suhditi igitur ejus, adhærentes, vicini, &
„ nos cum ipſis contra Turcum moti ſumus, veſtra ſpe confidentes. Hoc unum
„ novimus, veſtram Serenitatem non eſſe neſciam, jam bello cœpto, cetera
„ ejus loca per nos capta, & in præſentiarum famæ confidentes veſtræ maxima
„ bella paravimus, apertiſſime, non per inſidias, non per diſſimulationes, ſed
„ omni cura, ſolicitudine, diligentia, ſtudio, & labore, & plurimis impenſis
„ ad ſanctum opus perficiendum, omnia neceſſaria belli cum viris expertiſſimis,
„ & omni conatu exire inſtituimus, multos etiam noſtrorum nohilium maximis
„ periculis expoſuimus, dum hortamur populos Chriſtianorum vicinos, & ſuhdi-
„ tos Teucrorum ad ſuam liberationem, & fidei noſtræ augmentum, qui omnes
„ animis, armis, opihusque paratiſſimi ſunt, exſpectantque Serenitatis veſtræ ad-
„ ventum, quemadmodum Sanctiſſimi Patres Chriſti adventum operiebantur.
„ Et tantus eſt magnitudinis veſtræ apud hoſtes tremor, quod Amurates non
„ audet eos, qui a ſua jurisdictione deſecerunt, inſeſtare, nec verbis ſuis repre-
„ hendere, licet apertiſſime jam ex ſubditis, & amicis hoſtes effecti ſint.

„ Itaque plurimum admirantes admiramur, quod Excellentia veſtra victrix,
„ & triumphans contra eos, qui nomine magnitudinis veſtræ liqueſcunt, quemad-
„ modum nix a ſole, & nebula a vento, & cera ab igne, velit aures factioni-
„ hus præbere, præſertim, cum de adventu veſtro, tot Majeſtatis veſtræ ſcripta
„ emanarunt. Itaque conſiderantes dedecus, cognoſcentes periculum, & intel-
„ ligentes damna eorum, qui veſtris ſuaſionihus his bellis ſe implicaverunt, ne-

 „ dum

(1) Boſphorum & Helleſpontum reor intelligi.

Annus Chriſti 1444

Annus Christi 1444.

Plerosque tamen confectae pacis poenitudo subit: & quas ob causas?

Vix sanctio foederum per Hungariam vulgata est, cum nuncii a Francisco Cardinali adsunt Szegedini cum litteris, quibus significabat; Amuratem copias omnes adversus Caramanum, qui tyrannidem moliebatur, in Asiam traduxisse, ac ditiones, quas cis Hellespontum possideret, praesidio nudatas reliquisse: secum classe, & sociis mediterraneum pelagus feliciter emensum, occupatis Bosphori littoribus jam id daturum operam, ne barbaro exercitum in Europam transportandi ulla facultas esset. Quare videret rex, & foederati, ut secundum pacta conventa barbaros, qui in Europa supererant, bello appeterent, neque oscitantia, aut socordia pulcherrimam sibi occasionem elabi sinant, per quam inimicissima gens penitus debellari possit. Affuturas propediem subsidiarias principum Italiae cohortes, quarum ope praeclarum aliquid patrari queat, si modo spem, quam de se Hungari dedere, non frustrentur. Ut haec coram rege & proceribus lecta sunt, subito quidam quasi languor plerorumque animos occupavit, memoria eorum, quae prius christianis principibus polliciti fuissent, vehementer anxios. Accessit illud quoque, quod Constantinopoli litterae gravissimae afferrebantur, quibus Imperator majorem in modum ab rege petebat, ut, quae iniisset adversus barbaros consilia, tum belli gerendi modum, rationesque secum communicare ne gravaretur, quo & ipse suas foederatis adjiceret vires, hostemque alia parte propulsaret. Quem in finem cum copiis ad Misistram urbem jam pervenerit, ut armorum sociis propinquior esset. Erant litterae in haec verba signatae (1)

Palaeologus Graecorum per oratores, & litteras, armorum societatem offert.

„ Serenissimo, & Excellentissimo Principi, & Domino Domino Wladislao, Dei gratia regi Hungariae, Poloniae, & Dalmatiae, Croatiae &c. supremo Principi Lithuaniae, ac Haeredi Russiae, & fratri, scutum totius Christianitatis gubernanti, Domino nostro in Christo Deo dignissimo, Joannes Palaeologus Romanorum Imperator, ac moderator in Christo, trophaeo Graecorum.

„ Serenissime & Excellentissime Princeps! per reditum legati nostri ab Excellentia vestra recepimus litteras Majestatis vestrae, ex quarum serie, & nostri oratoris verbis certiores redditi sumus, vos optime, & feliciter valere, qua de re nedum nos, sed & omnes principes christicolae laetari plurimum debent, summumque rerum omnium opificem, ac factorem Deum orare, & obsecrare votis, jejuniis, & orationibus, desistereque honeste non possunt, ut salvus sitis, quia christianissimus estis. Dehinc propter maximam rerum gestarum praeteritarum gloriam, & futurarum incolumem contra perfidos, nequissimosque Teucros, & optimam mentem cum laude Dei, gloria, & unione sacrosanctae religionis nostrae, quae voce nostra digne satis eloqui non possunt. Nam si nobis ora sonantia centum ipse Deus dedisset, laudes vestras satis extollere nequiremus, sed mens conscia recti, votis haec magnanima coepta vestra prosequitur. Verum, quia etiam, ubi facto opus est, verba ipsa non sufficiunt, intellecto, & clarius cognito, sublimitatem vestram contra Teucros ituram hac aestate, decrevimus omnes vires, & studia nostra vestris savoribus addere contra perfidum, crudelissimumque christianorum hostem Amuratum, omnique cura, studio, & diligentia Serenitati vestrae grati esse studemus, & universus ordo christianorum tenetur.

„ Sed dum haec cogitaremus, perficeremus, expectaremusque Majestatis vestrae ad partes orientis adventum, ad notitiam nostram pervenit, Georgium Despotum, & Serenitatem vestram cum dicto Amurato quaedam pacis foedera coepisse, & perfecisse, & ipsum parare legatos suos ad Excellentiam vestram pro concludendis, & firmandis conventionibus. Qua de re plurimum admirati sumus, nec possumus satis intelligere, unde talia processerint, qui victo, superatoque inimico ita perterritus est, ut solum nomine Celsitudinis vestrae ruat ejus imperium, & in praesentiarum cum nulla ei spes relicta sit, velitis his insidiis ipsi tempus praestare ad restaurandas, redintegrandasque vires quo ipse victus, superatusque regnet cum periculo, & ruina multorum principum, populorumque christianorum, qui apertissime vestris viribus, & auctoritate dictum Amuratum,

(1) *Dlugossus* Hist. Polon. Lib. XII. pag. 790.

„ ratum, & ejus loca oppugnarunt. Quapropter in mentem noſtram cadere
„ non poteſt, quod tantus error, glorioſa, & digniſſima principia finiret, quorum Annus
„ fama jam per univerſum terrarum orbem diffunditur, nec indignum Celſitudini Chriſti
„ veſtræ Juſtinianum, & Titum, vere digniſſimos Imperatores, comparaverim. 1444.
„ Quas ob res veſtro nomine, & ſingulari authoritate, & felicitate moti ſunt prin-
„ cipes, & populi cbriſtianorum, ejus ſubditi colligati, vicini, & coadhærentes,
„ ſed etiam ejus fidei complures, Caramanus videlicet, qui magnam Aſiæ orien-
„ talis partem ſuis viribus, & exercitu uſque ad maria adeptus eſt, huic etiam
„ additi ſunt filii Karandugle, & plures alii, & claſſis optata jam ſtrictum (1) de-
„ bet obſediſſe. Unde non eſt credendum, quod tanta, tamque inſperata occa-
„ ſione victoriæ oblata Serenitati veſtræ, viribus omiſſis, cogitationes ſuas ad pa-
„ cem, quæ multas inſidias babitura ſit, convertit, ſed potius ad provehendam
„ gloriam, & famam fidelium, & delendam chriſtianitatis inveteratam maculam,
„ contra perfidos, nequiſſimosque Teucros, qui crudeliter, nequiſſime & fidem
„ noſtram, & chriſtianum nomen impiiſſimeque, ac turpiſſime inſecuti ſunt.
„ Sed ut nulla de laudibus veſtris taceat ætas, & Serenitatem veſtram votis po-
„ ſteritas omnis expoſcat, vincite Titum, qui Iudæos triginta uno denario ven-
„ didit, propter Chriſtum triginta nummis venditum, &, ſi quid in verbis fuit;
„ evaneſcat, redeatque Majeſtas veſtra ad mentis integritatem, qua nulla præ-
„ clarior, aut divinior excogitari poteſt. Nec, ut arbitror, unquam aderunt
„ expoſitoribus, quos nos nullo pacto, die, noctuque cogitantes intelligere non
„ poſſumus, niſi fortaſſe Serenitas veſtra his aures præbuerit, ut facilius Amu-
„ rates Græcia derelicta ad tuendam Aſiam ſe converteret, quemadmodum
„ eum feciſſe die duodecima menſis Julii intelleximus, ſicque facile ſit non re-
„ pugnantes vincere, & omnis occidentalis plaga veſtro nomini ſupponatur.
„ Nam cum ore Salomonis noſtri dictum legerimus: „ *Omne regnum in ſe divi-*
„ *ſum dilabitur*, „ non poterit utramque partem tueri, nec potenti manu, impe-
„ diente claſſe maritima, in Græciam redire, nec futurum parva ſtipante homi-
„ num caterva, qui ſe & ſuos apertiſſimo periculo ſubjiceret, & ſic illum imitabi-
„ tur, qui duos una hora ſectatur lepores, qui altero inſecuto, quandoque
„ carebit utroque. Habet etiam penes ſe conſules venales, quibus nullo pacto
„ confidit, nec poteſt confidere, cum ſæpiſſime minimis in rebus, & paucis per-
„ ſuaſionibus deficiunt, & ſemel mali, ſemper præſumuntur eſſe in eodem gene-
„ re mali., teſtante juris regula. Subditi igitur ejus, adhærentes, vicini, &
„ nos cum ipſis contra Turcum moti ſumus, veſtra ſpe confidentes. Hoc unum
„ novimus, veſtram Serenitatem non eſſe neſciam, jam bello cœpto, cetera
„ ejus loca per nos capta, & in præſentiarum famæ confidentes veſtræ maxima
„ bella paravimus, apertiſſime, non per inſidias, non per diſſimulationes, ſed
„ omni cura, ſolicitudine, diligentia, ſtudio, & labore, & plurimis impenſis
„ ad ſanctum opus perficiendum, omnia neceſſaria belli cum viris expertiſſimis,
„ & omni conatu exire inſtituimus, multos etiam noſtrorum nobilium maximis
„ periculis expoſuimus, dum bortamur populos Chriſtianorum vicinos, & ſubdi-
„ tos Teucrorum ad ſuam liberationem, & fidei noſtræ augmentum, qui omnes
„ animis, armis, opibusque paratiſſimi ſunt, exſpectantque Serenitatis veſtræ ad-
„ ventum, quemadmodum Sanctiſſimi Patres Chriſti adventum operiebantur.
„ Et tantus eſt magnitudinis veſtræ apud hoſtes tremor, quod Amurates non
„ audet eos, qui a ſua jurisdictione defecerunt, infeſtare, nec verbis ſuis repre-
„ hendere, licet apertiſſime jam ex ſubditis, & amicis boſtes effecti ſint.

„ Itaque plurimum admirantes admiramur, quod Excellentia veſtra victrix,
„ & triumphans contra eos, qui nomine magnitudinis veſtræ liqueſcunt, quemad-
„ modum nix a ſole, & nebula a vento, & cera ab igne, velit aures factioni-
„ bus præbere, præſertim, cum de adventu veſtro, tot Majeſtatis veſtræ ſcripta
„ emanarunt. Itaque conſiderantes dedecus, cognoſcentes periculum, & intel-
„ ligentes damna eorum, qui veſtris ſuaſionibus his bellis ſe implicaverunt, ne-

 „ dum

(1) Boſphorum & Helleſpontum reor intelligi.

Annus Christi 1444.

„ dum Excellentiam vestram, sed quemcunque etiam infimum hominem a tam „ egregio facinore, & tam vulgato deficere, nefas esse judicaremus, nihilo- „ minus ut certiores simus de omni rerum eventu, harum latorem nostrum Domi- „ num mittendum duximus, qui ut arbitramur, Majestatem vestram in itinere re- „ periet, cujus litteris intelligemus, & exequemur, quidquid poterimus in favo- „ rem, & honorem, & gloriam Celsitudinis vestræ. Si tamen, quod in mentem „ cadere non potest, aliter esset, Excellentiam vestram hortamur, & depreca- „ mur, dignetur clarissime, sine aliqua dubietate, & obscuritate nos de cogitatio- „ nibus, consiliis, & deliberationibus vestris certiores facere, ut possimus re- „ bus nostris providere, ne errantes in damnosos, & mortales laqueos incurramus „ præter mentem, & opinionem Serenitatis vestræ, quam iterum, atque repe- „ tentes obsecramus, ut nobiscum omnia clare communicet, & verissime aperiat, „ speramusque, quod Deo dante hæc magnanima Serenitatis vestræ opera favori „ sanctissimæ fidei cedent, & gloriæ Sublimatis vestræ, cujus nomen, honos, „ laudesque apud nos, & posteros nostros semper in honore erunt, cogentibus „ & rebus optime gestis præteritis, & clarissimis litteris vestris. Declaran- „ tes nobis, quid acturi simus, parati sumus ad omnia placita Majestatis Vestræ „ optimo corde, quam Deus per longissima tempora felicissime custodiat. Da- „ tum in urbe nostra Misistra. Anno Domini MCCCCXLIV.

Rexque rex pacta cum Turcis inita ob non servatas conditiones rescindit.

Hactenus Palæologi litteræ: ex quibus perspicue intelligas, nuncios ab Amurate missos, non tam legatos, quam exploratores ineundæ solum pacis fuisse, quod oratores publica fide & auctoritate munitos serius postea mittere constitutum haberet, qui venerintne re ipsa, an contra, nihil habeo, quod fidenter affirmem. Quo magis miror, haud paucos memoriæ prodidisse, Julianum Cardinalem primum omnium fuisse auctorem, ut rex pacem, quam non ita pridem jure jurando cum Turcis firmaverat, fœdifragus in bellum commutaret, quando græcanicæ litteræ in clariori luce sunt, quam ut propterea illustrari a me debeant, etsi non inficier, ubi plerosque ob conciliatam cum barbaris amicitiam pœnitentia ductos conspicatus esset, tempore usum, eo citra difficultatem omnium pene voluntates adduxisse, quo suapte jam prius inclinabant. Lectis enim Palæologi litteris, omnes, regem præcipue, ingens pudor habebat, quod ob privatas, & ex barbarorum ingenio haud certissimas utilitates, socios, quibus ipsi prius belli auctores fuerint, & rem christianorum tam leviter, iisque inconsultis prodidissent. Auctus pudor fuit non multo post tempore, cum legatus ab Scanderbego quoque advenisset, auxilia triginta millium pollicitus, qui in eam rem litteras fidei testes regi exhibuit. Lectæ sunt palam audientibus optimatibus, & exercitu, in hunc modum exaratæ. (1)

Confirmatur in proposito litteris ab Scanderbego allatis.

„ Scanderbegus Epirensium Princeps, Wladislao Hungariæ, ac Polo- „ niæ regi S. P. D. Accepi litteras tuas lætitia, desiderioque pari Invictissime „ regum; quas cum in maxima Ducum meorum frequentia legi jussissem, ne- „ mo omnium est auditus, qui tam justi belli occasionem a te oblatam non ul- „ tro adeundam censeret. Ita & publice omnes, & privatim singuli dicere, „ gratius quidquam hodie ab immortali Deo sibi tribui non potuisse, quam ut „ & optimum regem aliquo sibi non ingratorum animorum officio devincirent, „ & rei christianæ simul tam opportunam operam præstarent. Gavisus sum „ maxime ipse in ea meorum voluntate, tum tua in primis, tum communi cau- „ sa, cum ita animatos pro Christi fide, & affectos tibi milites nostros, & „ omnium generum ordines, vel sine ulla adhortatione mea viderim, quamquam „ quis nisi Deo pariter, & hominibus invisus tam justissimum bellum recusaverit, „ ut nullus sit religionis pudor, nulla communis periculi ratio, pro eo rege, „ ad quem, quod regnamus christiani, quod vivimus, quod spiramus, quod „ loquimur, unice referre & possumus, & debemus. (2) Quis non arma li- „ bens

(1) MARINUS BARLETIUS Turcic. Chron. Lib. I.

(2) Ex hoc conjectura eorum facile confirmatur, qui Castriotum communicato cum Hunyiade consilio, Turcos prodidisse, eaque via ad paternum principatum eluctatum esse memorant.

" bens sumserit, & in apertum etiam ruat discrimen pro Hungariæ populis, Annus
" quibus tanto malo, sanguineque per omnes ætates christianæ salutis defensio Christi
" stetit, qui vel ab ipsis prope incunabulis æterni hostium nostrorum hostes, 1444.
" christianæ se se dignitati jam inde devoverunt. Utinam vellet Deus Opt.
" Max. Wladislae! ut possem ipse ad hoc præclarum bellum tibi tantum affer-
" re virium, quantum sum animi, & cupiditatis allaturus, non jaceret diutius
" fortasse in eo squalore Europa, ab impio oppressa Amurate; non velut
" piaculo quodam aliorum fumarent toties Hungarico cruore - - campi, &
" epirotico sanguine omnis Macedoniæ angulus. Perimus jam omnes, dum
" quisque sibi se tantum natum existimat. Sed quid nunc ipse mecum has in-
" utiles querelas jacto, & nequidquam conqueror? profecto neque virium me
" mearum pœnitet omnino, neque si secundo Deo acies tecum mihi ad tam
" felix bellum conjungere licuerit, fortunæ nostræ christianum nomen, ut arbi-
" tror, nunquam pænitebit. Ad ea namque quindecim millia militum, quæ in
" Macedoniæ finibus nuper Aly-Bassam fugarunt, todidem adjicere in animo
" est. Cum quibus quam primum integrum fuerit, ad vos iter arripiam, si-
" gna tua in omnem eventum secuturus. Vale. Ex Croja, pridie nonas sexti-
" les, MCCCCXLIV.

Adjecerat orator Castriotum ad quindecim millia, quæ in Macedoniæ finibus adversum barbaros excubarent, decreto per provincias interposito, decem hominum millia conscripsisse, ceterorum, quos pollicitus esset, numerum brevi completurum, quod audita belli Turcis inferendi fama plerique sponte sub signa confluerent, quibus in legiones divisis, præstantissimos Duces cum mandatis dederit, ut primo, quo fieri posset, tempore, finibus Misiæ appropinquent, sibique isthinc præstolentur. Quibus dictis ingens inter plerosque obortus est fremitus, bellum elata voce deposcentium, asserentiumque, quando huc res devenisset, ut armorum socii, quos in belli communionem prius ipsi attraxissent, Hungarorum causa periclitarentur, æquum plane esse, ut pace, quæ insidiosa esset, posthabita laborantibus succurrerent, fidem se eam in rem publicis litteris dedisse, fortunarum potius, vitæque quam illius periculum facturos, pertinere id non solum ad famam, & spem de se in orbe christiano jam excitatam, sed regni quoque commodum; neque videri barbaros bona fide pacem servaturos, qui ad præstitutam diem ditiones, quas bello aquisierant, nondum, ut se facturos jure jurando polliciti sunt, dominis restituissent. Quæ cum palam, & promiscue jactarentur, neque rex, & in quo post regem maxima in utramvis partem auctoritas erat, Hunyiades cum Despota quidquam opponerent, Julianus Cardinalis occasionem loquendi nactus, converso ad concionem sermone, *a fœdere*, inquiebat, *de quo cum Turcis transactum videtur, quamquam inane, irritumque fore spero, mallem abstinuissemus. Non quod jus, religionemve illius aliquam, si bellum prosequemur, violatum intelligi oporteat, sed quia dandis, accipiendisque conditionibus bonam partem temporis, prosequendæ expeditioni aptissimi, frustra consumsimus. Contradixissem jam tum ab initio, sed acclinatiores animos vestros ad concordiam vidi, quam ut credere possem, oratione mea ad rem erigi. Præterea sciebam hæc omnia, quæ vobis hodie nunciata sunt, de facilitate debellandi in Europa, Turcis implicitis, detentisque bello Asiatico, fore, uti paulo post nunciarentur; maluique expectare, donec ea crederetis aliis, quam intempestive prædicendo committere, ut fingi a me, & per vanam spem jactari arbitraremini. Nunc quando, ut volui, asseveratio victoriæ vestræ ad vos aliunde, quam a me pervenit, & ita esse, ut scribitur, non minus, quam optabam, credere vos indicat incæpti pænitentia; non, gerendum ne sit bellum, quod omnes necessarium intelligitis, si cum decoris prius partis, salutem, libertatemque vestram retinere vultis, sed liceat, nec ne geri post qualemcunque hanc utrinque fœderis transactionem, explicandum a me sentio. Video enim plerosque inanibus fidei, ac fœderis nominibus suspensos, intra se, non tam quid facere velint, quam quid æquum sit deliberantes; quasi verba quædam inconsulta, per spem, metumque mutuo jacta-*

Hinc bellum in barbaros decretum.

Juliani Cardinalis ad id obmovendum rationes, & causæ.

Annus Christi 1444

ta, nomen sanctitatemque fœderis obtineant, cum id demum jure sit fœdus, quod ab illis, quorum res est, initum, non verborum sponsio, sed conventorum expleta fides confirmaverit. Huic neque paciscentium affuit auctoritas, neque pactorum subinde accessit executio; sed nomen tantum fœderis, & ceremonia, temere jactata sunt, quæ non prius sancta sunt, quam promissa utrinque cum fide absolvantur. Atque ut incipiam ab eo, quod sponsionis caput esse videtur, tamdiu forsan liberum regi fuerat, de fœderibus, & pace cum Turcis agere, quoad incliti hujus regni viribus, & felicitate bellum gessit, quoad nulla externa ope adjutus, privato sui regni discrimine, ac sumtu publicam rei christianæ salutem, majestatemque tutatus est; ubi vero cum aliis quoque christianis principibus consilia, totamque gerendi hujus belli rationem communicare placuit, eorundem consensu bellum intermitti oportuit, quorum opibus auspiciisque geri susceptum oportebat. Sed ut res tota non secus atque ante adjunctam sibi aliorum principum manum regis tantummodo fuisset, nedum fœdus cum ejusmodi hominum genere, sed nullius omnino rei commercium inire licuit, & initum non tenet injussu Pontificis maximi. Huc adde susceptas ab hoste conditiones minime expletas esse, & qua re, etiamsi nihil aliud, omnia quæ dicta, factave dicuntur, inania redderentur. Tamen, quia conventorum fides, quæ ab illis frustrata est, minime confirmavit sanctitatem, religionemque fœderis, intelligendum est, ab sponsione sua, si qua ea fuit, non solum absolutum regem, verum etiam per dolum, & simulationem, proposita, transactaque esse singula, ab oratoribus, qui pacem petitum ad nos venere. An si hostis initurus fuisset id fœdus, quod stabile, & ratum vellet, si ejusmodi postulatio, & sponsio fraude omnino vacua futura erat, non habuit, quem de pace acturum mitteret, alium, quam hominem, lingua, genere, moribus, & denique præter simulatam religionem, tota vitæ ratione ab ipso alienum? qui nihil vere, religiose, & sancte a Turcis promittere, neque ex adverso stipulari posset; ceterum, cujus pacta, promissaque omnia, si ex usu videretur, sine verecundia rejici, atque improbari liberum foret. Sed & pudebat eum, tam supplicis actionis simulationem explicare per hominem suæ gentis, cavitque verecundiæ, ne quid submisse, ne quid infra vulgatam animi, viriumque suarum magnitudinem ageretur a suis; & noluit regem gloriari posse, supplicantem Turcam sibi aliquando audivisse. Præterea, cum tota actione multa simulanda forent, non alterius artibus facilius decipi nos posse arbitratus est, quam ejus, qui nobiscum de religione paulo ante sensisset, ut, quæ per se non satis fidem facerent, religionis velamento involuta in animum nostrum descenderent. Ceterum si quæ placuissent, impetrata forent, cogitavit se pactis staturum; sin minus, simulatione concordiæ, se id saltem commodum percepturum, ut ad gerendum bellum posset sibi interim consulere. Quæ ita esse indicat frustratus terminus eorum omnium, quæ per fœdus ab ipso fieri oportebat. Scio Despoti, sed in primis Huniadiano tantam esse rerum hostilium peritiam, tantum experimentum, ut nefas sit dicere, non omnia sic se habere, ut sit eis persuasum. Sed illum cupiditatem simul liberandorum filiorum, simul recipiendi amissum decus, & fortunas: hunc vero diffidentiam auxilii a sociis affuturi adegisse crediderim, ut non tam acriter, quam poterant, animum intenderent. Ceterum non debet cujusquam gratia, aut auctoritas apud animum vestrum plus valere, quam veritas: cum intelligatis tali fœdere neminem teneri vel quod sine auctoritate ictum, vel quod per fraudem ab hoste, minime impletis conditionibus, sit dissolutum. Sed ut omnia legitime a rege, nihil insidiose ab hoste actum constaret, meminisse fidei debetis, quam christianis, vocatis, admissisque in partem belli, paulo prius, quam Turcis, obstrinxisse vos constat. Et cum deliberatio vestra iis angustiis inclusa sit, ut data fides minime possit utrinque subsistere, sintque alterutri deserendi, neminem dubitare convenit, quin eo quisque potius vobis sit servandus, quo arctiore conjunctione vos contingit. Porro quid vobis cum hoc genere hostium convenit, a quibus professione, moribus, totiusque vitæ instituto, ac ratione distatis? quid cum christianis non conjunctissimum est? Atque ut omittamus mcomu ia immortalitatis initia, famam, sacrificia, sepulchra eadem, tum ceremonias, & sacrorum ritus, quibus animi vestri multo arctiori necessitudine inter se conjuncti sunt, quam si natura ipsa, iisdem parentibus orta

Annus Christi 1444.

orta corpora, conjunxisset, non ne qui paulo ante in Hellespontum classem suam misere, pro salute, pro gloria vestra, communicando vobiscum vires, suscipiendoque belli una gerendi negotium, indissolubili omnino vinculo vos sibi devinxere? quodque nisi per æternam labem, atque infamiam ingratorum animorum violare non possitis. Atque ideo, cum ex parte altera ii sint, qui ad humana, divinaque omnia, quæ vobiscum habent communia, addidere recentissimum beneficium submissorum vobis auxiliorum, quique, ut nulla nova sponsio intercedat, tot humanis, divinisque propinquitatibus vos contingunt, ut sine inexpiabili scelere deseri nequeant, ex altera vero hostis immanis, perfidus, qui non per bellum tantummodo a vobis discrepat, sed religiones alias, cultusque divinos professus, omnia, quæ vobis sacra sunt, veluti profana, contemnat, & si possit, violet, cuique nec dari fides potuit absque nefario crimine, nec postquam data creditur, potest sine graviore culpa servari, non debet esse magna deliberatio, cum hoc ne, an cum illis conventa, sint exequenda. Si perseveratur in suscepta concordia, præterquam quod elusi estis, frustratis ex parte altera conditionibus, contaminati inexpiabili facinore, amissaque gloria priore bello parta, sub quotidiana bonorum omnium execratione infamem vitam agetis; sin vero, quod per se etiam vanum irritumque est, repudiato impio fœdere, bene de vobis meritis, aderitis eo in discrimine, in quod per vos adductos non ignoratis, ad securitatem, qua subinde vestra possidebitis, cum immortali gloria, non modo ea, de quibus in concordia mentio est, sed cetera omnia, quæ a dira gente possidentur, in Europa recuperabitis. De cujus rei facilitate dicerem, nisi perpenderem, satis per litteras suas persuasisse vobis Græcum Imperatorem, & Franciscum Cardinalem; quorum auctoritas in eo tanto gravior sit oportet, quanto propinquiores sunt hosti, & judicant ex re præsenti. Sed & major trepidatio hostis, quam ut satis ab ipsius oratore dissimularetur, supra omnem orationem stimulare vos debet, ad occasionem vestram capessendam. Quam si prætermittetis, cogemini tandem despecti, ac destituti ab omnibus, dubium, dedecore, an periculo majore, intra fines vestros eam dimicationem subire, cui vos impares esse, implorando extrema auxilia, jam pridem profitemini. (1)

Rex juramento se obstringit, a bello se non destiturum

Accepta est Juliani oratio magna ab omnibus animorum consensione, vulgi in primis, cui Wladislaus quoque, sociorum præcipue causa, quos ita leviter destituisse pudebat, & Cardinalis auctoritate victus, haud difficulter accessit, Despota, & Hunyiade nihil obmoventibus; quorum ille facilitate, quæ in debellando hoste apparebat, invitatus, hic contra regis sponsione pellectus, qua se ei Wladislaus Bulgariæ regnum a profligato bello daturum promisit, litterasque, quibus ejus rei fidem facit, optimatum nominibus signatas dederat, minus fortiter, quam ceteroquin rei gravitas postulabat, obstitere. Itaque omisso fœderum studio, decretum contra pacem ex optimatum scitu vulgatum est, & ad summum Pontificem, Græcorumque Imperatorem, tum Franciscum Cardinalem Burgundiæ classis præfectum, ceterosque principes, ad quos initæ cum Turcis amicitiæ fama pervaserat, transmissum. Ejus tenor hujusmodi fuit (2)

Juramenti formula.

„ Nos Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ „ Rex, Lithuaniæ Princeps supremus, & Hæres Russiæ ad universorum notitiam. „ Dudum in conventione generali Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium hu„ jus regni nostri Hungariæ, Budæ novissime celebrata pro honore omnipotentis „ Dei, ac pro defensione, & augmento fidei christianæ, & pro bono totius Eccle„ siæ Catholicæ, præsertim pro liberatione hujus regni nostri, & partium cir„ cumstantium, quas ipsi Turci multis retro actis annis atrocissime sunt persecuti, „ & de præsenti persequi non cessant, decernimus, firmamus, & stabilimus un„ animi consensu, & voluntate totius prædictæ conventionis, ire personaliter, „ & nobiscum ducere ista ætate, seu anno præsente exercitum versus partes „ Græciæ, & Romaniæ, & cum Dei adjutorio, totis viribus nostris laborare ad „ exterminium dictorum impiorum Turcorum, idque pro majori rei firmitate „ juravimus in manibus Reverendissimi in Christo Patris Domini Juliani Cardi-

nalis

(1) CALLIMACHUS lib. cit.

(2) DLUGOSS. Hist. Pol. Lib. XII.

Annus Christi 1444. „ nalis S. Angeli, Apostolicæ sedis legati, executioni demandare, ad consolationemque, totius Christianitatis hanc nostram puram intentionem, ac deliberationem, nostris litteris, manu nostra subscriptis, significamus Sanctissimo in Christo Patri, & Domino Domino nostro Papæ, Eugenio IV. & Serenissimis Regibus, & Principibus Christianis, propter quod nemo quoque modo cogitare debet, quin nos tam sanctam deliberationem, solennem, juratam, & ubique publicatam, velimus, & omnino disponamus, Deo propitiante, ad executionem & optatum finem deducere. Nihilominus, quia nonnulli propter adventum oratorum Amurati Imperatoris Turcorum fieri postulatum adhuc dubitare videntur, an prædictam deliberationem Budæ factam, & nunc juratam exequi velimus, idcirco ad tollendam ex animis quorumcunque hujusmodi de nobis dubitationem, seu suspicionem, aut ambiguitatis scrupulum, & præsertim, ut Reverendissimi in Christo Patres, & Domini Domini Franciscus Venetus Vicecancellarius, & prædictus Dominus Julianus supremus Pœnitentiarius, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Apostolicæ Sedis legati, nec non Magnifici Capitanei Galearum, tum Illustrissimi Domini Ducis Burgundiæ, quam Illustrissimi Domini Venetiarum peramplius de sinceritate, & integritate mentis nostræ, firmitate nostri propositi, ac observatione nostræ præscriptæ deliberationis & promissionis certificentur, & assecurentur, de consensu, & assensu nostrorum Prælatorum & Baronum apud nos existentium, tam eorum, qui nobiscum ad exercitum venire debent, quam eorum, qui in regno nostro remanent, in verbo regio, & bonore nostro, ac sub fide christiana, in qua Sanctissimum Baptisma recepimus, & vitam consequi speramus, Domino Cardinali S. Angeli legato spondemus, promittimus, & pollicemur, juramusque, & votum facimus, SS. Trinitati, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & gloriosissimæ Virgini MARIÆ, Dei Genitrici, ac omnibus Angelis, & Sanctis Dei & præsertim Beatis Regibus, Stephano, & Ladislao, Patronis hujus regni nostri, prædictam deliberationem nostram, & promissionem Budæ factam, effectualiter demandare, & infra primam diem septembris proxime sequentis, esse cum nostro exercitu supra vadum Danubii apud Orsowam, vel apud alia vada, & loca inferiora, & immediate incipere, transfretari, & successive continuare effectualiter, sine intermissione temporis transfretationem exercitualiter, sine dolo, & fraude, vel alio quocunque excogitato colore iter nostrum in Romaniam, & Græciam, & alias partes, quas tenent Turci in, & circa mare, & facere quidquid nobis est possibile pro viribus, & potentia nostra, ut Turci isto anno expellantur de partibus Christianitatis ultra mare, non obstantibus quibuscunque tractatibus, aut pactitiis, seu conclusionibus, aut capitulis trengarum factis, vel fiendis cum Imperatore Turcorum, vel ejus nunciis, seu ambassiatoribus prædictis ipsius nomine, sub quacunque forma verborum, etiam juramento firmatis, vel firmandis, quibus omnibus per hanc præsentem nostram promissionem, juramentum, & votum volumus expresse, & specifice derogare, & derogatum esse, ita, ut nullo ingenio, colore, vel prætextu quoquo modo cogitari possit, hujusmodi promissio nostra, juramentum, & votum infringi violari, impediri, aut differri valeat, vel possit. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus, & publicari, ac nostri sigilli, quod ut rex Hungariæ utimur, appensione muniri, Datum in Szegedin quarta die Augusti, anno Domini MCCCCXLIV.

Eodem Sacramento proceres fidem suam obstringunt. „ Et nos Simon de Rozgon Episcopus Agriensis, Regiæ Majestatis Supremus Cancellarius, Joannes Episcopus Varadiensis, Raphael Herczeg de Zegew, ad Episcopatum Bosnensem postulatus, & Joannes de Hunyiad Wayvoda Transilvaniæ, qui cum privato Domino nostro Rege ituri sumus, promisimus, juravimus, & vovimus in forma superius expressa. Et nos Petrus Episcopus Chanadiensis, Laurentius de Hedervara Regni Hungariæ Palatinus, Georgius de Rozgon, Judex Curiæ Regiæ, & Comes Posoniensis, Simon de Palocz Magister Agazonum regalium, Michael Orszagh de Guth Supremus Thesau-

Annus Christi 1444.

„ Thesaurarius Domini regis, Emericus filius Vayvodæ de Marczal, pridem
„ Comes Simigiensis, Paulus filius Vayvodæ Bani, de Also Lindva, Simon
„ Judex de Onod, Magister Pincernarum regalium, Joannes de Losonz, Pau-
„ lus Herzeg de Zegew, Robertus de Tbur Banì de Macedonia (1), & Syl-
„ vester de Thorna Comes de eadem, qui in hoc regno remanemus, in signum
„ hujus nostri consilii, & assensus, ad prædicta etiam nostra sigilla penes sigillum
„ dicti Domini regis apponi fecimus. Datum in Szegedin die quarta Augusti
„ MCCCCXLIV.

Wladislao in Thraciam cum exercitu movendi

Sub hæc certis nunciis affertur, Amuratis oratores tametsi non ad præ-
stitutum diem, bona tamen fide, dimissis Despoti filiis, oppida omnia cum capti-
vis, ut conventum erat, restituisse. Quæ res quamquam Wladislaum conster-
nare visa sit, propositi tamen, & fidei tenax Szegedino movit, sed copiis ali-
quanto, quam superiori anno, paucioribus, quod & magnam Polonorum partem,
quos futura pax parum necessarios videbatur facere, cum Valachis domum mi-
serit, & vulgato cum Turcis fœdere minor volonum numerus sub signa conflue-
ret, quam ad gerendum ex sententia bellum ceteroquin necessarium esset. Itaque
cum e re videretur lentis de industria itineribus progredi, quo cruce signati ex
regno facilius concirentur, non prius, quam pridie nonas novembres Orsovam
perventum est. Inde trajecto penitus Danubio ad Vidinum constitere, quin
ullum bostibus maleficium inferrent. Constituerat enim rex, ab omni dimica-
tione abstinere, quoad se cum navalibus copiis ad Callipolim Hellesponti urbem
conjungeret, quo Palæologum Byzantio, Scanderbegum ex Macedoniæ fini-
bus moturum pro comperto habebatur. Duplex isthuc via ducebat: altera per
eam oram, qua Thracia Macedoniæ conjungitur, brevis illa quidem, sed quod
Hæmi montes perpetuis, asperisque jugis horridi essent, vebendis impedimentis
minus expedita, difficilisque, altera per Bulgariæ plagas orientem versus, tum
in meridiem ad pontum convergens, quamquam salebrosa, traducendis tamen
curribus idonea, quibus carere tum commeatus, tum hostium causa periculo non
vacabat, quod eorum usum in pugnis adversus barbaros præstantissimum esse
non uno experimento nostri didicissent. Hac igitur Wladislaus inter Danubium,
& Hæmum medius cum exercitu profectus Nicopolim pervenit. Hic cum tri-
duo militem quiete reficit, ac futuro itineri parat, Valachiæ montanæ Dracula,
hoc enim nomine gens principem suum appellat, & belli fama, & Hungarorum
adventu excitus regem officii causa salutavit. Cum vero illorum, qui eum se-
quebantur, paucitatem videret, admirationis plenus, regem vehementer orare
cœpit, ne se tam manifesto discrimini prudens volensque objiceret: nolle se ma-
lo suo vires Amuratis, qui plures sæpe servos ad venatum educere consuesset,
quam rex milites sub signis censeret. Abstinendum sibi omnino videri, ab hac
destinatione, quæ, si nihil etiam temeritatis, plurimum certe periculi habeat.
Reduceret prius copias, quam hostis appropinquaret, quæ ceteroquin, quam-
quam nihil metus a barbaris affuturum erat, aeris intemperie, ac instantis hye-
mis tempestate cum maximis ærumnis conflictaturæ essent. Hæc se amicitiæ
causa, qua regi multis nominibus obstringeretur, etiam atque etiam suadere,
serum postea futurum consilium, ubi huic rerum omnium penuria, locum, ac
facultatem eripuisset. In hanc sententiam cum loqueretur Dracula, multique di-
scriminis magnitudine consternati in proposito nutarent, Julianus Cardinalis in-
tempestivum suasorem interpellans, minime mirari se eum inquiebat, qui a bel-
lo tam vehementer abhorreret, quem constet fœdere cum barbaris illigatum.
Non hanc Hungaris mentem esse, ut pericula metuant: quamquam non videri
a se omnino, ubi, quæ commemorasset, pericula laterent, quod vacua omnia
defensoribus essent. Amuratem cum præcipuo militum robore trans Hellespon-
tum vix sustinendo uni Caramaniæ regulo parem esse. Aditus omnes ab Italica
&

Valachiæ Dracula occurrit.

frustraque, uti a bello desisteret admonito.

(1) Hæc dignitatis nomina nusquam alias nostris usurpata legi. Itaque spe illius regionis subjugandæ, hæc dignitas ab rege collata fuerit.

Annus Christi 1444.

& Burgundica classe obsessos, a qua satis molestiarum hosti crearetur, si reditum pararet. Ad hæc Græcorum Imperatorem non temnendo numero sub ipso Hæmi monte sociis occursurum, cum interea Castriotus alia parte cum Epirotis in suppetias veniret. Quibus auditis obtinere ab se Dracula non potuit, ut iis, quæ Julianus in medium afferebat, tametsi vere hæc dici putabat, consentiret, quasi illorum, quæ reipsa evenerant, præsagus fuisset. Ad extremum, ne nihil ipse quoque christianorum causa faceret, quatuor equitum millia ex suis duce filio regiis copiis conjunxit, addiditque homines viarum, ac regionis peritissimos. Tum munus quoque adjecit, duos equos, miræ, ac inusitatæ pernicitatis, quorum usus, si ita periculum, necessitasque ferret, regi saluberrimus esset. (1)

Auxiliares copias, donaque adjungit.

Rex vulgatis litteris belli causas per Turcarum ditiones explicat.

Auctior inde copiis Wladislaus iter in Thraciam convertit, ad cujus limites cum pervenisset, litteras per provinciam vulgavit, quibus se apertum barbaris bellum inferre incolis significabat, monuitque, ut hi obedientiam hosti detrectarent, barbari vero, quæ præsidio tenebant, loca sponte desererent. Litterarum hæc sententia fuit. (2) *Nos Wladislaus Dei gratia Hungariæ, & Poloniæ rex, vobis, qui castella de Sumi, de Maboracz, de Pesech, de Warna, de Galatha, ac alia provinciæ Thraciæ castella in contemptum christianæ religionis occupatis, & christianos homines, Græcos, & Bulgaros, qui, ut in lege Domini ambulent, ab orientalis Ecclesiæ ritu ad unionem occidentalis Ecclesiæ sub Eugenio Papa IV. novissime venerunt, sub jugo, & servitute vestra tenetis, persuademus ac etiam mandamus, christianos ipsos, pro quorum libertate ex nostris regnis Poloniæ, & Hungariæ huсusque pervenimus, & Deo duce progrediemur ulterius, propria eorum libertate donetis, Deo & Ecclesiæ Romanæ servituros, locaque prædicta nostro, & catholico imperio adjicientes in manibus nostrorum militum resignetis, & ad urbem Callipolim, ac in Asiam ad antiquam sedem vestram Natoliæ vos transferatis. Quod ut facere tuto possitis, tenore præsentium vobis omnibus, & singulis memoratis salvum, & securum conductum validum cum effectu regia libertate nostra concedimus. Quod si præsentibus litteris pergitis esse rebelles, exercitum nostrum contra vos successive ducentes, militibus nostris in prædam vos dabimus, & interitum. Nos jurejurando nostro vovimus omnipotenti Deo, ac unigenito Filio ejus Jesu Christo, Domino nostro, vos, & Principem vestrum Amuratem, quem nominatis cæsarem, Domino auxiliante, invadere, & quantum in nobis fuerit, persequi, & debellare, tanquam nostros, & universæ reipublicæ publicos inimicos.*

Et in Thraciam profectus, oppida pleraque partim vi, partim deditione capit.

A promulgatis litteris castra ad Pamisum amnem promota, qui cum ab Hæmo monte ortus inter Mesembriam, & Odessum Euxino illabitur, ingentemque Scapharum multitudinem contineret, haud temere creditum est, eam navicularum copiam, quibus facilis in pontum, ex hoc in Danubium aditus esset, infestandæ Hungariæ a barbaris designatam fuisse. Itaque igni omnes crematæ, ne usui deinceps hosti forent. A Pamiso Hæmus facili ascensu in clivum arrigitur, qui cum superandus ab eo incendio esset, placuit, ne sese insidiis hostium temere implicarent, copias bifariam ita dividi, ut, Hunyiades cum auxiliariis Valachis, tribusque Hungarorum millibus præiret, hunc currus, ac impedimenta confestim sequerentur, rex cum suis modico intervallo agmen clauderet. Hoc ordine profectus miles citra maleficium Thraciam tenuit. Qua re consternati barbari loca, quæ tenebant, aut suapte deseruere, aut nostris conciliatione pactorum dedidere. Sumium, & Pesechium arces, quod editiori rupi insiderent, vim ac defensionem apparabant. Id cum nostris ob multas causas, tum præcipue ob situs opportunitatem periculosum videretur, ne se, si fortasse reditus hac parte recipiendus esset, excludi a Bulgaria contingeret, oppugnatio mira omnium consensione decreta est. In qua Polonorum maxime virtutem enituisse perhibent, qui primi omnium conscensis incredibili fortitudine muris viam reliquis ad capiendas arces complanarint. Ea victoria cæsis quinque Turcorum millibus nobilitata est, idque unum comperio, quod feliciter a nostris ea expeditione patratum fuisset. (3)

Inter-

(1) CALLIMACH. Lib. III.
(2) DLUGOSS. Hist. Polon. Lib. XII.
(3) CALLIMACHUS Lib. eod.

Annua Chriſti. 1444.

Interceptis boſtium latibulis, quod nihil præterea inimicum ſupereſſet, porro in mediterranea Thraciæ proficiſci conſtitutum erat, cum præter omnium opinionem litteræ a Franciſco Cardinali claſſis præfecto afferuntur, quibus trepide ſignificat, Amuratem, aut dolo eluſis, aut corruptis auro ſpeculatoribus infra urbem Callipolim, qua Helleſponti ſauces maxime coeunt, ingentem exercitum in Europam traduxiſſe, junxiſſeque cum iis, qui ad Thracicam Cherſoneſum prius ſe congregaverant. Fama fuit centum barbarorum millia, penſo viritim numo aureo, Genuenſium navibus ex Aſia in Europam traducta fuiſſe. Cujus tamen periculum Aeneas Silvius eo tempore vivens, cum in ſe recipere vereatur (1) ego quoque, quid in utramvis partem vere dici poſſit, affirmare non auſim. Eo nuncio ingens oborta inter noſtros trepidatio eſt. Neque enim Græcorum ſuppetiæ condicto tempori, locoque aderant, & ab Scanderbego nunciabatur, ſe, quo minus, ac receperit, jam regi cum auxiliariis præſto eſſet, ab Serviis impeditum, qui ſibi aditus, per quos neceſſarium iter erat, obſepſiſſent, daturum tamen operam, ut perruptis omnibus obſtaculis fidem quantocyus liberet. Quibus cognitis, cum rationes vehementer conturbatæ eſſent, deliberationem commutari itidem oportuit, præſertim, quod complures, iique ex gravioribus viris, tamquam rerum, quæ futuræ erant, præſagi, magnopere ſuaderent, ut rex prius, hoſtis quam in propinquo eſſet, reditum maturaret. Fruſtra tamen hæc ſuadebantur. Wladislaus deſertis, quæ prius occuparat, Peſechi montanis ,copias in planum deduxit. Carpebant id plerique, quod locus is ſuapte natura ſic communitus erat, ut retrorſum liberrimos pro advehendo commeatu aditus haberet, antrorſum vero a pauciſſimis ingens exercitus, ſi non propulſari, ſuſtineri certe abſque jactura poſſet. Ex quo haud vanam nonnulli conjecturam capiebant, regem, quod armorum ſocii ex pacto convento non adeſſent, re ipſa domum copias reducere conſtituiſſe, ſed morbo ex itinere interceptum ſuis ingratiis ad conferendam deinde cum hoſte pugnam adactum eſſe. Utcunque id ſit, rex per vallem Rhodopen ad pontum bidui itinere profectus, decimis caſtris ad Cavarnam conſtitit. Fuit id ea parte, qua Hæmus ſiniſtrorſum ad mare pauliſper declinat, frequens oppidum, Turciſque obnoxium, ſed quod barbari metu adventantis hoſtis conſternati noſtris vacuum reliquere. Illius exemplo paulum poſt Callacrium, Macropolis, Galata, & Varna, nobiles circum Euxini maris litus urbes in noſtrorum deditionem venere. (2)

Inter hæc affertur, Amuratem cum copiis Helleſpontum trajeciſſe.

Et Caſtriotum cum Serviis bello implicari.

Itaque rex periculo territus reditum parat.

Eſt ea plaga, qua prope pontum in meridiem tenditur, eleganti, amœnoque ſitu, quod Hæmus mons per colles modice tumentes hic initia ſumens valles irriguas efficit, quæ partim in ſe miro plexu coeuntes, partim clivis diſcriminatæ, præſertim ad Varnam urbem, regionis faciem mirifice intercipiunt. Ipſa autem Varna portui, quem mare iſthic anguſtiſſimum, neque graviorum navium capacem ſinuat, inter duo promontoria adjacet, in quorum altero Galata, in altero Macropolis viſuntur. Dextrum urbis latus aprica juga vitibus conſita ambiunt: inde vallis porrigitur agreſtibus vicis frequens, & culta: ſiniſtrorſum, ubi Galata rupi inſidet, paluſtris ſecundum colles lacuna in vicinam uſque vallem reſtagnanti aqua protenditur, urbemque acceſſu impeditiſſimam reddit. Hæc legentium oculis ſubjicere non fuit ſupervacaneum, quo facilius de prælii, quod paulum poſt conſertum erat, fortuna judicium capi poſſit. Huc Wladislaus cum exercitu delatus, dum furunculo in crure enato tentaretur, majoremque is morbus, quam itineratio ſineret, dolorem efficeret, viſum eſt illic ſtationem defigere, quoad rex adhibitis fomentis reſtitutus, conficiendæ viæ idoneus redderetur. (3)

Tum ad Varnam morbo implicitus caſtra metatur.

Ejus loci ſitus & facies.

Ea ceſſatio ſummum noſtris periculum conflavit. Amurates enim, trajecto per Helleſpontum exercitu, Hadrianopolim profectus, eo ſitu Græcos, ac Epirotas ab regiis copiis divulſit, ne mutua ſibi opera auxilium præſtare poſſent. Qua in re cum maximam victoriæ ſpem locatam videret, procuratis rite copiis illac, qua Hungaros venturos fama fuit, magnis adeo itineribus promovet,

Amurates noſtras conſequutus, Caſtra caſtris opponit.

(1) Hiſt. Europ. Cap. 5. & Epiſt. 81.
(2) Callimachus ibid.
(3) Idem ibid.

Annus Christi 1444

ut septimo die quatuor stadiis ab nostrorum castris signa defigeret. Primum hostis indicium collucentes noctu flammæ Hunyiadi, ut erat Turcorum moris non ignarus, præbuere. Igitur Castrenses excubias, ac stationes duplicat, monetque, acriter in hostem curas intenderent, referrentque extemplo, si quid per noctis silentium ab eo moveri comperissent. Ipse ad regem revolat, qui convocatis interea optimatibus de prælii ratione consultabat. Iuliano ante omnes, quid sentiret, jusso dicere, visum est, nihil prius aperto marte tentandum, quam quantis copiis barbari valerent compertum esset: haud vane se suspicari, maritimas copias, postquam nullus earum in classe jam usus esset, Turcos consequuturas, quarum adventu aut major regiis militibus pugnandi præberetur facultas, aut hosti necesse esset, exercitum distrahere; interea castris curruum ope communitis nostros tutos fore, & barbaros dispositis circum machinis, si quid molirentur, arceri posse. Consensere Juliano Agriensis episcopus, tum Franco Sclavoniæ banus, ac plerique ex Hungariæ, & Poloniæ optimatibus, rege, non tam quod audierat, probante, quam, quid Hunyiades, quem unum instar omnium habuit, dicturus esset exspectante.

Itaque de prælii rationibus consultatur.

Is sententiam Juliani paucis perstringens, rem, quam Cardinalis suaderet, plenam periculi contendebat. *Includi enim vallo, non esse ultro inferentium bellum, sed ultimum perfugium eorum, qui essent acie victi. Quod consilium si rogaretur, hostem non aliud daturum, quam ut positis armis, obsidendos se traderent? Omnium rerum, sed inprimis bellorum exitum, a principiis auspicari: prout primus congressus foret, ita toto bello aut audaciam, aut fortitudinem hos, vel illos plerumque in aciem afferre. Atque ideo nullum trepidationis signum, aut suis, aut hostibus indicandum esse. In celeritate transigendæ rei, salutem consistere; agendo, audendoque id genus hostium terreri, non artibus. Quid futurum, si clausos munitionibus Turci circumstetissent, neque pugnandi copiam facerent, cum tolerandæ illic obsidioni nihil foret præparatum? Nam quod de navalibus copiis diceretur, ridiculum omnino esse. Quo enim gentium visum, auditumve aliquando, mediterranea bella classiariis peditibus geri, quorum non alius usus in terra esse possit, quam equitum in mari. Quibusque suas artes, suamque esse disciplinam, eaque in re valere quoque plurimum, ad quam studium, exercitationemque adhibuissent. Quod si etiam contra suum institutum, & certum munus suum de classe descenderent, præterquam, quod vix possint, nisi per longum tempus, tam longum terræ spatium pedibus emetiri, ad terrestre certamen contra equites, in peditatu, eodemque navalibus armis instructo, parvum omnino, aut nullum usum fore. Atque ideo & serum, & vanum esse, quidquid e classe subsidii speraretur. In qua, si quid momenti esse posset terrestribus pugnis committendis, totum impensum in id oportuisse, ut postquam hostis in Europam transfretaret, saltem circa littora retineretur, dum rex eo pervenisset. Omissa inani spe prodeundum in aciem contra eundem illum hostem, quem ad satietatem superiore anno fugassent, concidissentque, qui trepidus, confususque animo inceptaret omnia, & in nullo persisteret; sed modo in Asiam, modo in Europam se transferens, temere ad minimum quemque famæ strepitum, per sollicitudinem, & terrorem, se circumferret. Non quam multi ex diverso essent, referre, sed quo animo, & audacia. Quantumlibet innumerabiles, in prælium nihil aliud allaturos, quam, qui victi essent, conscientiam, & formidinem. Non assuefaciendos milites tuendis se vallo, & curribus, quæ diffidentium armis præsidia sunt; quorumque ut nullus usus eveniat, inprimis adeo sit expetendum: tunc, quando integrum sit, aut vi, atque armis hostem invadere, aut imbellis multitudinis more, septis, ac munitionibus se includere. Flagitiosissimum fore, viros fortes plus in curribus, & vallo, quam in armis, ad se tuendum præsidii positum credidisse.* (1) Non ignorabat Hunyiades rem, quam suadebat, non omni periculo vacare, tamen, quia huc jam ventum erat, ut nec progredi, nec regredi, nisi victoribus integrum esset, maluit suos fortunam aperto prælio experiri, quam inter castra conclusos metum profiteri, ad quæ tum quoque, si vincerentur, tutus alioquin receptus esset. Itaque auditus est a plerisque libenter, datumque illi ab rege negotium, ut aciem pro locorum habitu, ordinesque instrueret.

Hunyiadis ea de re sententia, ab Juliani opinione diversa.

Ille

(1) Idem. Ibid.

Annus Christi 1444.

Decreto prælio aciem struit. Ducesque copiis præficit.

Ille, ut primum illuxit, quamvis regionis faciem jam multo ante cognitam baberet, tamen circumspectis iterum locis, per quæ adveniens hostis aut aperta opera insultare, aut clanculum facere impetum posset, ante omnia fauces, quæ ad lacunam, cujus supra a nobis memoria injecta est, curribus & plaustris firmissime compaginatis ita communit, ut nihil ab tergo insidiarum oriri posset, & tutissimus, si pugna nostris minus ex sententia caderet, adversus vim receptus daretur. Simul machinas circum disponi jubet, militari ex disciplina sic locatas, ut perinde avertendis eminus hostibus, quam si cominus insultum tentarent, opprimendis, idoneæ essent. Tum ordinibus struendis intentus, mediam vallem, quæ minimum periculi habere videbatur, regi cum Hungaris, & Polonis, quorum plerique Palatinales erant, tutandam committit: dextrum latus, qua Varna castris objiciebatur, præcipuo militiæ robore firmat, quod propter facilem aditum, qui inter Ponti littus, &, quam memoravi, lacunam patebat, quidquid periculi futurum erat, isthinc incubiturum videbatur. Itaque huc fortissimæ Hungarorum cohortes sub vexillo magno, ita regium nostris olim vocare mos fuit, confertissimis ordinibus locatæ ducibus Agriensi Episcopo, & Francisco de Tallocz Sclavoniæ bano: his adjecti Despota cum paucis, quos suorum adduxerat, tum cruce signati imperio Juliani Cardinalis obnoxii: sinistrum cornu cum inaccessum esset, placuit, ut reliqui, tanquam acies subsidiaria penes currus, & impedimenta excubarent, omnes militiam sub Divi Ladislai vexillo professi, auspicio Varadiensis Episcopi, cui Debricius cum modica Polonorum manu comes est additus, rem contra bostem gesturi. Ipse Hunyiades cum Valachis, nullum sibi certum locum designavit, ut quacunque parte laboraretur, auxilio, consilioque præsto esset.

Amurates prælium auspicatus fortiter ab Hungaris rejicitur.

Ordinata in hunc modum acie, Amurates ad proximos colles cum suis pervenerat, unde hostium vires, aciei structuram, ordinesque impune spectare poterat, *datoque belli signo, quindecim millia equitum, qui pugnam provocarent, facto globo in christianos impetum jubet facere. Singulis albæ super loricas vestes fuere, quæ vento agitatæ alarum speciem præ se ferebant; totidem viridibus induti sagulis sequebantur. Aurea equorum frena multorum visa, & multis galearum argenti, atque gemmarum nitor, ipsas quoque gladiorum vaginas prægrandes uniones ornabant. Non detrectavere christiani certamen: itum est ferocibus in pugnam animis. Superior acies nostra Turcas in fugam vertit, quam plurimis primo impetu prostratis. Perculit ea res magno metu Amuratem, nihil tarde verentem, fugissetque protinus prodito exercitu, nisi circumstantes satrapæ comprehenso ejus equi freno, ignaviam ejus increpassent, fugientique comminati necem fuissent. Perstitit ergo vel invitus jussisque fortissimis arma sumere, prælium instauravit.* (1) Itaque sex audacissimorum equitum millia novam pugnam ea parte tentant, qua Banus Sclavoniæ cum Agriensium episcopo constiterat. Retinuit hic suos a certamine dedita opera, ne fracto per acclivum impetu languidi in collem, ex quo barbari aggressionem moliebantur, pervenirent. Postea autem, quam hostis se se in plana effudisset, paucis suos cohortatus, prælium incredibili fortidudine auspicatus est.

Redintegrata pugna rursus profligatur.

Victoria episcopi Varadiensis temeritate corrupta,

Non sustinuit irruentes Turcus, retroque per acclivum collem versus, celeritate equorum se vulneribus eripiebat. Supervenit interim reliqua equitatus multitudo, cujus pars in desiuentem jam vallem se recepit, pars invecta in regios subeuntes clivum, deturbavit, egitque in præceps. Illi rursus in plano congregati, aciem restituunt, pugnandoque acriter, quantum hostium ex collibus in æqua descenderat, per vallem ipsam in fugam vertunt, atque insequuntur. Itaque Varadiensis, non tam militarium artium quam sacrorum peritus, cum videret terga dari a Turcis, relicta jam pridem statione sua, cum magna militum manu, veluti ad partam victoriam accurrit, fugientibusque instando temere, una cum Despota, & Agriensi, pervenerat ad fortissimum agmen in postremam partem vallis; unde a multitudine rejecti ad sinistram, Despotus quidem ad ordines suorum, qui pauci adhuc stabant, se transtulit; Varadiensis autem, eadem locorum inscitia, qua acies turbaverat, per paludem ad montes evasurum se ratus, in aquam se immisit, fœdaque equi, ac sua luctatione, diu prius in cœno vexa-

(1) ÆNEAS SYLVIUS in Hist. Europ. Cap. 5.

tus, tandem submersus est. Agriensis ad lacunam circumvectus Galatam petere instituerat, mox tamen mutato consilio, ad suos in pugnam rediit, nec postea usquam comparuit.

Et vincentibus sensim barbaris

Processerat vincendo Turcus jam ad Divi Ladislai vexillum; nam Despotus cum Franco, & Juliano, superabundante hostium multitudine, a collibus, ultra quam fieri posset, cum suis retro ad munitiones cesserant. Ibi diu ancipiti marte pugnatum; sed ubi Leseo Bebritius, qui audendo, hortandoque certamen extraxerat, multis vulneribus confossus, moribundus ex equo cecidit, haud dubie res Turcorum superior habebatur, nec jam milites tantum, sed currus etiam oppugnabantur.

Hunyiades prælium instaurat.

Quorum nonnullos impetu primo eversos, ut diripi rex vidit, cum Hunyiade prope illuc contendit, ne, quod adversæ pugnæ unicum præsidium suis futurum erat, ab hoste præriperetur. Ejus adventu fortuna subito mutata est. Versi enim in fugam Turci, ultra duo millia passuum cæsi, fugatique sunt; tantus erat ardor insequentis a tergo regis. Qui revocante impensius Hunyiade, tandem omissis fugientibus, rursus Juliano & Franco laborantibus auxilio accurrit. Redintegraverant enim prælium Turci ex tota illuc valle conversi. Superventu regis acrius iterum certamen utrinque exortum, variaque adhortatio: hinc sacra, religiones, aræ, templa, victoriæ cum decoris prius partis, fœdæque hostium fugæ; gratulationes præterea, & laudes a tot principibus, nationibusque adeptæ, ad extremum christianæ rei spes, ab ejus diei fortuna pendentes jactabantur: illinc non tam imperii, quam etiam nominis Turcici finis, nisi vincerent, ostendebantur. Asiam, & mare illi objectum ab hostibus teneri; quæ in Europa ad id locorum habuissent, in eventu ejus pugnæ periclitari. Non fore, quo reverterentur victi, quocunque declinassent, mortem, cruciatumque jam pridem præparatum, incursuros. Ad necessitatem pugnandi accedere, quod non tantum viribus, & numero, sed causa etiam superiores essent. Nam contra jus, fasque se per speciem pacis lacessitos. Insisterent acriter: Deum fœderis testem, formidinem, fugamque, & cædem in pacis, fideique violatores conversurum. Ceterum non segnioribus animis, viribusque pugnantibus militibus, quam Duces adhortabantur, magna utrinque cædes edebatur.

Nostri fugatis barbaris intempestivo prædarum studio periculum sibi conflant.

Sed ingens Turcorum numerus suorum stragem sentiri non sinebat, stetitque diu anceps prælium: tandem ab illis fuga incœpta multo cruentior fuisset, si non a cæde ad prædam christianos avertissent cameli onerarii casu eis oblati, qua hostibus instabant; ubi equi etiam odore, aspectuque insuetorum animalium consternati, haud facile sessoris arbitrio se dirigi patiebantur. Hunyiadem in diversum fortuna suorum abstulerat: namque undique intentus, & laborantibus ubique propere accurrens ad mediam vallem processerat, ubi sinistra acies impressionem hostis vix sustinebat.

Hunyiades regi fortiter cum barbaris rem agenti, ac in periculum conjecto

Ceterum restituto illic prælio, de rege solicitus, cujus juvenilis animus periculosæ audaciæ suspicionem faciebat, invenit eum ad Janictaros pedestre militum genus, penetrasse, ibique pugnantem substitisse. Magna vis non hominum modo, sed equorum etiam ceciderat, aliis gladio confossis, aliis detruncatis cruribus, ad terram provolutis. Nec jam solum, sed cadaverum strues pugnando calcabatur, adeoque concitatis animis instabant, urgebantque vicissim, ut rabies, non studium vincendi videretur. Perrupit tamen Wladislaus adversam aciem, ablatusque inter hostes longe a suis, creditus est jam tum aut cæsus, aut captus. Itaque haud multo post, cum Turci terga jam verterent, christiani quoque ex diverso, veluti rege amisso, fugæ se committunt; atque eodem tempore pars utraque cedere incœperat, adeo fortuna sua cuique erat ignota, in tam varia, frequentique victoriæ inclinatione.

Frustra reditum suadet.

Sed ubi Janictari christianorum motum animadvertere, sistunt ipsi pedem, pugnamque instaurant. Hunyiades autem, qui videret trepidatione, ac formidine in suos conversa, ubique ordines turbatos, fœdeque a multis aciem deseri, concitato equo per confertissimos hostes ad regem pervenit, patefactaque suorum fuga, & pavore, ut retro se ageret, obtestabatur, minime de rerum summa desperandum dicens; quippe adeo raros in acie periisse, ut jactura vix appaitura foret, si prius, quam superstites fugiendo dissiparentur, ad munitiones, & currus se cum illis reciperet. In vita ipsius non modo regna, quibus præerat, sed universam quoque Europam, christianumque nomen periclitari. Cum interea nihilominus acriter ille in hostem ferretur, cædem, ac fugam, quacunque se verteret, in-

gentem

Annus Christi 1444

gentem faciendo, equus, ingenti in latus vulnere accepto, præcipitem per armum effudit, nec mora, supervenientibus Janiczaris, telorum multitudine non tam confossus est, quam obrutus.

Itaque eo cæso, suisque dissipatis, fugæ consilium init.

Substitit paulisper Hunyiades, corpus regium, si fieri posset, recuperaturus: sed cum reliquis effusissime diffugientibus, paucos admodum Valachos, qui remanserant, tam multorum impetum secum minime laturos intelligeret, ubi unum, atque alterum conatum frustra vidit, haudquaquam nefas ducens, supresse aliquem post regis interitum, qui acceptam cladem ulcisci posset, ignominiamque delere, ad suos retro se recepit. Indeque, cum post fugam jam pridem a Despoto initam, Julianus desperatis omnino rebus cedendum suaderet, sub ipsum crepusculum per montes in vastam silvam se recepit. Multique alii, quos nulla prius aut trepidatio, aut fuga suorum, a pugna averterat, subsecuti sunt illum ad deserta, & montes, inter quos Franco, & Julianus. Toties eo in prælio & fugere, & fugare utrinque contigit, ut victoria tandem non sit a victoribus intellecta. Nam Turci, quorum fugam rex a primo congressu fuerat insecutus, trepidationem in civitates circumtulerant, quasi debellato exercitu victor hostis ad eas oppugnandas, statim copias foret admoturus. Et qui pugnare ad noctem usque perseveraverant, haud se usquequaque vicisse credentes, incertique, quo se christiani recepissent, dum silentium, quod erat intra currus, insidias credunt, biduo a direptione prædæ abstinuere. (1)

Cæsorum utrinque numerus.

Hic pugnæ decima Novembris consertæ & ob regis jacturam, si quæ unquam alias, memorabilis exitus fuit. De cæsorum numero, etsi sint, qui LXXX barbarorum millia desiderata esse scribant, tamen nihil, quod certum sit, eorum temporum scriptores prodidere: illud exploratum est, longe plurea ex Turcorum acie cecidisse, quod victor Amurates neque fugientes insequi ausus esset, neque a victoria hilarem unquam vultum præferret. Quin interrogatus ab suis, quidnam fusis, cæsisque hostibus tristior esset, nollem, inquiebat, hoc modo sæpius vincere, jubensque vasa colligi, copias, quæ superfuerant cum opimis spoliis domum remisit. Ex nostris, qui eo prælio cecidere, insigniores sunt, Agriensis, & Varadiensis episcopi, tum Stephanus de Bathor, Nicolaus de Perin, & Henricus de Thamasy: vulgus, quod fuga se subduxerat, magna pars multis erroribua per Bulgariam acti domum rediit, pars a Georgio Castrioto, qui profligatis serviis sero in Macedoniam advenerat, incolumis recepta est, Julianum Cardinalem, quamquam hostes evasisset, tamen haud multo post cum in fuga ad stagnum aquationia causa substitit, latrunculi, magnam vim pecuniæ apud eum latere arbitrati, equo dejectum necavere; ablatisque vestimentis nudum cadaver feris, & volucribua reliquere. (2) Alii ab Valacho, dum Istrum trajiceret, cognitum, cæsumque memorant, & accepto, quod secum gerebat auro, in profluentem demersum esse. (3)

Cladis acceptæ auctores

Maximam ad cladem momentum Cardinalem Florentinum attulisse creditum fuit, quod neque fretum, ut par erat, atque etiam conventum, custodierit, neque, ubi Turcos in Europam trajecisse intellexerat, hosti, quo vires distrahere cogeretur, ab tergo conversis signis incubuerit. Nec nihil causæ episcopis Hungariæ tributum comperio, qui, cum desertis ordinibus victoriam injussu Hunyiadis temere persequuntur, spacium barbaria præbuerint, ut aditus, quos laxata acie fieri oportuit, confertissimi occuparent, ex quo primus deinceps ad cladem nostrorum gradus factus sit. Non me latet quidem fuisse haud paucos, qui omnem eam jacturam Hunyiadi illiverint. Aeneas sylvius in hunc modum de eo scribit. (4) *Si Hunnyiadi par animus, ac regi fuisset, et arridenti fortunæ dedisset manus, haud dubium erat, quin ea dies, & Amurati vitam, & posteris ejus imperium Græciæ abstulisset. Verum ipse, ut primum cedere christia-*

Suspicio in Hunyiadem videm conjecta.

na

(1) Callimachus Lib. III. ex quo pugnæ descriptionem malui, quam ex aliis depromere, tum quod magis singillatim res complexus est, tum quod non longe ab rebus gestis abfuerit, quippe anno MCCCCXCVI. in Polonia defunctus, itaque multis, qui pugnæ intererant synchronus.

(2) Aeneas Sylvius in Hist. Europ. Cap. 5. & Epist. 81.

(3) Mich. Chron. Polon. Lib. IV. Cap. 56.

(4) Loco cit.

Annus Christi 1444.

na signa conspexit, cum aliquot millibus Hungaris, ac Valachis ex acie se subtraxit, atque insalutato rege, nutante adhuc victoria, fugam arripuit. Fortasse militaris rei perito nulla in pugna salus visa, & salvare aliquos, quam perire omnes maluit. Poloni acceptam eo prælio cladem Hunyiadis vecordiæ, atque ignaviæ attribuerunt, ipse sua consilia spreta conquestus est. Hæc Aeneas: in eandem pene sententiam. (1) Michovius, aliique. Sed cum Sylvius in epistolis, quas a prælio ad plures eodem anno de clade scripserat, ejus rei non meminerit, quin Hunyiadem quoque a fortitudine collaudarit, credibile est, famam eam serius postea ex incerto rumore ab hostibus ortam, & ab eodem in litteras relatam esse. Alioquin Callimachus scriptor prope synchronus, qui res ab Wladislao gestas ex Polonorum monumentis posterorum memoriæ consignavit, & cujus narrationem de nuperno prælio annalibus inseruimus, Hunyiadem ducis perinde, ac militis partes fortiter sustinuisse, instaurataque sæpius pugna ad regem cum hostibus colluctantem, vi, ferroque penetrasse, neque prius prælio excessisse perhibet, quam viderit, nec consilium suum apud regem valere, & in recuperando cæsi, aut telis obruti corpore semel atque iterum vim omnem, & conatum frustra adhiberi. Quo magis miror, fuisse multo post tempore non paucos historiarum Scriptores, qui eum in ipso pugnæ ardore, dum Wladislaus ferme victoriam e manibus Amurati extorsisset, cum decem suorum millibus ex prælio se clanculum subduxisse, ausi fuerint affirmare. Quæ etsi, ut supra a nobis commonstratum est, sibi non cohæreant, malim tamen sequi illorum sententiam, qui nuncii postea, & reliquiæ ejus cladis ad Scanderbegum delati disertim edixere; Hunyiadem æque visas, ac auditas Turcorum copias contemsisse, in bello pari animo, ac virtute usum, primoque fere impetu Europæ, atque Asiæ præfectos, maxima edita strage, in fugam convertisse, eosque terga hostium cædendo late insecutum, donec ex alia parte Wladislaus spreto Joannis consilio, qui illum e castris egredi prohibuerat, nisi se cum victoria reversum vidisset, tum suorum quorundam funesta adhortatione impulsus, qui dicerent, Joannem regis gloriæ invidisse, & idcirco ab eo in castris relictum, ut omnis victoriæ laus apud se foret, tamen ob ætatem impatiens, castris infelici auspicio egressus, in Amuratis cohortem impetu alacriter facto, aliquamdiu circum munimenta hostium acrius, quam cautius dimicans, obtruncatus est, tum desperatam jam victoriam Turcis restituit, tum Hungaros, Hunyiademque hostium tergo instantem, terga dare mutata fortuna coegit. Hæc Dalmatici scriptores: quorum nobis cum ob locorum tum temporis propinquitatem, potior ratio esse debet, quam eorum, qui multis post seculis, neque ulla nixi auctoritate eam criminationem in litteras retulere. Sed de his hactenus.

Non tamen sine aliqua calumnia.

Hunyiades ab Valachiæ Dracula captus, dimissusque perturbatam Hungariam reperit.

Hunyiades a pugna paucis suorum stipatus transmisso Danubio ad Valachiæ Draculam pervenit, ratus, facilem se a fœderato principe, cujusque res cum Hungaris implicitæ erant, commeatum in Hungariam obtenturum. Sed ille, seu Amurati cum quo haud ita pridem fœdus inierat, ea re gratificari, sive filio, quem Wladislao cum quatuor suorum millibus adjunxerat, nondum reverso, obsidem habere voluerit, hospitem parum officiosus per fraudem cœpit, & aliquot dies inclementer habuit. Postea veritus, ne societatis, amicitiæque jura turpiter læsisse videretur, pœnitentia ductus, liberum, multisque donatum muneribus in Transilvaniam dimisit. Inde constitutis rebus celerrimo itinere, ne quid ob acceptam cladem, novarum rerum oriretur, in Hungariam incolumis evasit. Atque hic ob jacturam in pugna nuper acceptam, quam fama vero majorem fecerat, incredibili animorum æstu turbari rem publicam reperit. Nam Laurentius de Hedervara regni Palatinus, incertum, an rumore deceptus, an ut postumo ægre faceret, erat enim hujus partibus ante alios insensus, nunc Wladislaum in Poloniam sospitem ex prælio evasisse, nunc haud multo post cum novis supplementis affuturum in vulgus jactaverat, quin allatas etiam ab eo litteras commentum fuisse Aeneas prodidit (2) tenuitque ea opinio,

quoad

(1) Loco priore.

(2) Epist. 81.

quoad Hunyiades in regnum revertisset. Ab cujus adventu cognitum postea est, cæso regis corpori caput detruncatum fuisse, paloque suffixum per Græciam, & Asiam in signum victoriæ populis ostentatum. (1) Ceterum singulari humanitate, defunctum prosequutos esse barbaros constat, dum eo loco, in quo regis corpus repertum est, columnam cum rei gestæ inscriptione condidissent. (2)

Annus Christi 1444.

INTERREGNUM.

Annus Christi 1445.

Judicio Pestinum regni conventu, oratores ad Fridericum mittuntur, qui Ladislaum repetant.

Ab Hunyiadis reditu visum est regni optimatibus, ne quid detrimenti respublica ab infelici prælio caperet, conventum ad Pestinum urbem cogi oportere; quo exciti per litteras ingenti numero ordines confluxere. Ante omnia de rege novo consultatum est: tum quoad hic adolesceret, de Gubernatore illi substituendo sententiæ rogatæ. De rege, si Palatinum, paucosque, qui cum illo sensere, demas, plerisque convenerat, evocandum esse ex Austria Ladislaum Postumum, cui jus proximum præ ceteris ad regnum esset. Itaque communi patrum scito oratores, inter quos Dionysius Strigoniensis Archi-Episcopus eminebat, delecti, qui apud Fridericum III. Romanorum regem diligenter agerent, ut Ladislaus cum regni corona in Hungariam remitteretur. Quorum quæ postulata fuerint, & quibus conditionibus munita, deinceps dicendi locus erit. De Gubernatore, donec rex puer in optimatum arbitrio esset, nihil constitutum arbitror, quod ea dignitate primum ad annum sequentem sancito ab ordinibus decreto, Joannem Hunyiadem ornatum comperiam. Ceterum tacita omnium consensione rempublicam pro rege jam hoc anno eum administrasse minime dubium est, quando belli, pacisque res ex suo fere arbitrio curabat. In hunc modum ad pontificem Eugenium, cum primum per curas licuit, litteras semel, atque iterum dedit, quibus & rei in nuperno prælio gestæ seriem ex parte significat, & nova adversum barbaros, quos Hungariæ ditionibus appropinquare fama fuit, subsidia petit. Postremæ sic habent. (3)

Beatissime Pater, & Sanctissime Domine.

Hunyiadis ad Pontificem de clade Varnensi epistola.

„ Communem casum communi voto relevandum, etsi persuadens, apud „ Sanctitatem vestram locum non habuerim, litteris tamen supplex, & bene fidens nuper admonui, simul paucis expedivi ea vice, quid, quantumve senserim de conflictu novissimo, in quo fortunam magis, quam vires nobis interruptas sustulimus: id & nunc mihi cordi est, ut pro lucidiori avisamento repetam pauca, præsertim cum videam, contra hostes pugnasse hactenus, deinceps contra pericula fidei bello mihi opus esse. Et quidem judicia Dei justissima ferre, quis nesciat? eaque rebellibus lacrimis exprobrare injuria sit. Dum tamen naturam bellorum, in quibus a prima ferme ætate versatus sum, mecum ipse agens reputo, facile invenio, fateor, communem hanc fuisse semper bellantium rotam, ut juxta superni spectatoris nutum, modo prosperis, interdum contrariis revolvatur eventibus; judicet autem, oro, Deus ipse eorum partem, e quibus tanta christianum populum circumvenit illusio. Multi etenim circumvicini principes, puta, utriusque Valachiæ, item de Bulga-

„ ria

(1) AENEAS Sylv. Hist. Europ. Cap. 5.

(2) CALLIMACHUS Lib. cit. circumfertur quoque epitaphium regi positum in hæc verba:

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,
Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

Sed recentioris id, quam coævi poetæ, esse constat, quod Hungaria non nisi sero post, jugum barbari tulerit. Ceterum quam vere id de Pontifice dicatur, patet ex Epistola Palæologi Græcorum imper. quam de industria integram annalibus inserui.

(3) Joannes DE ZREDNA, qui Hunyiadi ab Epistolis fuit. Tom. II. script. rerum Hung. a CL. SCHWANDTNERO editi.

Annus Christi 1445.

„ ria nonnulli, ceterum de Albania quam plures, ac de Constantinopoli, plurima undequaque armorum pollicebantur subsidia, invitabantque nos pennatis, ut ajunt, advolare pedibus, cetera omnia itidem provisa esse. Paruimus tandem tanta sollicitati fiducia, movimus castra, fines hostium transegimus, restabat id solum, ut promissa opperiremur auxilia, ubi, pendente spe, dietenus magis, ac magis introrsum progredi visum fuit. Paruerant hoc medio nonnulla castra manibus nostris, cetera autem ferro, incursuque expugnavimus, dum ecce omnium quasi frustrati auxilio, & omni provisione vacui vidimus insperatam rerum faciem, vidimus quoque supratactorum principum in hac re optima pessimam nobis plecti amicitiam, vidimus denique pollicita nobis subsidia, e regione in insidias convolasse: quo pacto dum propriam domi negleximus, male militia armati fuimus aliena. Verum paulo ante multis evectis spoliis, multis illatis cædibus, ac damnis irrogatis, poteramus illæsi fere hostium declinare congressum, sed puduit incœpti pro Christo propositi, quominus, illud prosequeremur negotium, in quo & vinci, & vincere æque credidimus non inglorium. Itaque occupat mox opportunitatem pia temeritas, & ad subeunda pericula e vestigio proni exsurgimus. Fiunt utrinque congressus impares numero, sed fortes: pugnatur ad lucis vesperam, occiditque sol pariter, & bellum. Attamen inefficacem nobis pugnam reddidit, recens continue multitudo irrumpens, qua non victi tantum, quantum obruti, disjunctique binc inde abscessimus. Verum id & oculis tunc, & plurimis ex post documentis cognovimus, baud pauciora reddidisse nos bostibus vulnera, quam accepisse, lugubrisque admodum, & cruentæ victoriæ reliquisse vestigia. Nihilominus & nos lamentari dignum est altis suspiriis, super capitum nostrorum dolendis vulneribus, utpote regis, ac principis nostri clarissimi, item venerandi toti mundo patris Domini Juliani legati, quorum solidæ virtutis digna auctoritas salutem bujus populi propriis humeris gestare videbatur. Sed cum suasum mihi sæpius reminiscor, nihil magni in bello sine periculo confici posse, iterum habeat nutans fortuna regressum, dolor ipse incitabit audaciam ad futura, quamquam & id, quod nunc accidit, neque malitia nostra, neque Teucrorum virtus effecerit, dum pene vacuefacto viris & armis campo, non bostilis militiæ, sed judicii divini plagam retulimus, nostrisque peccatis barbari tunc mansere fortiores.

„ Recognoscentes igitur culparum potius pondera, quam vulnerum, spem firmam induximus animo, ut idem ipse, qui plagam peccatis ultor intulit, conferet sperantibus miserator & medelam, movebitque mentem Sanctitatis vestræ ut christiani sui populi non fractum adhuc, sed acclinatum robur erigere quam celerius patrocinetur. Ad quod quidem & ego nunc, sicut & prius astiti, quo paucis admonerem sponte, ut credo, volentem. Non dubitans facile apud Sanctitatem vestram persuasum iri rem, & utilitate, & justa conditione plenam. Patienter autem exoro me perpeti apud vultum Beatitudinis vestræ, quod importunior fortasse, aut porrectiori, quam expediat, fronte Sanctitatem vestram inquietandam aggredior, cum a diu mihi in votis situm fuerit, in re ista non modo faciem pudoris, sed & animam mortis contemtricem assumere. Itaque fiducia plenus bortor, advoco, moneo, flagito, & humiliter deprecor excelsam Sanctitatis vestræ dignitatem, quam divina providentia haud minus usui, quam regimini, prætulit populo christiano, quatenus, donec pendet spes, donec fiducia geritur, & ingeritur, exurgat denuo pater ad persecutionem cœpti pro filiis negotii, ferat opem, & operam necessitati expugnandæ, idem dux, dux salutis & comes, idem suorum rector, & ultor; assistat buic lapsui, qui casui proximus est. Hostis ipse multis copiis plenus exstat, finitimos omnes æquali fulmine quatit, demtis, quorum potentiæ non parcit interdum, sed cedit. Sed cum sciam fidei, & fidelis populi rem agi, miserebitur populo suo Deus noster, tali duce, tali auctore, tali denique propugnatore prævio. Solum reincepto esse arbitror, ne, si fidelium propagare fines neglexerimus, perferre contingat propagatorem.

„ rem. Offerre autem me ad hoc opus verbis, non opportunum putavi, quoniam videbit, & palpabit Beatitudo vestra, paratiorem me futurum deinceps animo, & opere, quam sermone; propositum denique mihi firmum esse, in hoc exercitio & vitam pariter, & mortem contemnere. Immo, utinam posse, & velle in æquo situm foret, quieto hoc labore assidue recrearer, & nusquam viribus alacritatem paterer tardiorem. Nihilominus enitar viribus, quamdiu spiritus hos regit artus, & quotidiano usu adhuc peritiam alere institui, nec cessabo mea sponte, si gratia superna affuerit, donec & damna patriæ detergam, & probra. *Annus Christi 1445.*

Hæc scribere volui, urgente me affectu meo, exorans humiliter, ne temeritatis arguar. Verum, ut prioribus litteris pollicitus sum, misi cum præsentibus honorabilem Blasium canonicum Varadiensis ecclesiæ, capellanum, & notarium meum, qui tam de actibus his, quos supra tetigi, nam eisdem personaliter interfuit, quam etiam de ampliori voto, & intentione mea Beatitudinem vestram viva voce avisatam reddet. Quem suscipi, & exaudiri, ac tandem votive expediri humiliter supplico, & devote. Conservet Altissimus Sanctitatem vestram feliciter. Data in Pesth die XI. Mensis Maji, Anno Domini MCCCCXLV.

Promissis ab hoc suppetiis in Turcos movet, & secundo eventu pugnat.

Responderat Pontifex Max. se operam diligenter daturum, ut collapsæ in Hungaria christianorum res, quoad fieri poterit, instaurentur; scripsisse eam ob causam ad varios principes, ut suos conatus missis suppetiis eatenus adjutum irent: singilatim vero ad Franciscum Cardinalem classi præfectum, mandata dedisse, ut emenso Euxino mari naves per ostia in Danubium immitteret, quarum nonnullus deinceps Hungaris adversum Turcos usus esset. Ea re Hunyiades mire lætus conscriptis supplementis citra moram in barbaros movit, quos superioris anni victoria elatos ad Savum usque grassari intellexerat: quo in itinere tanta celeritate usum ferunt, ut prius castra Turcorum castris opponeret, quam ii hostem ex Hungaria movisse compererint. Nec minor in profligandis barbaris celeritas erat. Nam cum isti prælium in sequentem diem differendum crederent, Hunyiades, tametsi fessum ex contentione itineris militem haberet, manus tamen conserere ipsa nocte constitutum habebat. Itaque ut hostem fraude circumveniret, crebros per castra ignes excitari jubet; ipse distributa in ordines acie tertia noctis vigilia inobservatus hostium curribus succedit, tum elato clamore in sopitos facto impetu ita sævit, ut tota ea barbarorum colluvies intra duarum horarum spacium aut cæsa esset, aut in effusissimam fugam dissiparetur. Creditum est eo prælio jacturam prioris anni utcunque compensatam fuisse. (1)

His profligatis Cilejensem comitem ad officium revocat.

Re feliciter patrata ad Nicopolim, urbem Danubio adsitam, cum victore exercitu profectus est, quo non ita pridem Franciscum Cardinalem cum classiariis pervenisse nunciatum fuit. Cum hoc collatis consiliis, modoque, quo in Turcas, nequid turbarum se absente darent, uti oporteret, indulta paucorum dierum quiete copias in Hungariam reduxit. Cum in itinere est, litteræ ei ab regni ordinibus redduntur, quibus significabant, Ulricum Ciliæ comitem tempore usum, finitimam ditionibus suis Croatiam aperto bello infestare, quæ, cum nudata omni præsidio esset, metuere se, ne novo obnoxia imperio ab Hungaria avelleretur. Quare maturaret reditum, & capto ex re præsente consilio videret, ne quid respublica detrimenti propterea pateretur. Quo cognito, ut Dravum attigit, adverso flumine in hostem movet, magnisque usus itineribus ad Petovium intra paucos dies appulit. Inde vastitatem latissime per Ulrici ditiones circumferens, hominem ad flagitandam pacem coegit, quæ missis ultro citroque nunciis facile in hanc conditionem coaluerat: Hunyiades Cilejensi redderet, quæ armis occupasset: hic contra, jurejurando nihil se absque ordinum Hungariæ scito moliturum, & in istorum arbitrio deinceps futurum, promitteret. Atque hinc prima odiorum sementis jacta est, quibus Hunyiadem Cilejensis, quoad vi-

(1) Joann. DE ZREDNA Epist. 2. & BONFIN. Dec. III. Lib. VII.

Annus Christi 1445.

vixit, acriter exercuerat, nec aliter, quam istius morte, ut postea narrabitur, sopiri, aut extingui potuere. (1)

Hungarorum legati Fridericum expugnato Ginsio Viennam reflectunt.

Interea Fridericum Romanorum regem, Ginsium urbem, ex qua nostri crebro in Austriam procurrerant, obsidione cinxisse, & paucorum dierum spatio adhibitis machinis ad deditionem compulisse certis nunciis afferebatur. Quo cognito, ut scribit Æneas Sylvius (2) oratores, quos ab regni optimatibus, ut in Austriam ad regem contenderent, electos narravimus, iter maturabant; *intervenientibusque tractatibus cæsar, qui Budam usque cum exercitu profecturus erat, auditurus Hungaros, dimissa militia, Viennam rediit. Jam Giscra Bohemus rerum omnium gnarus, antequam cæsar in campo foret, novam civitatem intraverat, &, quæ facturi essent Hungari, prædixerat. Is præsentiam regis Ladislai desideravit; ad quem cum venisset, puerulumque conspexisset, collacrimatus est, & heu! quantos, inquit, pro te labores subii, quot adii pericula, quantum sanguinis perdidi. Sed tu hæc per ætatem non intelligis; utinam tantum mihi vitæ detur, quoad sensate loqui possis, &, qui tibi cum fide servierunt, cognoscere; nonnullaque munera puero contulit. Tum Joannes Magister cameræ imperialis, qui tunc forte aderat, hic inquit, serenissime Princeps, diu tuas partes in Hungaria tutatus est, hic tuus dux, tuus tutor, tuus defensor, tuusque rector est: cur non sibi stipendium præbes. Ad hæc puellus divino quodam spiritu ductus, apertis loculis, qui juxta phylacterias Joannis pendebant, sex nummos recepit, Giscræque tradidit, quos ille filo aureo ad collum suspendit, & usque in hanc diem ob memoriam puerilis liberalitatis secum defert. Sed remeante ab obsidione cæsare, ex his, qui regni legati fuerant deputati, Dionysius Cardinalis Archiepiscopus Strigoniensis venit, magnæ prudentiæ, & integritatis Pater, cum eo & Ladislaus Banus profectus est, magni generis vir. Nicolaus autem (de Uilak) Vayvoda, Palatini verbo retentus, quatuor ex amicis suis transmisit. Cum istis & Giscra, tamquam regnicolam, se conjunxit. Interea comes Georgius, Comes Croaciensis, Osvaldus de Rozgon ad cæsarem profecti sunt, scituri, res Hungariæ quem exitum sortirentur.*

Eorum nomina.

Lliberaliter habentur ob Austriabus, & quam ob causam?

Hæc fere prodita sunt, nomina legatorum, quos regni ordines ex Pestinensibus comitiis ad Fridericum misere, a quo perquam liberaliter, quoad senatus illis daretur, sunt habiti. Quæ humanitatis significatio multis in principio spem fecerat, legationem bono fine terminatum iri, præsertim, quod legati prius, ad regem, quam ducerentur, omni officiorum genere ab Austriis exculti essent. Patuit tamen in exitu, eam benevolentiæ testificationem illo in primis pertinuisse, ut, conditionibus, in quas pacem afferrent, intellectis, certiora ab cæsare responsa, & quæ Ladislai res confirmarent, darentur. Id ne quis me comminisci existimet, juvat Æneæ Sylvii litteras, quas, dum de constanda amicitia agitur, ad Dionysium Cardinalem dederat, etsi prolixæ sint, ob res tamen plurimas, quæ ad statum Hungariæ illius temporis attinent, scitu dignissimas in medium afferre (3), nisi quis oratiunculam, ut re ipsa est, malit, quam epistolam nuncupare.

Dionysio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Archi-Episcopo Strigoniensi, Patri, & Domino Colendissimo Æneas Sylvius Poeta S. P. D.

Æneæ Sylvii ad eos adhortatio, qua Ladislaum regem peti suadet.

„ Si quis me roget, præstantissime Pater! cur ego natus in Hetruria, de „ statu regni Hungariæ loqui præsumam, respondebo me hominem esse, & „ humani nihil a me alienum putare. Dicam me Italum scire plures mei gene„ris homines in regno vestro & opibus, & honoribus auctos ad magnam glo„riam evasisse. Dicam me legisse historias vestras, invenisseque, Hungaros „ multis victoriis claros nomen ad astra tulisse: atque idcirco, sicut natura jubet, „ eorum me virtutibus affici. Quid plura? christianum me dicam, sollicitudinem-

(1) BONFIN. ibid.
(2) Epist. 81.

(3) Epistola LXXVIII. omisi autem ea, quæ ad res nostras nihil prorsus pertinebant

„ nemque habere, ut christiana religio in tuto collocetur, quod sane fieri non Annus
„ potest, nisi & murus ejus, qui est Hungaria, sit incolumis; sum igitur anxius, Christi
„ nec aliud hoc tempore opto, quam vestræ legationi bonum finem imponi. 1445.
„ Verum dum hæc mecum sæpius animo revolvo, multum hoc ex tua, & col-
„ legarum tuorum voluntate, dispositioneque pendere reperio. Nam cum ubi-
„ que id eveniat, ut tunc res bene concludantur, cum nuncii, qui eas tractant,
„ voluntarii, pronique sunt, quanto hoc magis nunc sperandum est, si vos incli-
„ nati, & affecti sitis, qui non solum legati estis regni, sed ipsum quodammo-
„ do regnum in potestate habetis; quia quod per vos fieri contigerit, nemo du-
„ bitat apud alios, quorum nomine venistis, haberi ratum. Sunt igitur hæ cau-
„ sæ, quæ me tuæ reverendissimæ Paternitati nonnulla scribere compulerunt, quæ
„ & in bonam partem recipi precor, & aliis collegis tuis communicari. Quia,
„ etsi vestrum acre judicium, quæ regno vestro conducant, optime videat, non
„ tamen, quod exteri sentiunt, negligendum est. Loquar autem cum tua di-
„ gnatione, tanquam ceteri ex collegis audiant; in principioque meorum ver-
„ borum illud fundamenti loco recipiam: quidquid homines ex suo arbitrio faciunt,
„ id sibi utile judicare: nam quod sibi damno sit, nemo sciens, volensque facit.
„ Vos igitur Hungari, viri clarissimi, qui huc venistis, in conventu Pestiensi
„ prius fuistis, ac cum ceteris regni Baronibus, & accolis, Ladislaum regem
„ expetere decrevistis, nunc legationem explentes, dari vobis regem vultis,
„ homagiaque sibi præberi, & ipsum exinde in aliquo regni loco sub tutela
„ Friderici cæsaris, sui patruelis constitui. Hæc est, si recte teneo, summa ve-
„ stræ petitionis, quod minime conclusissetis, nisi & regno & vobis singulis pu-
„ taretis expedire. Quid ad hæc responsurus sit cæsar, non scio. Illud autem
„ scio, quia & suam quoque utilitatem, & patruelis commodum cæsarea Ma-
„ jestas intuebitur. Nec scienter aliquid promittet, quod suo, ac patruelis sta-
„ tui possit obesse. Si quis ergo vult inter cæsarem, & vos plenam fieri con-
„ cordiam, is ea media offerat, quæ sint utrique parti accommoda. Nemo
„ enim sermonis ornatu, ac verborum lenocinio plus suadet, quam utilitas. Cum
„ ergo his in rebus, quæ nunc aguntur, & vos Hungari vestrum commodum
„ sequamini, & Australes suum, libet mihi pauca de statu, conditioneque vestri
„ regni in medium referre; sic enim, quæ sint vobis utilia, melius intuebimur.
„ Nam & apud Australes in eandem sententiam sæpe ratiocinatus sum. Vos,
„ quod ex pura mente, sinceroque corde promitur, benigna fronte, & lætis ani-
„ mis audite, & quæ vobis sint usui, quamvis longe melius, quam ego, prospi-
„ citis, me referente notare non pigeat.

„ Status regni Hungariæ proh dolor! non sine gravi damno totius chri- *Adducto in medium misero regni statu & calamitatibus.*
„ stianitatis confractus, quassatus, & omni splendore, nitoreque pristino denuda-
„ tus est, tantaque mutatio in regno vestro a paucis annis facta est, ut si quis
„ procerum antiquorum jam ab inferis resurgeret, Hungariamque intraret, nul-
„ latenus suam patriam recognosceret. Apud historicos veteres reperi vestrum
„ regnum florentissimum quondam fuisse, & hominibus & opibus beatum. Cujus tanta
„ latitudo longitudoque fuit, ut & a Constantinopoli, marique Pontico, usque ad Au-
„ striam, & a Polonia usque ad sinum Adriaticum protenderetur. In cujus gremio se-
„ ptem amplissima regna claudebantur, quæ a corona Hungariæ tamquam feuda de-
„ pendebant, ut merito quidam non tantum regem, sed Archi-regem, Hunga-
„ riam habere dixerint. Nec sat fuit, tot gentibus Hungaros imperare, sed ex
„ se quoque populos emiserunt, qui omnem illam Italiæ partem, quæ olim Gal-
„ lia transalpina vocata est, - - - - occuparent. Ex vobis insuper duces exie-
„ runt, qui & Alemanniam, & Galliam, & Hispaniam invaserunt. Nec gens
„ fuit in orbe toto, quæ vestrum tunc regnum lacessere auderet, tam venerabile,
„ & clarum erat ubique terrarum Hungarorum nomen. At nunc quam lace-
„ rum sit vestrum regnum ipsi scitis, circumspicite totum. Veneti, qui quon-
„ dam pro fundo civitatis suæ tributa pendebant, jam Dalmatiam ex magna par-
„ te tenent: Turci, qui trans Hellespontum formidare vestros arcus solebant,

Annus Christi 1445

Istarum causæ, quæ esse possint

„ in ipsis Hungariæ visceribus grassantur. Poloni, qui quodammodo vestri regni censebantur, Moldaviam sui juris fecerunt, nec Turci sine portione vestrorum dominiorum sunt, nec Bohemi, nec Teutonici. Quid schismaticos, & hæreticos referam per Hungariam debachantes? quid tristia bella per vos cum Turcis gesta? quid animas pene infinitas ex regno vestro quot annis exportari, quid abigi pecora, & omnia in præda duci, quid monasteria, magnique Dei templa ubique apud vos ruere? o regnum olim opulentissimum! o auream provinciam! o terrarum decus! quomodo sic ex te nitor omnis abscessit? quomodo sic abiit color optimus? ubi vigor ille tuorum hominum? ubi reverentia, quam tibi omnes gentes impendebant? ubi Majestas regis? ubi gloria? quid tibi tot victoriæ profuerunt? si tam cito in triumphum duci debebas? quid Romanorum ducum restitisse potentiæ juvit, si nunc illorum vicinorum impetus ferre potes? - - - regnum Hungariæ, cui vix simile vidit sol, sic dissipatum est, ut vix inter se partes ullæ cohæreant.

„ Quæ autem sit tantæ mutationis, ac ruinæ causa non est invenire facile, quia occulta sunt judicia Dei. Non minus hodie, quam olim, fertiles agri sunt: non minus fœcunda pecora, adsunt vinearum proventus, reddunt usuram effossæ auri, & argenti mineræ: sensati homines sunt, industrii, magnanimes, multarum rerum experti, litteræ tam vigent, quam nunquam. Non possum ego de ceteris loqui, quos non vidi, de vobis, qui hic estis, illud possum dicere, quod de quovis hominum genere dici potest. Video enim vos forma proceros, corpore decoros, viribus robustos, sermone gratos, & in omni opere acceptos. Quid igitur est, quod regnum vestrum tantopere depressit, cum nec vires vestris hominibus desint, nec ingenia, sicut ex omnibus audio qui vestram regionem peragrarunt? sunt fortasse nonnulla peccata, quæ Deus punire vult, quemadmodum in veteri testamento factum nonnunquam legimus. Ob quam rem considerandum est diligenter, ut, si quid erratum est, emendetur, ut per opera pietatis divina Majestas mitigetur, quam propter iniquitatem aliquam constat iratam esse. Nec miremur, si dixerim, inter vos aliquid iniquitatis esse. Nam nulla est omnino provincia iniquitatis expers. - - - Cum autem regnum vestrum Deus multis plagis afflixerit, signum est, quia vos amat, & salvos esse desiderat. Nunc vestrum est, ut emendetis, in quibus cogitare potestis offensam esse Majestatem divinam. Inter alia vero, quæ Deus ægre tulit, forsitan illud est, quod regi Ladislao infanti, orphano sine crimine, non, uti par fuerat, favorabiles exstitistis. Nam quamvis plerique vestrum ex magna causa ipsum reliquerunt, quoniam sibi quisque consulere debet, regnum tamen totum excusari non potest: quod si unitum pro justitia pueri fuisset, nunquam Polonus ex adverso intrasset. Utcunque sit, videndum est, ut Deus placetur, ubi offensus est, ut inde medela prodeat, unde vulnus fuit illatum. Nempe quantum ego imaginari possum, ex Deo datum est, ut regnum Hungariæ, quod sub adulterino (1) rege periclitatum est, jam ad suum verum, & legitimum regem Ladislaum revertatur, sub cujus auspiciis redintegrari possit, & ad pristinum reduci nitorem. Bona est equidem vestra deliberatio, probanda, recta, salutifera. Verum quia & ante desertum Ladislaum, immo & diu ante Sigismundi potestatem, regnum vestrum declinare cœpit, nullam ego causam vestræ ruinæ majorem fuisse arbitror, quam discordias vestras. Namque sicut res vestræ per concordiam creverunt, sic per discordiam sunt diminutæ, quoniam nulla durare potestas valet, ubi dissensio regnat. - - - - Civiles autem dissensiones invidia, & ambitio alunt, quæ pestes in regno vestro grassantes, omnium dissensionum vestrarum, & omnium malorum causa fuere.

Et

(1) Loquitur ex Australium sensu, qui Wladislaum, quod sacra corona incinctus non esset, pro vero rege non habuere; quemadmodum Hungari, quod Ladislaus postumus indictis Comitiis ex omnium consensu non electus sit, diu regem suum non dixere.

„ Et utinam etiam non hodie inter vos hi eſſent morbi! namque, ſi depoſitis
„ ſimultatibus, inteſtiniſque odiis concordes eſſetis, & unanimi voto ad commu-
„ ne regni bonum intenderetis, nihil eſt, quod veſtri vicini contra vos auderent.
„ Nec enim provincia ulla eſt, quæ, ſi viros habet, & hi ſint uniti, ſuum non
„ tueri poſſit ſtatum. Difficile munimentum eſt amor civium, inexpugnabilis
„ eſt civitas, quam unitas populi tuetur. Quod ſi parva regna, ſterilia, pau-
„ percula per concordiam ſeſe tuentur, nec vicinorum impetus timent, quanto
„ magis glorioſum regnum veſtrum, ampliſſimum, ditiſſimum & omnium rerum
„ copia abundans, inſultantibus reſiſteret hoſtibus, ſi omnes in unum Barones,
„ regnicolæque concurrerent. Sed ſunt connexæ invicem, neſcio quomodo, ju-
„ ſtitia, atque concordia, nec usquam altera ſine altera reperitur, niſi forſan ad
„ modicum tempus etiam in malo quidam conſpiraverint. Sed hi non poſſunt
„ eſſe diuturni, quia nullius criminis eſt longæva ſocietas. Qui diu concordiam
„ appetunt, hos neceſſe eſt in virtute jacere fundamentum. Dicam plane, quod
„ ſentio, nec vos ægre laturos puto, quod in bonum finem eloquor. Liquidum
„ eſt apud me, idcirco veſtrum regnum in magna parte vaſtatum eſſe, quia concor-
„ diam caruiſtis, concordia vero propterea vos deſeruit, quia juſtitiam non amaſtis. Vos
„ ipſi poteſtis reminiſci, multis in locis apud majores veſtros juſtitiam fuiſſe neglectam.
„ Noſtris vero temporibus magnum illud fuit, quod Ladislaum deſeruiſtis infan-
„ tem, & nullum habentem, qui ſuum jus tueretur, niſi Deum, quamvis non-
„ nulli veſtrum neceſſitate magis, quam voluntate ab eo defecerint, quibus ni-
„ hil eſt imputandum, ſi metu gravi perculſi vitæ ſuæ conſulere voluerunt. Nec
„ enim hi hodie ſumus, qui pro juſtitia capita noſtra ponamus. Diximus jam
„ cauſarum aliquas, quæ regno veſtro obfuerunt, quantum nos opinari valemus:
„ apud Deum fortaſſe, motorem omnium, in cujus manu ſunt omnia regna mun-
„ di, aliæ ſunt, quas ignoramus.

Has non aliter ſublatum iri, quam electo Ladislao.

„ Nunc de remediis tranſigendum eſt, ut eam inveniamus, quam quæ-
„ rimus, utilitatem. Nempe viri præſtantiſſimi, ſi regnum veſtrum vultis inſtau-
„ rare, vultis enim, non ambigo, contrariis artibus enitendum eſt, quærenda
„ juſtitia eſt, habenda concordia, jungendus amor: Ladislaus, qui verus rex
„ eſt, repetendus, fovendus, juvandus, ut violata in eo juſtitia reſarciatur.
„ Dicitis forſitan, fruſtra hic loqueris, cum jam ob eam cauſam hic ſimus, ſed
„ hoc haud ſatis eſt. Nam & legatio veſtra conditiones quasdam habet, quas
„ poſſibile eſt, cæſarem non admittere. Quid tunc facietis? quid ſi non detur
„ puer ad Albam regalem, quia non videtur cæſari faciundum: quid ſi nege-
„ tur coronatio nova? an infecto negotio recedetis? hic bic deliberandum eſt,
„ hic conſulendum, bic videndum eſt, ne juſtitia deferatur, & ne, quod ex-
„ pedit regno veſtro, negligatur. - - - Eſt igitur vobis ad juſtitiam conſervan-
„ dam Ladislaus in regem habendus, qui Sigismundi Nepos, Alberti, & Eli-
„ ſabeth filius, avito, paterno, & materno jure regnum vendicat. - - - Al-
„ berto regi veſtro par eſt, Ladislaum ſucceſſorem filium ſuccedere, niſi &
„ pietatem, & humanitatem omnium populorum, gentium, nationumque jura
„ velimus pervertere. Verum ne propoſiti noſtri metas egrediamur, cum ju-
„ ſtum ſit, Ladislaum apud vos regnare, videamus, an etiam utile exiſtat. Stoi-
„ corum ſententia eſt, nihil utile ſore, quod non ſit idem honeſtum: nec, ut
„ mihi videtur, falſe arbitrantur Stoici, quia nihil eſt utile, quod turpe ſit,
„ videri poteſt utile, eſſe autem non poteſt. Nam turpia, & vitioſa, caduca
„ ſunt, mutabilia, fluxa, curas ſemper, atque moleſtias afferentia: quæ juſta
„ ſunt, & boneſta, ea manent, nec unquam mentem turbant. Sed diſſeramus
„ hæc alio modo. Sunt, ut accepi, nonnulli, qui nec vocandum Ladislaum
„ rentur, nec cum cæſare quidquam practicandum. Quidam vero boneſtum
„ ajunt, vocari Ladislaum; quod ſi non detur, per alium modum regno con-
„ ſulendum cenſent. Apud hosce homines minima eſt de juſtitia mentio, utili-
„ tatem ſolummodo ſectantur, ſed neſciunt, quod nulla eſt ſine virtute utilita-
„ tis poſſeſſio. Diſcutiamus ergo iſtorum opiniones, reſpondeamusque contra-
„ riantibus.

Annus Christi 1445.

„ riantibus. Ego quidem tunc utile putarem regno vestro negligi Ladislaum,
„ si sine ipso & concordes esse possetis, & ab hostibus regnum tueri. Quod si
„ hæc absint, quid vobis utile esse queat? examinemus ista, si pacem in regno,
„ & concordiam vultis habere, aut populare regimen, aut regale habendum est.
„ Dimitto nunc illam Aristotelis, quam in Politicis de modo regendi considera-
„ tionem habuit: Nam ad hæc duo possunt omnia referri. Quid vos obsecro
„ inter hæc eligetis? quis vestrum est, qui populare regimen audeat suadere?
„ omnes vos, qui hic estis, nobiles estis: at in regimine populari omnis nobi-
„ litas suapecta. Surgunt plebeji, & æquato jure rempublicam administrant,
„ quidquid excellit, amputant. Respicite civitates, quæ in communi guber-
„ nantur, nullus in atrio nobilis est, mercatorum sunt omnia. Ego non puto
„ quemquam vestrum velle sub artificibus potius esse, quam sub regibus. Ad
„ hæc est, quod vestrum regimen usque in hoc ævum semper sub auspicio re-
„ gum gubernatum est. Nec reor novitatem vos velle nunc agere, quæ mater
„ erroris esse consuevit. Exinde, cum regnum vestrum undique bellis flagret,
„ necessarium est regem habere, ad quem omnia referantur. Ubi pax est, mul-
„ titudo regnare potest, ubi sunt bella, nisi unus sit, qui dirigat, omnia corru-
„ unt. - - - Nec enim sine Principe frementibus armis possunt provinciæ defen-
„ di. Vos ergo, qui cum Turcis assidua bella geritis, necessarium est, regem
„ habere.

Neque prudenter sive ex domesticis, seu exteris Principibus aliquem legi posse.

„ Sed hic quoque de rege deliberandum est. Ajunt nonnulli, multos esse
„ in regno ex sanguine claros, & virtutibus præditos, quos reges esse nequa-
„ quam dedeceat. Quod ego non negaverim. Nam & ex vobis, qui hic estis,
„ non irem inficias, corona dignum aliquem fore, sive claritas generis, sive formæ
„ decus, sive animi magnitudo, & probitas requiratur. Verum cum non possit,
„ nisi unus rex fieri, inter vos autem plures sint diademate digni, sitque magna
„ æqualitas inter vos, quis non videat, magnam invidiam nasci, si quis vestrum
„ in regem sublimetur; inter pares nunquam invidia deest, nec æquo animo sui
„ similem, sibi præferri sinit. Sunt inter vos diversæ voluntates, &, ut Comi-
„ cus ait, quot capita, tot sententiæ. Quis unquam sibi suadeat, tot prælatos,
„ tot proceres, tot civitates, tot incolas in unum consentire, qui ex Hungaria
„ præficiatur in regem. Addite, quod inimici vestri circumstantes Turci vires
„ mox vestras contemnerent, audientes ex vobis esse creatum regem, cum pro-
„ pterea scirent vos ab omnibus christicolis destitutos, & a Germanis præsertim,
„ quorum sanguinem injuria reliquissetis. Quid ultra? an putandum est, regem
„ Bosniæ, Despotumque Rasciæ, & alios Hungariæ magnates, qui vix Ludo-
„ vicum, Sigismundumque reges supra se ferebant, jam unum ex vobis æquo
„ animo sibi dominantem pati. Taceo domum Austriæ, & comitem Ciliæ, qui
„ nunquam ab obedientia pueri recederent. Quocirca non video, quomodo ex
„ vobis eligi rex possit, qui & hostes repellat, & regnicolis pacem præbeat. Ve-
„ nio extra regnum: nec, quo pacto ex aliis gentibus regem habere possitis, vi-
„ deo: nec enim adeo deductos vos arbitror, ut ex infidelibus reges accipiatis,
„ qui multis non dicam annis, sed seculis fidem Christi proprio sanguine contra in-
„ fidelium impetus defendistis. Polonia, quæ vobis regem dare voluit, in eo
„ jam statu est, ut vix sibi regem inveniat. In Alemannia quicunque sunt Prin-
„ cipes, regio digni fastigio, Ladislao regi arctissima juncti sunt consanguinitate,
„ nec quisquam tam est regendi cupidus, ut proprium sanguinem lædat. Bohemia
„ Ladislaum respicit. Ceteræ nationes remotissimæ sunt, ex quibus si regem vel-
„ letis vocare, etsi personam haberetis, auxilium tamen per tot regiones, tot
„ gentes, tot terrarum, marisque spacia non possetis habere; sed concedamus
„ esse aliquem, vel in Germania, vel alibi, qui vestro vocatu regnum accipiat, ---
„ an propterea pacem habebitis? an Turcis resistere poteritis? an utilitatem,
„ quam vultis, consequemini? Nunc hinc Australes, inde Turci regnum ve-
„ strum infestabunt. Num partes in regno erunt, quæ nihil otiose fieri permittent.
„ Sane viri prudentissimi, & alto sanguine nati, si pacem in regno vultis habere,

ini-

Annus Christi 1445.

„ inimicosque Turcos procul arcere, nec populare habendum est regimen, nec ex vobis rex assumendus, nec in alia gente quærendus. Quoniam in Austria hic est, de quo loquutus sum, & quem accersitis, Ladislaus, Alberti filius. In quo si nobilitatem quæritis, nemo est eo in orbe toto nobilior. --- Sic enim domus Austriæ initium habet, in qua plurimi Romanorum reges fuere, quæ & Bohemiæ, & Poloniæ, & aliis regnis persæpe reges dedit. Maternum genus ex regibus vestris prodit, Mater illi regina vestra Elisabeth fuit, avus Sigismundus Imperator, proavus Carolus quartus. Exinde Joannes rex Bohemiæ, ac Henricus septimus cæsar, qui post translationem imperii apud Germanos excellentissimi fuere. Ubinam tanta nobilitas, tantaque sanguinis claritudo? Certe hic potissime ex omni christianitate dignus est, qui vobis generis claritate pollentibus esse rex debeat. Hic inter vos natus est, & in ipsa infantia, coronam vestram adeptus; nemo in regno vestro jus habet, nisi puerulus iste. Hic vobis Teutonicos omnes, amicos reddere potest; atque Bohemos conjungere; hic pacem vobis intrinsecam reddet, hic Despotum, & comitem Ciliæ in unum vobiscum conjunget, hic vobis Fridericum cæsarem, patruelem suum, affectissimum faciet; hic omnia dominia Austriæ, hic ducem Burgundiæ consanguineum suum, & Franciæ dominum sibi conjunctum, in vestrum auxilium, cum opus fuerit, advocabit. In hoc puero regia Majestas elucet, jam in puerili ætate liberalitatem ostendit, ac prudentiam præsefert singularem. Forma illi egregia, & plus, quam dici possit, decora, jam paternam magnanimitatem, & avitam sagacitatem indicat, brevi tempore grandiusculus erit, ac per se ipsum loqui, & gubernare poterit. Cum hoc schismaticos exstirpare de regno poteritis, cum hoc Turcos repellere, Dalmatiam vendicare, & quidquid alienatum est, ad coronam reducere, paceque sancta, & optima frui.

Quod uti faciant, proposita præmiorum spe hortatur.

„ Quocirca cum tanta, & tam evidens utilitas appareat, si perseverare cum Ladislao rege volueritis, quamvis non puto, vos ullo pacto absque desiderata conclusione recessuros, ut tamen oratiunculæ meæ destinatum finem imponam, circumspectiones vestras oro, precor, obsecro, & obtestor, ut hæc, tot, tantaque regni commoda considerantes cum cæsare nostro omnino conveniatis, nec in eo vim faciatis. Si quid est, quod vestris petitionibus diminuatur, dummodo rex in regni vestri aliquo loco sit, Majestati cæsareæ accepto. Nam nec cæsar ipse, quod justum fuerit, denegabit, quia etiam de sua utilitate agitur, cum regnum vestrum amicum habet. Nec moveant vos instructiones in Pesto factæ; nam & vos ipsi potissimi autores earum fuistis. Nemo moleste accipiet, si quid per vos pro regni pace fuerit immutatum. Palatinus autem, & qui cum eo sentiunt, allegare Pestienses ordinationes nullo modo possunt, qui ab eisdem, multis jam modis, recesserunt. Sumite igitur animum Viri præstantes, concludite cum rege, quocunque modo potestis, dicite demum nullius vos regis, nisi Ladislai dominatum passuros. Amplectimini justitiam pueri, recipite, quæ vobis utilia esse ostendimus. Efficite, ut & Hungaria tota per vestram operam se quietam, & pacificam intelligat redditam, & puer ipse Ladislaus vester Hungarus, suum regnum per manus vestras, vestraque studia recuperasse cognoscat, &, cum virilem togam acceperit, te Cardinalem, qui eum baptizasti, te Vesprimiensem Episcopum, qui patri suo servivisti, te Nicolaum Vayvodam, qui militem eum fecisti, te Ladislaum Banum, qui sanguine sibi conjungeris, te Giscram, qui ejus partes indefesso animo semper defendisti, te Emericum, qui avo suo charissimus fuisti, & vos omnes legatos præsentes, tanquam suos tutores, suos defensores, suos parentes veneretur, ac honoribus, dignitatibus, opibus, & omnibus officiis, & beneficiis supra ceteros regni proceres singulari quadam affectione, & animi jucunditate prosequatur.

Legatorum postulata.

Hactenus Æneas: qui num conscio Friderico hæc legatis expendenda proposuerit, an contra suopte in Ladislai partes, cui deditissimus erat, illos allicere voluerit, nihil habeo, quod affirmem. Ceterum oratores minime propterea ab instituto recedendum putavere. Ut primum enim ad cæsarem admissi sunt, *pe-*

Annus Christi 1445.

titio, ut idem Æneas scribit (1), *legatorum fuit: quia regnum in Pesto conveniens Ladislaum Alberti filium in regem delegit, oramus te Cæsar, hunc ad Albam regalem cum sancta corona nobis assignes. Nam & ibi coronare eum volumus, & sibi, ut par est, homagia præstare: posthac satis erat, si eum in regno, coronamque habuerimus. Verba alia fuerunt, sententia tamen ista. Responsum est, qui coronatus sit, eum non amplius coronandum esse. Ladislao & paterno, & avito, & materno jure regnum deberi Hungariæ. Bene tamen fecisse Hungaros, qui verum suum hæredem, non alium elegerint. Quod in regna puer teneatur, non esse invitum cæsarem, quamvis & alia regna eum respiciant, & alia dominia. Pluraque alia dicta sunt, ut est in curiis Principum mos, ad ostentationem magis, quam ad veritatem. Cum, pluribus, utrinque tractatibus habitis, nulla concordia inveniri posset, Nicolaum Vayvodam accersiri placuit. Ad quem Ladislaus Banus, & nonnulli alii missi sunt. Sed is, nescio, qua diffidentia motus, venire noluit, nisi & aliqui ex consilio cæsaris ad eum mitterentur: ob quam causam Ulricus Comes de Schavenburg, adolescens supra ætatem prudens, cujus pater ob singularem sapientiam Alberto regi acceptissimus fuit, & modo apud Fridericum cæsarem percharus est. -- Tum & Caspar Schlik cancellarius ingenio celeri, consilio gravi, & in Hungaria notissimus, cum plerisque aliis destinati sunt. Hi apud Sopronium convenientes, Nicolaum in quadam villa commorantem, accesserunt, multis verbis, ac promissionibus, ut Viennam peteret, induxerunt. Nullius tamen verba magis eum movere, quam Casparis, quem ipse cum Sigismundo, tum Alberto cæsaribus viderat inprimis acceptum.* (2) *Is ergo in celebritate Divi Hieronymi Viennam ingressus est. Comites illi erant, Matthias Episcopus Vesprimiensis, antiquus regni cancellarius, vir corpore brevis, sed honesta facie, atque canitie venerabilis. Aderat & Emericus de Marczaly, Curiæ quondam regiæ magister, antiquisque regibus charus; plures etiam alii venerant domi nobiles, equitatus circiter quingentarum personarum. Fuerunt loricati ducenti, quadrigæ quatuor atque viginti.*

Advemente Vayvoda Transilvano, altercantur cum cæsareis]

Cæsar illi cum omni militia, Sigismundoque duce, vivaci, & animoso juvene extra portas obviam ivit. -- quæ Vayvodam moverent, ne in conspectu suo equum descenderet, nescitur. Sic enim hodie imperii dignitas attenuata est, ut vix illi comites caput inclinent, cui maximi Reges se se solebant ad terram prosternere. --- Pomposius erga Nicolai adventus fuit, cui & cæsar obviam processit, & omnis civitas quasi ad spectaculum effusa est, Hungarorum quoque intuitu Ladislaus puer, qui tum in arce Schadvienensi, ubi Stiriam Austria terminat, tanquam in munitissimo loco tenebatur, usque in Lachsenburg deductus est. Postque finitis solennitatibus ad tractatum reventum est. Nicolaus eadem postulavit, quæ Cardinalis, atque collegæ prius petierant. Dum variæ locutiones habentur, Hungari, qui consilium regis intrabant, cum aliis Hungaris usque ad probrum contenderunt. Giscra quoque Nicolaum jurgio aggressus est, quod is nova quadam coronatione, se, qui fidem mutaverat, justum ostendere vellet, & alios, qui fidem inconcussam tenuerant, reprobare. Dolebat Giscra, quod amplius in consilio Hungarorum non reciperetur, sed clam eo singula fierent. Itaque postea in cæsareo consilio receptus est. Et quamvis industria Casparis Cancellarii, & aliorum amicorum reconciliatus Nicolao fuerit, Hungarorum tamen consiliis noluit interesse. Post hæc, cum jam Hungari in convivio cum cæsare fuissent, pluraque tractata in vanum viderentur, ultimum responsum postulatum est, quod in hanc fere sententiam cæsar dedit: coronationem novam, quamvis necessaria non esset, unctione omissa, pro pace, & unione regni permissurum se fore; velle tamen publicis regni litteris caveri, primam propterea nullatenus violari coronationem, securitatemque dari, & puerum, & Coronam post hæc sibi restitui, quos in Pasonio, qui est regni locus insignis, nutrire vellet, si nomine pueri, cujus est arx, sibi consignaretur. Obligationem, quam Hungari petebant, absque voluntate vicariorum regni, puerum non abduci, fieri non decere, quia cæsari solum tanquam proximo consanguineo, & per Ma- trem

(1) Epist. 81.

(2) Epistola Æneæ ita habet: *quem ipse cum Sigismundo & Alberto Cæsaribus potestatem viderat, & in primis acceptum.* Quæ cum sententiam contortam reddant, corrigenda putavi, ut suus verbis sensus redderetur

trem, & per alios commendatus ille fuisset. Promittebat tamen, litterisque firmaturum se cæsar dicebat, deficiente puero, nec coronam, nec castrum Posonii alienari a regno, viderique sibi bonum dicebat, Prælatos, ac Barones regni apud Posonium convenire, ubi de modo celebrandæ coronationis cum securitate, deque regno gubernando concluderent. Super quibus rebus, si potestatem Hungari haberent regni nomine, statim se cum eis determinationem facturum ajebat: sin autem, hortatus est, talia ad communitatem regni deduci, responsumque mitti. Novitates autem fieri magnopere dissuasit, prædicens eis, verum Hungariæ regem Ladislaum, nec sine ipso pacem inveniri posse, cujus fundamentum est justitia.

Annus Christi 1445.

Quo responso conturbati Hungari, mox se recessuros ajebant: sed quam primum ad diversoria redierunt, vocato Ulrico Ciliæ comite, viro cordato, atque sagaci, qui propter hujusmodi tractatus advenerat, Casparum quoque cancellarium appellavere; nam & sibi magnam fidem habebant, tum quia industrium virum cognoscebant, tum quod eum cæsari acceptum putabant ex responsionibus, quæ fere omnes ex ipsius ore pronunciabantur. His autem Hungari, responsum cæsaris injustum esse, futurumque regno ingratum. Contra Caspar, atque Ulricus omnia æqua dicunt, quæ cæsar responderit; mirarique se, Hungaros tam aridos, sterilesque venisse, ut neque unam regni arcem assignare Ladislao possent, in qua post coronationem juxta decus regium habitaret. Quid multa? nolumus, inquiunt Hungari, sic nudi recedere. Sunt etiam alia, si vultis, in quibus conveniri potest. Arx Posonii in potestate nostra non est, sed Albam regalem cæsari trademus, qui eam, dum coronatio celebratur, suo arbitrio muniat, nec plures introire permittat, quam velit. Nos, qui sumus hic ex Hungaria, & tu comes Ciliæ cum Giscra fidem cæsari demus, puerum celebrata coronatione ad Hamburgum, quod est Austriæ oppidum, restituere. Coronam in manibus vicariorum regni servari volumus, aut si hoc non placet, sub tua custodia ponetur, Ulrice: tum quoque & Alba regalis Nicolao Vayvodæ reddenda erit. Referuntur hæc cæsari: quidam laudant, quidam improbant. Comites Croatiæ, & hi, quorum longe diversa sententia fuit, ajunt Hungaros humiles factos, nonnulla justa promittere, multo tamen plura promissuros, si propositum teneatur. Exinde, quod semel responsum est, minime placet mutari. Nam quod reges dicant, fixum, & solidum esse debere contenditur: inconstantiam, cum in privatis hominibus vitanda sit, in regibus detestabilem esse, quorum verba pro legibus recipiuntur. Rursus Hungari, quæ supra retulimus, offerunt, adjiciuntque, coronam quoque in manus cæsaris se reddituros, caveri tamen volunt, ne vel pueri, vel cæsaris morte a regno possit alienari. Cæsar in consilio, postquam hæc audivit: grave est, inquit, viri consulares, si Hungaris non confidimus, regnum puero perdere, sed gravius est confidendo puerum regno amittere; consulite in medium, mihi jurati, fidelesque estis. Non defuerunt, qui dicerent, regnum manifeste perdendum esse, nisi fides habeatur, de puero dubium esse, nec videri causam, cur puerum regnicolæ perdituri crederentur. Nihil tamen in consilio plus reperiri potuit, quam prius: sic re infecta Hungari discesserunt, quos cæsar extra urbem comitatus est. Cum rogaretur Nicolaus regem suum visere, qui suo proximus erat itineri: nescio adhuc, inquit, quem regem sim habiturus, nec puerum hunc venerabor, nisi prius scivero meum esse dominum. Quidam contra ex Hungaris ajebant, Ladislaum se regem habere, nec sibi quidquam imputandum, qui per ætatem loqui non posset, ac propterea complures eorum regem adiverunt, muneraque puero tradiderunt, &, quasi divinum aliquod numen intuerentur, genibus flexis multas lacrimas ante ipsum effuderunt. Vesprimiensis Antistes: O, inquit, generosissime puer! dabitne unquam Deus, ut prius te in regno videam, quam hæc senectus deficiat. Cresce puer, cresce! nemo te vivo regnum Hungariæ tibi surripiet. Dionysius autem Cardinalis magnam auri copiam in manus regis dedit, osculatusque puerum: Heu! quot, inquit, labores pro te subivi, quot damna sustinui, quot me periculis subjeci! sed omnia mihi dulcia forent, si te semel in regno viderem. Mansitque triduo post apud cæsarem. Sic res cum Hungaris acta est.

Reque infecta domum redeunt.

Quæ dum Viennæ magna utrinque verborum altercatione fiunt, Hunyiades memor injuriæ, quæ sibi ab Dracula Valachorum post Varnensem cladem

Hunyiades moto in

Annus Christi 1445.

Valachus bello, Draculam cum filio obtruncari jubet.

irrogata erat, non invitis regni ordinibus bello hominem nihil tale metuentem adoritur. Superatis ex improviso alpibus, quæ illius ditiones ab Transilvania secernunt, corrupta ferro, igneque late vicinia provinciam omnem in potestatem redigit, Draculamque in oppido quodam cum duobus filiis comprehendit. Patrem, quod icto cum Turcis fœdere permultum Hungariæ incommodaturus videretur, sæpeque alias Transilvanos infestis armis contra initæ amicitiæ jura petiisset, cum filio natu maximo capite multari, minorem natu, ne justam patris pœnam in injuriæ loco acciperet, & olim vindicaret, oculis privari jubet. Constituto deinde, qui provinciam vicaria potestate regeret, in Hungariam victor redit. (1)

Friderico frustra Bohemorum animos tentante.

Fridericus, postquam frustra in flectendis Hungarorum legatis operam locari vidisset, alia via animos eorum tentandos censuit. Cum enim Ladislai percupidos, neque, ut res suadebat, ab eo recessuros videret, oratores in Bohemiam misit, qui regni ordinibus pollicerentur, si Sedi Apostolicæ obedientiam præstarent, aderant enim commodum ab Eugenio legati, se cum Ladislao rege, quoad legitimæ ætatis esset, Pragæ sedem collocaturum. At cum Bohemi indicto ad III. idus Novembres conventu, responsa se primum daturos renunciarent, frustra is conatus erat (2).

Hungari dolo Palatini factionibus aguntur.

Neque Hungari, qui has molitiones non nesciebant, propterea magis tractabiles domum maturabant, ut comitiis, quæ Albæ regiæ cogenda erant, interesse, ac, quo eventu legationem Viennæ obiissent, regni ordinibus referre possent. Sed quibus partium studiis omnia domi, agente in primis regni Palatino, involuta repererint, malo Æneæ Sylvii, quam meis verbis referre, quod multa in ejus narratione sunt, quæ & coævi, & posteriorum temporum scriptores penitus prætermisere. *Post hæc*, inquit, *cum in Hungariam rediisset Nicolaus Vayvoda Transilvanus, plurima pertentavit. Sed regnicolis nulla via persuaderi potuit, quæ Ladislaum excluderet. Convenit igitur alterum Vayvodam Joannem, Ladislaique jus simul tueri pepigerunt, missisque clanculum ad cæsarem nostrum nunciis, confirmationem suorum officiorum obtinuerunt, ac rursum facultatem quandam, cujus vigore ceteros regnicolas ad obedientiam Ladislai reducentes, officia, dignitatesque possent illis confirmare. Conventumque regni apud Albam regalem in tempus indixerunt. Jamque plures illic sunt, reliquos expectantes.*

Seminatis inter Hunyadem, & Vilakum dissidiis

Sed Laurentius Palatinus non immemor suarum artium, ubi jam sibi figmentum Polonicum minime amplius prodesse perpendit, nam mors Wladislai Poloniæ regis omnibus persuasa est, novum deceptionis genus excogitavit. Rumorem namque in populos divulgat, se jam cum duce Burgundiæ convenisse, ut ejus filium in Hungariam navigio transmittat, ejusque rei mediatorem, quemdam Hispanum asserit, qui classi ponticæ, nomine Philippi ducis præerat, & nuper hac transivit, Romam petiturus. Sed nemo est, qui Palatino fidem habeat. -- Sciunt insuper omnes ducem Burgundorum, unicum duntaxat habere filium, quem minime ire perditum vellet, cum sit dives ac potentissimus, & regi Ladislao sanguine junctus. Cui non est imputandum nobilem Principem injuriari, & maxime, cum ejus dominia ab Hungaria remotissima sint, nulloque possint esse usui Hungaris, quæ res Palatinum nedum mendacem, sed delirum reddunt. Hinc ipse, cum suos conatus incassum ire perpenderet, conventumque apud Albam teneri, jamque Vayvodam Joannem illuc pergere, & ad vicesimum lapidem esse in vicinia, missis litteris, ac nunciis, Joanni indicat, insidias sibi apud Albam structas esse, Nicolaumque velle in eum manus injicere: quod si velit captivitatem evadere, aut mortem, Albam, ne petat, instruit. Joannes territus hoc nuncio, minime ulterius pergit. Accipit hoc Nicolaus, vocatisque proceribus, nimis multis, inquit, fraudibus utitur Palatinus; sua est hæc techna, quod ad nos Joannes venire timet. Sed adibo ego eum, nec timebo eum, qui me timet: expurgabo, quod mihi ingeritur crimen, nec de aliis cogitabo, quod ipse in alios non cogito, neque salvum conductum, nec fidem peto ullam. Satis tuta innocentia est: si quid tamen præter spem evenerit, viros vos esse commoneo, meam ut vindicetis injuriam. Atque sic Ni-

(1) BONFIN. Dec. III. Lib. VII. & THUROC. Chron. Parte II. cap. 44

(2) BOHUSLAUS BALBINUS Epit. rer. Bohem. Lib. V. cap. 3.

Nicolaus cum paucis Joannem accessit. (1) Hunyiades Nicolai adventu de fraudibus Palatini edoctus, haud gravate Albam regiam ad reliquos proceres se contulit. Hic cum legati eorum, quæ Viennæ ab se acta erant, rationem ordinibus reddidissent, neque appareret, Friderici animum pacis tractatione in melius mutatum iri, placuit, ut intentato Australibus bello, vi, armisque Ladislaus in regnum cum corona reduceretur: dataque Hunyiadi mandata sunt, ut conscripto milite injuriam confestim ultum iret. Itaque contracto duodecim aut, ut alii malunt, viginti millium exercitu, in Austriæ fines, quamquam hibernum tempus esset, irrumpit, agrumque Sopronienfem, & Neostadiensem latissime populatur, ac urbem, in quam se cæsar milite destitutus receperat, obsidione circumvallat. Inde Raynaldum Rozgonium cum equitatus parte in Austriæ mediterranea immisit, qui ad Viennæ montes usque, & Hamburgum, oppida, pagosque ferali incendio involvit. Spectavit hæc Fridericus Neostadii inclusus, neque tamen persuaderi potuit, ut Ladislaum Hungaris traderet, ratus, quemadmodum evenerat, Hunyiadem ob temporis inclementiam obsidionem sponte soluturum. Nam is paulum post, quod bruma rigidissima instaret, nec quidquam cæsaris patientiam periclitatus esset, revocato cum ceteris Rozgonio, copias præda onustas domum reduxit. (2)

Annus Christi 1445.

Quibus complanatis ille in Fridericum arma movet.

Ubi hyemis rigor remisit, nihilque esset, quod ob aëris intemperiem ordines a conventu prohiberet, visum est, ut rursus Pestini reipublicæ causa proceres coirent, & de iis, quæ ad regni orbitatem attinebant, in commune consilia conferrent. Maxima de Ladislao postumo oborta consultatio est, non, accersendusne esset in regnum, an contra ab solio arcendus, sed num jure prius electus fuisset, & diademate redimitus, an potius nova suffragatione legendus. Quandoquidem alii *nolebant eum fateri regem, quoniam regnum non successione, sed electione deberi dicebant: verebantur enim proditorum nomen, si eum regem faterentur, qui alterum regem secuti fuissent* (3). Alii autem, quod ad consulendum orbitati patriæ, non ad serendas lites conciti essent, parum ad id utiles tricas insuper haberi, & Ladislaum missa rursus ad Fridericum legatione ad Hungariam ex Austria evocari oportere contendebant. Hæc, ut meliorum fuit, vicit quoque sententia; præsertim quod Hunyiadis, & Nicolai Transilvaniæ Vayvodarum studio Laurentius de Hedervara Palatinus in postumi partes pellectus fuisset. Itaque communi omnium voluntate decretum est, Ladislaum Alberti filium, citra moram ad jus capessendum ab cæsare repeti, & in Hungaria ali oportere, ut cœlo, ac gentis moribus ab teneris consuesceret: sin abnueret, bellum nolenti indiceretur. Interea, quoad per se se gerendo magistratui par esset, optandum ex proceribus aliquem, qui pro puero rempublicam vicaria auctoritate administraret. Quo dignitatis gradu, quamquam multi se haud indignos existimarent, Hunyiadis tamen virtus de regno, & christiano orbe quam optime merita facile effecit, ut præteritis ceteris hæc ei honoris prærogativa citra aliorum invidiam conferretur. Constituti tamen ab conventu limites sunt, quos excedere nefas esset, & jurisjurandi formula, ex cujus norma potestate uteretur, in hunc tenorem præscripta. (4) *Deus te ita adjuvet; Beata Virgo MARIA tibi ita misericordiam impetret. omnes sancti sic pro te intercedant. Dei Sanctissimum Corpus in extremo tuo die ita saluti conducat: terra ossa tua ita suscipiat, & sic die tertio non ejiciat: in universum semen tuum sic non deficiat: Ita in die judicii sanctorum Dei vultum ita conspicere valeas: in æterno inferno ita non sepeliaris, sicut universa hoc regesto contenta, in profectum, & utilitatem regni conscripta, toto conatu determinate tenebis, nihil in contrarium eorum facies, neque fieri procurabis.* Fuere autem, quæ dicto Sacramento servaturum se polliceri prorex debuerat, ea imprimis, quæ ordines in conventu pro commodo & tranquillitate regni communi suffragatione constituissent: inter quæ illud præcipue haud indignum memoria,

Annus Christi 1446.

Celebrato conventu regem repeti oportere decernitur.

Constituto Hunyiade, qui vicaria potestate regno præesset.

Jurisjurandi forma, qua se hic regni ordinibus obstrinxit.

(1) Epistola 93.
(2) Gerardus de Roo. Hist. Austr. Lib. V.
(3) Æneas Sylvius in rebus Friderici III. Tom. II. Analect. Bibli. Vindob. Cl. Kollarii.
(4) Extat Tom. I. corporis juris Hungarici.

Annus Christi 1446.

& annalibus nostris proprium est, quo sancitum ab optimatibus comperio; juris dicundi rationes condito novo sigillo ab Hunyiade administrandas esse; quoad rex, quem hoc conventu legissent, coronaretur. Ex quo facile consit, proceres, nec primam Ladislai coronationem, nec cæsaris ea in re postulata quidquam valere hactenus voluisse.

A Friderico accusatus regni ordinibus

Dum hæc incredibili Patrum cura, studioque geruntur, præter omnium opinionem gravissimæ ab Friderico Romanorum rege litteræ ad conventum redduntur, in quibus proregem non modo injuriarum postulat, sed satis sibi quoque ab regni ordinibus fieri prolixe contendit. Criminationis capita satia longinque, & a bello, quod Cilejensi Comiti obmoverat, petebantur. Nimirum eadem opera, qua Ulrici ditiones ferro, flammaque vastasset, in Styriensem agrum populationem illatam, & Præfectum Arcis Græcensis justo prælio collatis signis ab Hunyiade profligatum questus est. Quæ cum contra fœderis, & amicitiæ jura patrata essent, sperare se, regni ordines pro suo in rem publicam studio facturos, ut hæc ne impune patrata videantur. Hunyiades jussus ab ordinibus facti rationem reddere, postquam se gravi oratione conventui purgasset, scriptis quoque ad cæsarem litteris criminationes in hæc verba diluit. (1)

Serenissime Princeps!

Criminationes per epistolam refellit.

„ Dum his diebus litteræ Majestatis vestræ in hac conventione generali „ legerentur, placuit communi deliberatione, ut super his, quæ ad partem meam „ objiciebantur, sicuti coram vocaliter, sic apud Majestatem vestram præsenti„ bus scriptis, rationem reddere non postponerem. Scribit itaque serenitas ve„ stra, qualiter ego nuper, dum apud terras comitum Ciliæ exercitualiter pro„ grederer, nulla diffidatione præmissa, immo, contra propria mea pacifica scri„ pta, in quibus Majestati vestræ servitia mea pollicitus fueram, ducatui Sty„ riæ plurima damna, & nocumenta intulerim. Placuit serenissime Princeps au„ dire, ista quo animo serenitas vestra ponderaverit, ut locus apertior daretur „ rescribendi, quo rem, & hunc casum nude expedire, vis, jusque adesset.

„ Igitur dum post multiplices, in terra, cœloque crudeles, & inhumanas „ injurias susceptas, nuper Domini Barones hujus regni provocata arma adver„ sus prætactos comites Ciliæ movere decrevissent, ego, tanquam capitaneus „ in id opus deputatus fui: nusquam fateor illa intentione, ut vel contra Ma„ jestatem vestram, vel subditos, seu terras ejusdem, diffidationem, vel guer„ ram commoverem; sed, sicut scriptis pacificis expresseram, ita & mente ge„ rebam, servitia potius mea, quam offensionem Majestati vestræ semper inferre. „ Unde & illa damna, quæ hac vice terris, & subditis serenitatis vestræ illata „ feruntur, non meo certe studio, non intentione, non denique præconcepta „ voluntate, sed illorum damnificatorum insperata, & vehementi provoca„ tione id evenit. Ego enim illata mihi arma offendi prius, quam aliis „ intuli. Nam dum prope castrum Borlin (2), exercitualem descensum posuis„ sem, revera omni nocendi intentione abjecta, per notabiles commilites, ac „ nuncios meos, castellano ejusdem castri, qui Frigh nominabatur, significari „ feci, nihil me nocendi animo acturum adversus Majestatem vestram, & sub„ ditos ejus, sed alio iter meum, & arma pariter destinata esse, & ob hoc eun„ dem requiri jussi, ut pacificum progressum meum inimica resistentia non tur„ baret. Qui quidem audita intimatione mea, e vestigio turbidissima relatione „ ad se missos exasperans, petitis tribus millibus marcarum monetæ, iter mihi, „ & securitatem vendere proponebat. Sed cum non reperisset emptorem, mox „ cum armigeris suis hostili manu insperate exiliens, provocavit contra se pa„ cificorum arma, coegitque me invitum, ut vi, & ferro iter per circuitum ape„ rirem. Idemque, dum versus civitates Petoviæ, & Marpurg propinquarem „ pacificum eisdem civitatibus, item capitaneo serenitatis vestræ in Grecz con-

stituto

(1) Joann. DE ZREDNA Epist. XXI.

(2) Id prope Petovium erat.

Annus Christi 1446.

„ ſtituto, meum progreſſum nunciavi, nihilque inimica manu attentare velle adverſus terras, & ſubditos Majeſtatis veſtræ. At hi quoque ſimiliter, nunciatæ paci adverſantem manum opponentes, plurimos de exercitu meo, interdum ſparſim, ſine timore repertos trucidare, & captivare, ac ſpoliare cœperunt. Præterea apud vadum Dravæ, præfatus capitaneus de Grecz cum ſuis equitibus, & peditibus occurrens, tranſitum meum inhibere contendebat, quem, cum declinare nequiverim, invitus pugnam inſtitui. Inter quæ impedimenta, adverſitates, & provocationes nec quidem evitari potuit, quo minus damna aliqua, præſertim in his locis, quæ mixta ſunt tenutis præfatorum comitum Ciliæ, etiam ſubditis Serenitatis veſtræ inferrentur. Verum ſicut ſuperius dixi, non id præconcepta voluntate mea, nec de commiſſione præfatorum dominorum Baronum, actum eſt, ſed occaſionibus præmiſſis, per quas omnino culpæ dignus, etiam credo apud ſerenitatem veſtram judicari non merebor. Placeat igitur adhuc ſerenitati veſtræ ſervitia mea non reſpuere, & juſtæ in præmiſſis excuſationi locum dare. Data in Peſth, in profeſto S. Trinitatis, anno Domini MCCCCXLVI.

Atque hæ primæ omnium litteræ ſunt, quas proregis nomine Hunyiades „ conſignavit: ut adeo hallucinari illos certum ſit, qui eum hac dignitate jam „ anno priori ornatum memoriæ prodiderunt. Quo autem eventu ab Friderico „ acceptæ fuerint, nuſquam comperi: credibile eſt, quoniam deinceps nihil de „ ea re ab aliis memoratum invenio, litigationem, quæ communi bellorum ju- „ ri innitteretur, ſponte diſſipatam eſſe.

JOANNES HUNYIADES GUBERNATOR.

Hunyiades ab adito Magiſtratu, ex ordinum decreto bellum Friderico obmovet.

Hunyiades ab adito magiſtratu, in id præprimis communicato cum ordinibus ſtudio curas converterat, ut quæ domeſticis factionibus, abhinc, quam Eliſabetha vivis erepta eſt, labefactata fuere, in integrum reſtitueret. Erat in recenti omnium memoria, pene totum Sopronienſem agrum, cum adſitis oppidis vicisque in Auſtralium poteſtatem reginæ inopia deveniſſe: quæ cum regni juribus manifeſte repugnarent, viſum eſt, cum Friderico propterea per nuncios agi oportere, ſi quæ via amicorum ſtudio non modo ad hæc reſtituenda, ſed recipiendam quoque cum rege coronam complanari poſſet. Placuit Viennenſis ſenatus, cujus magna apud Fridericum ſive auctoritas, ſeu metus fuit, ad id conficiendum operam per nuncium expoſcere. Itaque Joannem Kochheimium, germanum quidem origine, ſed jam pridem civitate donatum, Viennam ablegant, qui ſedulo daret operam, ut collatis cum ſenatu, & Auſtriæ ordinibus conſiliis modum conciliandæ amicitiæ apud Fridericum reperiret. Ante omnia autem adniteretur, ut ſenatus aliquos, quibus tuto fides haberi poſſit, in Hungariam tranſmitteret: eſſe enim de Ladiſlao rege res momenti graviſſimi, quas nec citra periculum litteris committere, & cum iis præterea conferre magnopere cupiant. Acceptus eſt a Viennenſibus liberaliter, (1) cognitoque quamobrem veniſſet, reſpondere: ſe nulli ſtudio parſuros, ut amicitia in ſolidum utrinque conflaretur: videri tamen nihil prius moliendum eſſe, quam Auſtriæ ordines convenirent, con-

Ac viennenſes per nuncium in belli ſocietatem vocat.

(1) Extant litteræ ordinum Hungariæ ad ſenatum, in publ. act. comment. civit. Vienn. Vol. I. fol. 551. Tom. II. Analect. Cl. KOLLARII in hæc verba germanica. Den furſichtigen, und weiſen Mannen, dem Burgermeiſter, und dem Rat der ſtat ze Wienn, unſern lieben frewnden. Weis, und furſichtigen mannen unſer allerliebſt frewnd, wann wir von wegen beſunder ſachen, die unſer reich berüren, Hanſen den Kochheim zu dem allerdurchleichtigſten Furſten N. dem Romiſchen kunig geſant haben, und durch denſelbnen benannten Hannſen Kochheim ewrn frewntſchefteu von wnſern wegen gedacht haben anzebringen, darum ſo bewehlen wir in ew, und bitten ew, was er ew. anbringen, oder ſagen wird von wnſern wegen, im darinn genczlich gelauben welet, geben ze offen am anderen tag des moneids octobris anno Domini MCCCC quadrageſimo ſexto.

Annus Christi 1446.

conventuros autem proxime: tum sese ex re, & temporis habitu consilia capturos, quorum Hungaros pœnitere non possit. (1)

Accusatur propterea a Friderico apud Pontificem,

Non poterat res ita clam geri, ut non aliqua ad Fridericum indicia pertinerent, qui cum palam, & graviter propterea quereretur, haud facile dictu est, qua invidia apud christianos principes Hungari laborarent. Præ ceteris Eugenius pontifex veritus, ne lites tacite per variorum animos serpentes in apertum denique bellum desinerent, Hunyiadem graviter commonefecit, ut rescissis inimicitiarum causis pacem bona fide amplecteretur. Intellexit Hunyiades quibus cuniculis peteretur; simul Hungariam apud exteros gravissimæ calumniæ objici graviter ferens, scriptis ad pontificem litteris, & criminationem refellit, & causæ momenta, a primordio narrationem retexens, copiose illustrat.

Beatissime Pater !

Cui causas belli per litteras prolixe explicat.

„ Vim patimur expertes culpæ, gravisque rebus nostris violentia in-
„ geritur. Terra nostra hactenus intestino bello tumida, jam jam divino mu-
„ nere parabat conquiescere, solam adversus infideles Europa pellendos solicitudi-
„ nem erectam relinquebat; verum Princeps ille, qui christiani regni Augustus
„ appellatur, turbatis addit vulnera, & quæsitæ paci nova jurgia pronus intor-
„ quet, quamvis non dubitet, nullum jus sibi in regno nostro, nullumque com-
„ mune deberi, præsertim, cum submotam noverit causam illam, qua eidem
„ terræ nostræ, & patriæ manum contendebat violentam immittere. Cum enim,
„ uti Beatitudinem quoque vestram non latet, totalis dissensio prior in hoc regno
„ ex duorum regum contraria electione viguerit, jam amplior non videtur locus
„ dissidio, dum alter judicio divino sublatus est, & alter per concordem electio-
„ nem susceptus. Cujus quidem electi regis nostri quia proni subditi sumus, cui-
„ que sine labore oblatum unanimiter regnum servamus, multis mediis, multa-
„ que instantia apud eundem Dominum Romanorum regem laboravimus, ut ele-
„ ctum ipsum regem, cum corona sublata, regno suo, & solio restitueret,
„ finesque regni, & civitates, ceteraque occupata, quæ amplius post sublatam
„ dissidiorum causam tenere non licuit, suadente justitia, resignaret. At ipse,
„ ut præmisimus, quæsitam pacem non ferens æquo animo, multis dilationibus,
„ multisque verbis hactenus nos tenuit, festinans hoc dilationum medio innova-
„ re gravamina, occupatis occupanda addere, regalia quoque, & ecclesiarum
„ proventus usurpat, imo, quod molestius referimus, nova imponi onera,
„ novaque fortalitia erigi apud ecclesiarum, & præcipue cathedralis jaurinensis
„ latera, equis, & jumentis stabula, choreasque, & detestanda commercia in-
„ stitui, & fovere patitur, utque brevibus concludamus plura, non infidelium,

non

(1) Ibid. extat responsum senatus hujusmodi. Hochwurdigsten, Erwirdigen, wolgebornen, grosmechtigen, Edlen, gnedigen Herren, unser willig dienst sein ewrn Gnaden voran bereit, an uerdriessen gnedigen Herren, als ir yetz Joannem Kochheim mit ainem glaub brief zu uns gesant habt, der sein botschoft von ewrn Gnaden wegen darauf geworben, und uns gesagt hat, wie ewr begern sey, das wir tzwen von der stat zu ewrn Gnaden senden solden, den well ewr Gnad sagen, und wissen lassen sachen, die fur ewrn, und unsern gnedigsten Herrn Kunig Lasslawen, auch fur uns sein, die nicht zu werbotschaften, noch zu schreiben gnedigen Herren denselben ewrn Gnaden credentz brief, und des Kochheim werbung haben wir demutichlich emphangen, und dancken ewrn Gnaden guts willens, den ir zu uns habt! nu haben wir vernomen, wie derselb Kochheim ewr. Gnaden gelaub brief, und werbung in der mass auch hab an die Landschaft zu bringen, die diczmals nicht hie ist, und in kurtz herkommen sol, die wellen wir solch Werbung anbringen, und ewrn Gnaden dann furderlich antwurt tun, darum so bitten wir demuticlich, ewr Gnad welle an solchem unsern schreiben ein gwallen, und darinn nicht verdriessen haben, wann uns in den sachen auserhalb der lantshaft nicht zimbt zehandeln, das wellen wir umb ewr Gnad, als um unser gnedig Herren williclich verdienn. Geben an sand Dionisen Tag (9. octob.) anno Domini MCCCC. quadragesimo sexto.

„ non denique paganorum insultus tantum patriæ nostræ nunc officit, quantum Annus
„ turbatio, & insperata arma Principis supra dicti. Quia igitur Pater beatissime! Christi
„ rebus his acerbis non indigne moveri nos oportuit, injuste provocati, justissi- 1446.
„ ma contra eum arma decrevimus, ad defensionem, redintegrationemque pa-
„ triæ nostræ, quæ, ut præmisimus, illicita oppressione turbatur, supplicantes
„ devotius, ut, si post hos dies Beatitudo vestra apud hostes prætactos, armo-
„ rum nostrorum copias acturas forte, aut passuras aliquid audiverit, non ob
„ aliam rem id obtingere putet, nisi eam, quam superius eidem Beatitudini ve-
„ stræ dolorosis satis verbis deteximus. Recommittimus devotionem nostram
„ Beatitudini vestræ, quam Altissimus longe feliciter conservet regimini Ecclesiæ
„ suæ sanctæ. Data XVIII Mensis Octobris, Anno Domini MCCCCXLVI. (1).

De iisdem finitimos Principes certiores reddit.

Erat præter Sopronienſem provinciam, qua hæc ad Stiriam vergit pene totam, Jaurinum quoque, ut litteræ indicant, in manibus Friderici, seu ab Elisabetha id in pignoris loco habuit, sive ab Cilejensi comite, qui urbi illi ab regina præfectus erat, accepit, regnumque magna reddituum parte enervans, quamquam sæpe per nuncios rogaretur, neque ut oppida restitueret, nec coronam cum rege puero in Hungariam remitteret, adduci unquam potuit. Itaque cum legatione nihil profici Hungari viderent, decretum bellum est, cui ex sententia conficiendo, dum prorex operam locat, illud ante omnia providendum censuit, ut finitimos Principes de belli causa edoceret, ne, si armorum progressiones postea comperirent, suspicionibus, ut fere fit, de nihilo ducerentur. Proximi ut ditione, ita & periculo veneti videbantur: ad quorum Ducem, ne futurum bellum ad se, ut malignus rumor erat, spectare existimaret, eodem, quo ad Pontificem die, in hanc sententiam scripsit. (2)

Illustris Princeps!

In primis Ducem Venetarum.

„ Rumorem non dubitamus futurum apud aures Dominationis vestræ, va-
„ riamque opinionem super præsenti motu nostro, armorumque progressu, quor
„ sum utpote tendat intentio, & quam ob rem campum decernere opus fuerit.
„ Id factum, ne injustam suspicionem ingerat, detegere placuit, avisareque super
„ illo, præsertim illustrem Dominationem vestram, cujus affectionem singularem
„ affabilibus nuper, humanissimisque litteris ad nos usque protensam collegimus.
„ Post eam itaque concordiam, & unionem, quam natio nostra pridem divino
„ munere apprehendit, restant adhuc certæ turbinum reliquiæ, quas ex parte
„ Domini Romanorum regis, ipsoque auctore submoveri, & comprimi opus erat.
„ Sed longe aliter, quam spes dabatur, actum est. Nam impediti ab eo magis
„ obtundimur, ita, ut ea, quæ paci nostræ, augmentoque, & infidelium pro-
„ pulsioni competunt, majori difficultate aggrederemur; concordia enim ipsa in
„ eo præcipue fundata est, ut unicuique reddantur sua. Verum apud oras Sti-
„ riæ nonnulla tenentur occupata castra, oppida, & rura intra regni hujus fines.
„ Ceterum Ecclesiarum census usurpati, qui, seu quos, post sublatum dissensio-
„ nis hujus parietem, nullus a foris conservandi amplius occasionem habet. Ad
„ propulsandos igitur hos turbines, redintegrandosque fines, & statum patriæ no-
„ stræ, honesta cura, digna solicitudine, & justa occasione, indubie noscat Do-
„ minatio vestra hæc arma moveri: quia indignam vim patimur, prout super
„ hoc etiam sanctissimo Domino nostro, summo Pontifici aperte scripsimus. Nec
„ existimet Dominatio vestra, intentionem nostram, alio ferri, aut rumpere nos
„ pacem velle, qui eam enitimur quærere; non enim & nunc, nisi concitati
„ exsurgimus, priusque pati, quam inferre vim, coacti sumus. Specialiter vero
„ illustrem Dominationem vestram rogatam facimus, ne quibuspiam, alio pacto
„ mentem nostram interpretantibus, vel sinistra forte de puro affectu nostro in-
„ gerentibus fidem præbeat, quoniam foveri potius, quam turbari, Dominatio-

nis

(1) Joan. DE ZREDNA Epist. XXIII. (2) Idem Epist. XXIV.

Annus Christi 1446.

„ nis illius benevolentia exoptâmus. Data XVIII. Mensis Octobris, Anno Do„ mini MCCCCXLVI.

Promotis Sabariam castris ad senatum viennensem scribit.

Dissipata hunc in modum maligna fama, qua in Dalmatiam contra venetos prorex moturus spargebatur, comparato justo exercitu, quamquam hiems præ foribus esset, itineri se accingit, & ante idus Novembres ad Sabariam constitit. Inde ad senatum viennensem litteras dedit, auctorque iis fuit, ut, quando Ladislaus utrisque Dominus communis esset, injurias eidem illatas communes itidem reputarent. Neque ignorare illos posse, quod hoc loco injuriarum genus accipiat, si modo meminisse vellent, quas portiones Fridericus ab Hungaria avulserit. Sæpe has optimates per legatos a cæsare petiisse: quorum conatus cum frustra hactenus fuisset, sibi datam provinciam, ut injuriam armis ultum iret. Eum in finem copias ab se non temnendo numero adductas, quarum ope speret, se rem feliciter confecturum. Orare se igitur, ne, si ad vim ventum fuerit, Friderico re, aut consilio adessent.

Illi rem cum Austriæ ordinibus communicant.

(1) Viennenses ne in re tam gravi quidquam temere agerent, Hunyiadis postulata cum ad ipsum Fridericum, tum Austriæ ordines referre decernunt. Quo animo cæsar hæc acceperit, non constat: Proceres autem Austriæ conflato ex variis ordinibus senatu, in quo Abbas Mellicensis, & Sanctæ Crucis, tum S. Hypoliti & Scotorum præpositi primas tenuere, (2) diligenter consulebant, quid in re tam ambigua faciendum, cavendumque esset, ac cum dubium oborīretur, essetne potius per legatos placandus Hunyiades, an contra litteris

Istorum responsa.

solum conveniendus, hæc præ illa vicit sententia. Itaque litteras ad eum mifere prius, quam porro infestis armis progrederetur, quibus ante omnia Hungaros mirifice collaudant, quod posito domesticorum factionum studio, omnium voluntates in Ladislaum conspirarint; tum ad id, quod caput litterarum fuit, sensim progressi, injurias, quas ab Friderico Hungariæ illatas prorex querebatur, se quidem non inficiari, eas tamen ut plurimum ad Wladislai Poloni tempora pertinere, sub quo quibus ærumnis Austria ab Hungaris oppressa itidem fuerit, in recentiori omnium esse memoria, quam ut operose, nec sine invidia refricari debeat. Oppida Hungarici soli, quæ quidem cæsar teneret, partim in pignoris loco eum habere, partim belli jure, quo ab finitimis regni provinciis lacessitus fuerit. Hæc an sine damni pensione redditurus esset, omnino ab se ignorari, videri tamen vix facturum: nec id sine Hungarorum exemplo, qui nuperrime duce Nicolao Pancratio, qua Austria Moraviæ objicitur, vastata trans Danubium plaga, ingentes prædas ex provincia exportassent. Mirari se igitur vehementer, quem in modum pacem Hungari offerrent, qui nunc utrinque infestis armis Australibus incumbant, quæ si ejus jussu porro inferrentur, ne dubitaret, facturos se, quod in simili re boni publici ratio fieri postularet. (3) In eandem fere sententiam cives respondere, obtestatique sunt, ne se, qui, quo minus amicitia per legatos cum Friderico sancita fuerit, in causa minime fuissent, novis periculis, & quas bellum fere affert, ærumnis objiceret. (4)

„ Fri-

(1) Exstat Tom. II. Analect. Cl. Kollarii epistola germanica, cujus hæc clausula est. Geben in dem veld pey der Stat Sarwar an mantag vor Martini (Novemb.) anno Domini MCCCCXLVI.

(2) In public. Act. comment. Civit. Vienn. vol. I. fol. 124. Tom. II. analect. Cl. Kollarii, eorum nomina sic exprimuntur. Von Prelaten, der Abt von Melckh, vom heiligen Kreuz, der Probst von sand Polten, der Prior von Maurbach, Prior von Geminck, und der Probst zu sand Dorothee: von Herren, Herr Rudiger von Stahremberg, Herr Jorg von Puchaim, Herr Rudolf Turs, Herr Albrecht von Pottendorf, Herr Reinprecht von Eberstorff, Herr Ludwig von Ekkarzaw, und ain ubriger Herr Jorg von Kunring: aus der riterschaft, Kunrat Kunigsperger, Herr Jorg Dechsner, Herr Jorg Hager, Oswalt Dechsenpekch, Caspar Schifer, Wolgang Missingdorfer: von der Stat, Herr Hanns Haringseer Burgermaister, Herr Hanns Steger Munsmaister &c.

(3) Ibid. integra epistola habetur germanico idiomate.

(4) Tom. II. Analect. Bibl. Vindobon. *Cl. Kollarii*, habeturque hæc subscriptio: an samtag nach sand Kathrein tag (26. November.) anno Domini MCCCCXLVI.

Fridericus cognito, quod instabat, discrimine, Neostadio Viennam properavit, habitisque cum Ulrico Cilejensi consiliis, ab viennensi senatu petiit, ut etiam, atque etiam viderent, quem in modum Hungaris obviam iri posset, neve in communi periculo se milite destitutum vellent deserere; quin, si quos ad manum haberent, veteranos, sibi ullos cum curribus, qui communiendis castris idonei essent, consignare ne graventur, stipendia se daturum liberaliter, & pro beneficio gratiam quoque habiturum. Perculit ea res cives viennenses magnopere, veritos, ne, si quod petebatur, negarent, communem causam destituisse viderentur, itaque coacto senatu, postquam diu, multumque in utramvis partem disputatum fuisset, visum est omnibus, negari subsidia Friderico oportere, tum quod Vienna suis juribus peculiariter gauderet, nec in dandis tributis, portio esset provinciæ, tum quod periculum subesse haud modicum videbatur, ne, si urbs præsidio nudaretur, hostes illius intercipiendi tempus de industria occuparent. Repulsam passus cæsar, iterum eadem de relegatos, Casparum Schlickium, Ulricum Eyczingerum, ad cives mittit, jubetque, sedulo elaborarent, ne frustra Viennam adiissent. Repetitisque Friderici precibus, ne parum humani cives censerentur, aut suspicionem etiam ingererent, tamquam hosti præ illo studerent, vinci se tandem passi sunt, & copias se illi subsidio missuros, juncturosque cum Austriæ ordinibus recepere. Oratum tamen volebant, ut, si Hungari Viennnæ appropinguarent, legiones continuo remitteret, ne urbs milite destituta quidquam ab hoste detrimenti perferre cogeretur. Hunc in modum res Viennæ acta est. (1)

Annus Christi 1446. Fridericus periculo territus, semel, iterumque a Viennensibus suppetias postulat.

At Hunyiades ex superiori ordinum Austriæ responso irritatus & metu, ne hieme ad rem gerendam interciperetur, actus, vastationem in neostadiensi agro, latissime circumferebat; tum fixis ad Neünkirchium castris, unde in Stiriam perinde, ac Austriam facilis procursio erat, rursum cives viennenses litteris convenit, in quibus belli causam, ortumque explicat, neque prius se arma deportaturum ex Austria minatur, quam cæsar Ladislaum cum corona & oppidis, quæ inique regno eripuerat in solidum restituisset. Quamobrem caverent, ne illi suppetias ferant: nihil se in eos hostiliter facturum, si dicto audientes essent, sin contra vindicem se futurum ne nescirent. Parsurum se tamen nihil hactenus commeritis, modo ante lucem Divo Andreæ sacram in utramvis partem se se dederint, certiorem se reddere ne omittant. (2) Tam præsenti periculo territi cives re cum Austriæ ordinibus communicata in hæc verba responderunt. (3)

Hunyiades vastato neostadiensi agro, rursum Viennenses litteris convenit.

„ Magnifice, Nobilis, Generoseque Domine! intelleximus scripta Dominationis vestræ, & significavimus Dominis Prælatis, Baronibus, & Nobilibus hujus terræ hic existentibus, a quibus audivimus sibi consimilia fuisse scripta apportata, & se velle aliquos ex suis quantocyus ad Dominationem vestram transmittere, ad conferendum, & loquendum hujuscemodi de causis & nos perseveranter cum eisdem aliquos ex nostris ad Magnificentiam vestram destinare non ommittemus. Quare similiter exoramus vestram Magnificentiam, Dominationemque attentiori modo, quo possumus, quatenus Dominatio vestra medio tempore velit supersedere, Domino nostro Romanorum regi invictissimo ac serenissimo principi, Domino vestro, ac nostro naturali regi Ladislao in terris, ac possessionibus suis aliquatenus damna fieri, ac inferri, quod speramus Dominum vestrum, & nostrum erga vos generose recognitu- rum, volumusque nos erga Magnificam Dominationem vestram similiter promereri. Datum Viennæ ipso die martis vigilia Sancti Andreæ Apostoli, anno Domini MCCCCXLVI.

Hi litteras reddunt, orantque ut ab injuriis temperet.

Haud multo post in castris adfuere comes Cilejensis, Schlickius, Stahrembergius, ac Eyczingerus, qui diu, multumque apud Hunyiadem egere, ut se ad in-

Legati a Friderico missi indu-

(1) Ibidem.
(2) ibidem: cum hac subscriptione: Geben in dem Wald bey Neunkirchen an Suntag vor sand Andres tag (27. Novemb.) Anno Domini MCCCCXLVI.
(3) Ibidem.

Annus Christi 1446.

cias cum Hungaris conficiunt.

ineundam pacem flecti cogeretur. Convenerat utrinque in has conditiones: Fridericus castrum jaurinense cum sede Episcopali Hungaris traderet, & ad VIII. Calendas Majas anni insequentis per legatos de ceteris controversiis cum prorege cognoscat: interea bona fide inducias fore, post has, nisi conditiones intra quartum abhinc diem ratas haberet, integrum utrisque esset bellum redintegrare. Reduces Viennam legati, reque cum ceteris communicata Fridericum adeundum censuere, eique, quid egissent, referre. Commodum Passaviensis Episcopus ad Cæsarem venerat, cujus ope, quod auctoritate, & gratia plurimum valeret, cæsarem ad ineundum fœdus permotum iri sperabant, itaque Fridericum adeunt, obtestantur, suorum, ut misereri velit, ad pacem, ut animum induceret. Conditiones honestas, nec graves videri, modo jaurinense castrum, cujus res, quod in mediterranea Hungaria situm sit, haud satis tuto esse loco viderentur, Hungaris restitueret, de ceteris ad condictum diem per legatos transactum iri: quod si Hungaris fidem habere vereatur, posse adiri Pontificem maximum, rogarique, ut misso legato pacis arbitrium in se se reciperet. Postremum id cæsari maxime collibuit, seu Papæ opera tutissimam amicitiam posse confieri, sive protelatione hac temporis se lucrum indipisci putabat, quo deinceps ab re bellica comparatior hosti obsisteret. Mittitur rursum Cilejensis cum Scblickio, & sociis ad Hunyiadem, qui id, quod erat, ex manifestis indiciis suspicatus, fœdera, nisi Jaurinum ad IV. nonas Februarias in Hungarorum manu esset, ejusque rei vadimonium Cilejensis in se reciperet, penitus abnuit. Neve ullum protelationi locum esse scirent, formam induciarum in hæc verba conscriptam cæsari transmisit. (1) *Primo vult Dominus Gubernator, ac Domini Barones Regni Hungariæ, quod obliget se Dominus Ulricus comes Ciliæ sub fide, humanitate, fama, & honore suis, ut ipse usque festum purificationis Beatæ Mariæ Virginis, nunc venturum, castrum Jaurinense Domino Gubernatori, & Dominis Baronibus Regni Hungariæ, pure, & simpliciter, ac occasionibus, & cautelis omnibus cessantibus reddet, & resignabit, qui si idem facere nollet, aut non posset, ex tunc ipse fœdifragus existat, honorem suum, & famam suam amittat, & nunquam inter Principes christianos stare, & connumerari valeat, mox præfatus Dominus Gubernator, & Domini Hungariæ terram suam, & dominationem liberam habeant occupandi, cremandi, & devastandi facultatem, quodque ipse Dominus Ulricus istis permissionibus, occupationibus, cremationibus terrarum, & dominiorum suorum, nec verbo, nec opere, & neque facto contradicere possit, similiter sub pœna perjurii, ac honore, & famæ suæ amissione.*

In quas conditiones utrinque conventum sit.

Iis rescissis Hunyiades vastationem latissime circumfert.

„ Videbatur pacis negotium hactenus adductum tam duris conditionibus fere penitus discussum esse, cum Fridericus, ne aut pertinaci studio potentem hostem irritaret, aut facilitate sua insolentiorem redderet, media incedendum sibi via putavit, induciæque, ut confierent, non renuit, modo Jaurinum in manus procerum Croatiæ eo usque consignari placeret, quoad illustratis penitus controversiæ causis foedus utrinque sanciretur. Sed hac tergiversatione irritatus Hunyiades omissa pacis tractatione, cædes, & incendia usque ad vicum Leubersdorfium propagavit, ratus Australes belli ærumnis potius, quam amicitia ad æquas fœderum conditiones descensuros. Et ne quidquam intentatum fineret, tertias ad viennenses litteras in hæc verba exaravit. (2)

Et cur id faceret, viennensi senatui significat.

„ Joannes de Hunyiad, nostra, & in persona incliti Domini Ladislai electi, nati defuncti Domini Alberti, ejusdem regni Gubernator, prudentibus, & sapientibus viris, Magistro civium, ac juratis Consulibus, & Senioribus civitatis viennensis, amicis, & fautoribus nostris benevolis, & sincere honorandis. Prudentes & sapientes viri, amici nobis sincere honorandi; nuper satis ample significavimus vestris amicitiis, qualiter iste serenissimus Princeps Dominus Fridericus Romanorum rex, cui optabamus potius placere, quam displicere, & inclitum Dominum Ladislaum regem Dominum nostrum generosum, cum sua sacra corona, ac ceteris castris, & „ bo-

(1) Tom. II. Analect. Biblio. Vienn. Cl. *Kollarii* pag. 1278. (2) Ibid. pag. 1283.

„ bonis, nec non metu regni Hungariæ, Dei timore postposito, sine omni justitia tenet, „ & conservat, diversasque instantias pro his erga suam Serenitatem fecimus, quæ „ nullum fructum reportarunt, quæ in toto declarare longum foret, binis etiam „ vicibus, eisdem vestris amicitiis scripsisse recolimus, ut nos certificare vellent, „ utrum ipsi Domino Romanorum regi adversum nos amicitiæ vestræ subsidium, „ seu auxilium præstare disposuerint, vel ne? de quo hactenus nullum finale re„ sponsum habere potuimus. Sicuti enim prius, ita & nunc dicimus amicitiis „ vestris, quod vobiscum nullam discordiam habemus, nec habere optamus; dum„ modo amicitiæ vestræ prædicto Domino regi Romanorum contra nos, ac ho„ norem prælibati incliti Domini Ladislai infantis electi regis Hungariæ, Do„ mini nostri generosissimi, suamque, & nostram justitiam auxilium non præstent, „ de quibus si adhuc nos vestris futuris litteris certificaveritis, nullum damnum „ vobis, & vestris inferri quoquo modo faciemus, & si aliquot damna jam de„ facto amicitiæ vestræ per nostros pertulerint, teste Deo Christo ignoramus, acta „ sunt, quoniam inscii fuimus discernere de districtibus Austriæ, & pertinentibus „ Stiriæ. Rogamus itaque amicitias vestras, ut nobis die hodierna relationem „ finalem facere velint de præmissis. Quia si de his hodie relationem finalem „ non habebimus, si quod damni per nostrates vobis, & vestris inferretur, non „ nobis, sed potius vobismetipsis imputetur. Datum in descensu nostro exer„ citiali campestri prope villam Leubersdorf, secundo die festi conceptionis „ Beatæ Mariæ virginis, anno Domini MCCCCXLVI. „ *Annus Christi 1446.*

Ejusdem prope argumenti litteras ad proceres Austriæ misit eventu tamen, quod speraverat, minime secundo. Nam hi primum vehementer se mirari respondebant, legatos suos tam illiberaliter ab prorege habitos, ut quamquam conditiones afferrent & honestas, & utrique parti prorsus utiles, re infecta redire cogerentur. Deinde illud quoque minime ferendum videri, quod cum oratores Fischam vicum attigissent, neque esset induciarum tempus elapsum, finitimum agrum non sine innocentum cæde populatus fuisset. Cogitaret ditiones Ladislai esse, cui olim rationes factorum reddere eum oporteret. Ad hæc veniret in mentem, causæ cognitionem ad Eugenium, ejusque, quem missurus esset, legatum haud ipsius in gratiis devolutam esse: temperaret interea ab armis, quoad ejus arbitrio lites complanarentur. Quod si porro bellum, causa non illustrata, meditari pergat, omnino connisuros sese esse, ut rei gestæ cognitio ad summum Pontificem, ceterosque christianorum Principes non sine ipsius, totiusque gentis dedecore pertingat. (1) Hæc Austriæ optimates Hunyiadi. Cives contra ad preces converti, ut a bello abstinere vellet, litteris in hæc verba conscriptis rogavere. (2) *Ejusdem argumenti litteras ad ordines Austriæ dedit: & quid hi responderint.*

„ Magnifico, nobili, & potenti, Dominoque generoso, Domino Joanni „ de Hunyiad, in persona & nomine serenissimi Principis, & Domini Domini La„ dislai regis Hungariæ, Domini nostri generosissimi Gubernatori Generali, ma„ gister civitatis, judex, & juraticonsules civitatis viennensis. Magnifice, nobilis, ge„ nerosque Domine! Litteras Magnificentiæ vestræ nobis hodie hora vespertina ap„ portatas recepimus, & intelleximus. Quia autem ex relatione Dominorum ambasia„ torum, ad vos missorum, didicimus, quod invictissimus Dominus Romanorum rex „ per eosdem ad omnem modum detentæ concordiæ, ac justitiæ sit oblatus, quod Ma„ gnificentiam vestram penitus excluserit, & ducatum Austriæ serenissimo regi „ Ladislao, Domino vestro, & nostro naturali pertinentem, absque culpa, & „ justitia in multa parte damnificaverit, quamquam de metis ejusdem præclare „ fueritis informati, de quo utique non fuimus confisi quoquomodo. Idcirco „ Magnificentiam vestram humiliter exorando petimus, & requirimus, quantum „ valemus, ut ob respectum præfati Domini vestri, & nostri naturalis regis Ladislai „ serenis- *Viennensis senatus litteræ ad Hunyiadem.*

G 3

(1) Habentur litteræ germanicæ Tom II. Anal. Bibl. vind. CL. KOLLARII, p 1285. Earum Clausula hujusmodi est. Geben zu Wienn an Freitag nach unser Frauentag. *Conceptionis (9. Decemb.) anno Domini MCCCCXLVI.*

(2) Ibidem pag. 1287.

Annus Christi 1446.

„ serenissimi, contenti sitis de hujusmodi irrationalibus oblationibus, nomine præ-
„ fati Domini nostri Romanorum regis factis, & etiam prædicti Domini vestri,
„ & nostri regis Ladislai damnificari non permittatis: sed amicabiliter, ut bo-
„ ni vicini, vos teneatis, ut prius inter terras consuetum est observari, quod
„ volumus erga vestram Magnificentiam, & totum regnum Hungariæ humiliter
„ promereri, si autem contra hujusmodi rationabiles oblationes, ut præfertur fa-
„ ctas, terram istam ulterius niterentur damnificare, tunc respondemus, sicu-
„ prius, quam cogeremur facere debitum, ad quod Domino nostro Romanot
„ rum regi prædicto, & Domino Ladislao regi vestro, & nostro Domino na-
„ turali, ac nobis ipsis obligamur, super præmissum responsum Magnificentiæ ve-
„ stræ nobis rescripti deprecamur nuncium per præsentem. Datum Viennæ feria
„ sexta crastina festi conceptionis sanctæ Mariæ anno Domini MCCCCXLVI. „

Hungaris ad hiberna reversis.

Hunyiades, quamquam nova ab regni ordinibus supplementa accepisset,
quibus protracto per hiemem bello pacem ab Australibus extorquere poterat,
ne sibi tamen apud ceteros christianorum principes quidqnam invidiæ conflaret,
partim litteris viennensium, partim spe conciliandæ propediem amicitiæ pacatus,
militem in hiberna sine maleficio reduxit.

Annus Christi 1447.

Legatus Apostolicus cum Varadiensi episcopo de pace per litteras agit.

Neque tam vehementer a fœderibus proregem abhoruisse, ut aliqui scri-
ptorum memoriæ prodiderunt, in anni sequentis principio patuit. Advenerat Vi-
ennam Joannes Cardinalis sancti Angeli illius, quem ad Varnam cæsum narra-
vimus, & nominis, & dignitatis veluti hæres: qui ubi Australium animos ad
pacem suapte proclives reperisset, crebras Vienna ad episcopum Varadiensem,
virum imprimis eloquentem, tum magnæ apud Hunyiadem auctoritatis, litteras
dedit, quibus majorem in modum orabat, ut conficiendo fœderi operam locare
ne gravetur, facile id prono alioquin cæsare confectum iri, si, qua valeret apud
proregem gratia, tam pulchri, utilisque facinoris adjutor esse vellet. Accepit
perlibenter Varadiensis legati Apostolici cohortationes, & communicatis cum
Hunyiade consiliis, potestas illi facta, ut oratores, quos propterea Viennam pro-
rex destinarat, quid imprimis ad conciliandam amicitiam, quove modo cum Au-
stralibus agi oporteat, institueret, se quidem per reipublicæ labores omnino pro-
pediri, ne, quod tamen maximopere optabat, conventui viennensi interesse pos-
set, ceterum affuturos legatos, qui suo nomine res transigerent, significaret.
Fecit id summa fide Varadiensis, & Cardinalem ea de causa in hunc modum lit-
teris convenit. (1)

Cujus conficiendæ spem haud levem episcopus facit.

„ Reverendissime Pater, & Domine! Agenti mihi curam tractandæ pacis
„ illius, quo minus negligeretur, redditæ sunt inter hæc festa præterita litteræ
„ reverendissimæ Paternitatis vestræ, in quibus novam in idipsum solicitudinem
„ mihi sponte solicito ingerit. Accepi libens, subii, & executus sum manda-
„ tam operam, utpote rebus christiani populi supra modum accommodam. Ex-
„ templo prioribus nunciis meis, & litteris ad magnificum Dominum gubernatorem
„ recentiores addidi, suadendo, & obsecrando, ne pateretur moram reveren-
„ dissima Paternitas vestra, si suspensa erit, tædio, ut fit, imbui, neve comm-
„ ne illud pacis bonum aliquibus impedimentis negligi, æquum putet, quandoqui-
„ dem sancta illa Apostolica Majestas, tot, & tantis effusis studiis in eam rem
„ gerendam enititur, ut facile ostenderit, alieno sese incendio contorqueri. Ita-
„ que hac instantia usus, reperi præfatum Dominum Gubernatorem ardentissi-
„ mum ad ipsam rem prosequendam, adeo, ut pacis, quam belli ducem se hoc
„ tempore videri malit. De absentia præterita, si absentia, & non potius ferax
„ præsentia censeri debet, excusabilis videtur, ob plurima gesta, quæ, ut ne-
„ gligere formidolosum fuit, sic expedivisse non inglorium. Princeps ille, seu,
„ ut communiter dicitur, Vayvoda transsalpinarum partium, hac æstate elapsa,
„ Teucrorum ensibus socia arma junxerat, plurimasque christianas animas superio-
„ ribus bellis liberatas, pacto foedere, ad quatuor prope millia servituti restitue-
„ rat. Is vindice Deo, aptas sacrilegio suo hac via pœnas dedit, ac veluti chri-

(1) Joan. DE ZREDNA Epistol. XXV.

„ stiano-

stianorum cladis minacissimus auctor, cædere cupiens alios, cecidit ipse. Terram illam non minus infidam hactenus, quam infestam, victor ipse Gubernator, subactam, & servitiis, & fidei hujus coronæ rejunxit, pacem quoque cum Moldavia firmam pactus est, robur, viresque cultorum Christi, ex utraque parte plurimum auxit; nunc quoque pluribus adhuc negotiis implicitus, involutusque apud illas partes circuit, nec absolvi hoc negotio tam diu poterit, donec earum rerum, quas feliciter complexus est, restantes appendices solidet, componat, & confirmet, præsertim, ut non contingat, ex tanto labore, & tempore de partibus illis precariam referre pacem, neve incolæ illi victi, timendi magis forent, quam bellantes fuissent.

Annus Christi. 1447.

„ Ob quas immo plures alias causas validas, & justas, & omni acceptione æquas, credens absentiam suam hac vice non minus quam præsentiam utilitate pares, substitit, & remansit adhuc in persona sua, ad ipsam rem elaboratam, ut præmisi, consumandam, potissime etiam, quod novos Teucrorum oratores brevi ad se venturos expectat. Enim vero, ut & quoad illam rem, quæ apud reverendissimam Paternitatem vestram cum serenissimo Domino Romanorum rege tractari debet, quantum fieri potest, se extendat, deputavit idem Dominus Gubernator, me nomine suo, ad solicitandum deputatos ipsos Dominos Prælatos, & Barones, ut amplius non differant accedere ad diætam illam, remque, & tractatum pacis in manus desumere: dicit enim habere Dominos illos deputatos mandatum sufficiens ad agendum, & concludendum, quæ opportuna fuerint, ita, ut deinceps nec absentia sua accusari debeat, nec præsentia expectari, cum eas duas res simul, hoc brevi tempore nec capere videtur posse, nec gerere. Ego vero licet minus idoneus, minusque sufficiens existam, suam supplere præsentiam, aut ipsos solicitare Dominos, quorum in id ultro vota feruntur; non deero tamen, siquid pro persona sua, durante illa occupatione, inter, & post alios Dominos meos interloquendum erit. Spopondit autem & se iisdem rebus gerendis non defuturum, quam primum ea implicatione, qua illigatus est, poterit explicari. Nihilominus placuit eidem, me ad id instituere, ut, etsi posterior merito sim, sed ad hoc iter haud postremus exsurgam. Volui autem hunc nuncium præmittere, ne litterarum reverendissimæ Paternitatis vestræ tacitus spectator existerem, simul, ut, de illis, quæ prætuli, eandem reverendissimam Paternitatem vestram certiorem efficerem, quodque principale inter mandata antefati Domini Gubernatoris accepi, non omittam.

„ Obsecro humiliter, & supplico reverendissimæ Paternitati vestræ, ne eam moram, quamquam longa sit, tædiosam ducat, sed potius ob communem profectum non modo discordantium partium, sed universi christiani orbis opportunam exspectationem patienter toleret. Res enim, quæ tractanda proponitur, saluberrima est, Deo, hominibusque grata, atque illo auctore, vel tractatore aptissime digna: accedet enim & gloriæ, & merito reverendissimæ Paterternitatis vestræ, quo magis tot turbinibus protractam, & impeditam rem, constanter expeditam reddet. Ad quam summe opus est, ut certior terminus, ad comparendum, conveniendumque deputetur, in quo & ferri, & proferri tractatus pacis possit. Nam de eo, quod circa octavum diem circumcisionis Domini, qui videlicet pro termino diætæ tenendæ ex parte antefati Domini Gubernatoris nominatus, & petitus fuerat, nemo apud reverendissimam Paternitatem vestram comparere acceleraverit, arbitror non modo a vobis, sed nec apud vos crimen objiciendum, cum nuncius ille, qui litteras pro hac re detulerat, ut audivimus sine responso dimissus rediit, sicque in incerto positi non magis neglexímus, quam neglecti sumus. Curet igitur reverendissima Paternitas vestra, æquam apud se sovere absentium gratiam, nec serum omnino reputet, quod salubre futurum credit. Conducet etiam ut plurimum ad honorem præfato Domino Romanorum regi legitima hæc exspectatio, quem pro mansuetudine sua, sicut ad acceptandam, sic & ad exspectandam pacem ip-

„ sam,

Annus Christi 1447.

„ sam, paratum credimus. Apta videntur reverendissimæ Paternitati vestræ re- „ bus ipsis ob orta principia apud pacificas mentes, ob tædium ex ipsa dissensione „ contractum, quæ ab exiguis profecta initiis eo crevit, quod recte, ut ajunt, ma- „ gnitudine laborat sua. Data Varadini XV. Januarii, anno Domini MCCCCXLVII.

Lecti eam ob rem ex Proceribus oratores.

Inter oratores, qui Viennam ad pangenda fœdera destinati sunt, præcipui fuere. Dionysius Archi-Episcopus Strigoniensis, Joannes Varadiensis, Petrus Vaciensis cancellarius, & Augustinus Jaurinensis Episcopi: ex profanis, Ladislaus de Hedervara Palatinus, Ladislaus de Palocz Judex curiæ regiæ, Michael Orsàg Thesaurarius, Ladislaus de Gara Banus, & Thomas Zeési comes Camaromiensis. Quo minus autem condicto die ad Australes pervenire possent, itineris difficultate, quæ Obergerus miles Austriacus intuta latrociniis reddebat, se se prohiberi scripta ad Fridericum epistola, questi sunt. Non erit abs re, quod ad cognoscendam pacis tractationem multum lucis allatura est, eam hoc loco referre. (1).

Serenissime Princeps!

Publicas fidei litteras ob intuta itinera a Friderico petunt.

„ Satis idonea principia ad eam, quæ gerenda est, pacis rem gratulabun- „ di vidimus, dum novissime ex parte Serenitatis vestræ, primum de termino „ diætæ, deinde de salvo conductu opportunæ litteræ nobis redditæ sunt, utpote in „ quibus prima præcipue ejus rei conferendæ fundamenta sita credidimus. Exsurgi- „ mus igitur non modo ad pacem, sed ad iter expediti, promptique, favoreque isto „ oblato, nobis ultro paratis additur animus, ut jam ad eam ipsam rem prose- „ quendam, omnis mora tædio sit, omnisque velocitas tarda nobis, & pigra vi- „ deatur. Verum licet de securitate præstita spes nobis certa sit, cura tamen ea „ superest, quæ, etsi non flectere, solicitum tamen reddere animum nostrum po- „ test, quidam subditus Ducatus Austriæ, Oberger dictus in societatem fortunarum „ suarum, plurimos, ut audivimus, complices coadunans, obseptum insultibus „ tenet iter, isque adversus obvios plus animi gerens, quam fidei, æque sacra, „ ut profana, spoliat, gravat, & prædatur. Nuper inter illos magni numeri „ circumventos, nonnullos romipetas, pluresque sacerdotes, & clericos de „ partibus hujus regni, rebus primum exutos deinde vinculatos detinuit, moli- „ rique majora adversum majores, hoc genere insultuum in animo habet, ita, ut „ rectius suspectum, quam aptum hostem se exhibeat, omnibus inferre prius in- „ sidias, quam ostendere malit.

„ Cum autem serenissime Princeps habere, quam sperare securitatem sa- „ tius videatur, honori etiam Serenitatis vestræ expedire haud dubium est, ut „ prius ejusdem securitatis nostra custos, quam postea vindex appareat, rogamus, „ & requirimus Serenitatem vestram, quatenus intuitu ejus boni publici, ad quod „ gerendum proficiscimur, dignetur Serenitas vestra, nos ea suspicione exone- „ rare, ita, ut nominatim pro præfato Oberger & omnibus suis, & sibi adhæren- „ tibus de novo indemnitatem promittat, ex eorumque, sicut & ceterorum sub- „ ditorum ducatuum prænotatorum, ac etiam aliorum Serenitati vestræ adhæren- „ tium parte, certos nos, & securos reddat, cum licet cooperante Domino te- „ nere possimus viam, quod adversus insultum, & vim antedicti Oberger, & „ suorum, pari vel superiori virtute occurreretur, mallemus tamen eo ipso itine- „ re pacem, quam arma inferre, & uti non metuendi, ita nec metuentes futu- „ ri. Hæc si Serenitas vestra effecerit, paratos nos reddimus, ad diem deputa- „ tum comparere, immo de novo hortamur, quod Majestas vestra, & in ea par- „ te, quam prætulimus, illum defectum suppleat, & quatenus coram Deo, & „ mundo non ostentasse solum, sed vere dedisse nobis securitatem videatur. Da- „ ta Budæ VII. Februarii Anno Dommini MCCCCXLVII.

Eademque de causa ad legatum Apostolicum

Eadem opera ad Joannem Cardinalem Sancti Angeli legatum Apostolicum scripsere, quem, quod auctor conciliandæ pacis fuisset, majorem in modum ob-

Joann. DE ZREDNA Epistol. XXVI.

obtestati sunt, captato ad Romanorum regem aditu efficere ne gravetur, ut fides ad publicum conventum necessaria novis auctoramentis, publicoque documento fulciretur: alioquin nisi id faceret, per se non staturum, si tractationi pacis suo periculo interesse non potuerint. Litteræ ita habent. (1)

Annus Christi 1447.

Reverendissime Pater, & Domine!

Litteras in hæc verba exaratas mittunt.

„ Posteaquam magister Dionysius notarius rediit festine, in hunc locum „ convenientes, allatas per eum regias, ac Reverendissimæ Paternitatis vestræ „ legimus litteras, per quas, & de diæta futura, & de ejusdem Reverendissimæ „ Paternitatis vestræ ardentissimo animo ad reddendam diffidentibus pacem certi- „ ficati sumus. Vidimus etiam salvum conductum regium in plena satis, & libe- „ rali forma; sed cum hoc tempore vis interdum præire jus solet, pluris addita- „ menti capacem, & egentem. Gratias itaque habemus Majestati regiæ, ac „ etiam Reverendissimæ Paternitati vestræ, quod in eis petitis rebus liberaliter „ auditi, & culti sumus, præsertim, cum ex hoc pacis operam majore animo in- „ choatam credimus, quam, qua mole bella utrinque gesta fuere, opus est so- „ lum, ut efficaciore securitate potiamur; quantum ex parte Majestatis regiæ, „ sine cunctatione securos nos credimus; quia tamen nullo unquam tempore de- „ fuit seditionis voluntarius comes, suspicari hostilia, quam experiri satius est; „ consilium igitur ex re natum habemus, non confidere magis quibusdam subdi- „ tis ducatus Austriæ, quam non credere, & signanter de eo, qui, ut opinamur, „ metu regio solutus, inter alios spoliatos, nonnullos romipetas, & clericos, „ ac cives regni hujus in rebus, & personis, nuper afflictos detinet. Super „ quo latius Domino regi scripsimus.

„ Cum autem, Reverendissime Pater, in hoc itinere, ad quod jam exsur- „ reximus, sicuti dari, ita & tueri securitatem opportunam optamus, in hoc præ- „ cipue de Reverendissima Paternitate vestra, & ejus auctoritate confidimus, quæ „ merito digna, & interpres, auctrix ejus securitatis esse potest. Multos enim, „ & legimus, & novimus, quod quidem non in alienam injuriam dicimus per fas, „ & fidem deceptas, præsertim, qui temere magis, quam caute sese talibus ne- „ gotiis implicarunt. Primum igitur Reverendissima Paternitas vestra curet, & „ procuret, ut juxta litteras nostras præfato Domino regi missas, salvus con- „ ductus renovetur, & deinde, ut & eadem Paternitas vestra Reverendissima „ potissime pro hujusmodi securitate litteris suis promittat, qua quidem promissio- „ ne propter auctoritatem carere posse, omnino non videmus; nollemus enim „ a tam miti principio in aliquod certamen incidere, ut ferro arcere contume- „ liam cogeremur. Illi namque insultanti facile obviam iri posse credimus, sed „ rebus gerendis haud videbitur consentaneum in hoc pacifico itinere hostem pro „ hospite vel inferre nos, vel perferre. Habitis igitur præmissis, ad diem statutam „ comparere curabimus, alioquin retardari poterit iter nostrum. Valeat Reve- „ rendissima Paternitas vestra, & nuntium hunc celeriter expediat. Data Budæ „ VII Februarii anno Domini MCCCCXLVII.

Fridericus, postquam cognosset, quanta apud exteros invidia laboraturus esset, si vel suspicionem de se vulgari pateretur, quasi datam legatis fidem parum æquanimiter servaret, continuo in mandatis dederat, ut itinera latronibus obsepta, misso milite purgarentur; itaque nihil in causa esset, quo minus legati ex Hungaria sine periculo Viennam contenderent. Adfuere non multo post tempore magnis clientelis, & satellitum copia stipati cum decoris publici, tum privatæ securitatis causa. Actum deinde est magna animorum, jurisque contentione, de rationibus, quibus pax commodissime sanciri posset, & aliquot dies extracti, donec conditiones in medium proponerentur. A quibus cum utrisque constitutum esset, nihil prorsus recedere, & legatus præterea apostolicus pontificis

Frustra tamen cum Austriacis de pace agunt.

(1) Idem Epist. XXVII.

Annus Christi 1447. *Itaque Hunyades indices Posonium conventu*

tificis jussu, ob turbas, quas Rochezana sacerdos, Hussitarum antesignanus dederat, in Bohemiam properato opus haberet, omne pacis negotium sine fructu discussum est, & Legati in Hungariam nullo opere precio revertuntur; quæ cum ad proregem per litteras, & nuncios allata essent, animum quidem, ac spem conciliandæ amicitiæ minime posuit, sed locum in quo deinceps de re transigeretur, commutandum putavit. Ac primum quidem Posonium eligi placuit, ex qua urbe oratores facile Viennam commeare, & Australes vicissim secundo Danubio in Hungariam ultro citroque, sine noxa & incommodo redire possent: postea autem, cum ob rei, quæ ad universum regnum pertinebat, gravitatem, tum ob libertatem constituendi judicii, ad comitia, quæ Pestinum indicta sunt, omnium consensione fœderum tractatio rejecta est. Itaque legatum apostolicum, qui interea confectis feliciter negotiis ex Bohemia Viennam redierat, cujusque opera in complanandis litibus plurimum profutura sperabatur, ut conventui interesse vellet, scriptis litteris ex Austria in hunc modum excivit.(1)

Reverendissime Pater, & Domine!

Legatum Apostolicum ad conflandam amicitiæ illius evocat.

„ Propositum pacis illius negotium omnino non aspernari superioribus avisamentis satis, superque expressisse credimus, quo accessit, ut & diætam, hanc præteritam, conventionemque generalem, in qua rei ipsius conclusio magis idoneum locum habebat, satis ample protrahi feceramus, & ab hoc adventum prius, quam litteras Reverendissimæ Paternitatis vestræ optabamus excipere, rati, rem ipsam solicitando dirigi, differendo vero elanguere posse. Verum tamen & has litteras, quas nuncius noster, tarde tandem rediens, hesterna die nobis attulit, gratulabundi vidimus, dum præsertim ex eis, & prosperum reditum Reverendissimæ Paternitatis vestræ a Bohemia, & vicinum ejus adventum ad nos accepimus. Congaudemus itaque de reditu prospero, adventum autem ipsum desiderio pleno exspectamus, parati, & suscipere, & colere cum honore. De oratoribus siquidem ad Posonium mittendis, via, & spes jam omnino ablata est: ita enim in hac diæta præterita communi omnium deliberatione concludere placuit, ut res ipsa in præsentia nostra, ceterorumque prælatorum, & baronum, ad hoc cum omni mandato deputatorum, in hoc loco tractetur, multis respectibus in hoc habitis, & potissime, ut in negotio ipso aperte magis, & sine cunctatione debitus finis quæratur. Vim etenim, & injuriam passis, ampliores sermonum latebræ, dilatio tractatuum, cautela exceptionum, quæ præsertim ex crebro oratorum cursu, & recursu multiplicari solent, tædiosæ sunt. Opus est videre magis, quam sperare, vel injuriarum, vel tractatuum finem.

„ Exsurgat igitur Reverendissima Paternitas vestra & susceptum pro pace hac laborem, æquanimiter, idem arbiter, idem dux, & comes, idem denique lator ejus optatæ pacis futurus, continuare velit. Parata omnia inveniet, securitatem, conductum, commeatus, & animorum ad pacem magis, quam arma ardorem. Proviso, quod partis illius regiæ, ita deliberatam, & apertam mentem, voluntatemque concipiat, ut res ipsa tot jam recursibus volutata, concludi magis posse, quam ut ita dicamus, eludi, seu labefactari dilationibus videatur. Quo quidem ordine Reverendissima Paternitas vestra, nudam hanc rem in manibus habitura, facile decernere conclusionem poterit, reddereque pacem accommodam partibus. Nobis vero facultatem liberam expediet, vacandi ad ea, quæ pro tutela, & incremento haud minus fidei, quam regni, & debito & animo nostro impendent. Excipimus enim assiduos æque religionis, ut patriæ „ ho-

(1) Joann DE ZREDNA Epist. XXVIII. refert quidem annum 1448 sed errorem in eo latere, certum est, ex duobus instrumentis actorum senatus Viennensis, in quibus pax sancita legitur anno 1447. Itaque dubito etiam, num dies epistolæ rite signata sit, quando ex iisdem instrumentis planum fit, fœderis capita ab legatis Hungaris secunda die Junii confirmata esse.

„ hostes, adversum quos & nobis opus esset deinceps potius gladio uti, quam scuto. Recommittimus nos Reverendissimæ Paternitati vestræ, quam & valere, & videre optamus. Data Budæ III. Junii, anno Domini MCCCCXLVII. *Annus Christi 1447.*

Ex quibus haud difficulter liquet, oratores, quos ad conciliandam pacem Viennam missos supra narravimus, ob injurias, quas ab Australibus perpessi essent, re, cujus causa venerant, minime confecta, domum revertisse. Sed cujusmodi illæ fuerint, aut quam ob rem illatæ, non constat. Hæc tamen indicasse operæ precium fuit, ut eos, qui pacis negotium Hungarorum intemperie dislatum perhibent, publico gravissimoque testimonio refelleremus. Ceterum legatus pontificius, cum videret ab accepta proregis epistola pronos omnium ad fœdus animos, magnopere orabat, ut rursus nuncios cum potestate Viennam mittere ne gravaretur, ita fore, ut res, quæ hactenus irrito toties conatu tentata fuisset, ex partium sententia ad felicissimum finem adduceretur. Non recusavit Hunyiades, ne si id negatum esset, christianorum principum, quorum animi ad ea fœdera arrecti erant, invidiæ se se objiceret: sed oratores Rakelspurgum, non item Viennam, mitti placuit, sive exosus ceteroquin hic illi locus esset, seu legatorum libertati ea re consultum vellet. Missi sunt iidem, qui ante Viennam ea de causa adierant, Dionysius Strigoniensis archi-episcopus cum sociis, quorum nomina alia a nobis relata erant. Fuit ea fœderum tractatio præterquam speratum sit, difficultatum prorsus expers, quod Australes armorum pertæsi, suapte ad pacem proclives, conditionum rationes ita temperarunt, ut citra levitatis notam neutris rem non confectam deferere integrum esset. Itaque Cilejensis comitis opera induciæ ad duos annos in hæc capita sancitæ sunt. (1) *Re deliberata ex Hungaria Rakelspurgum mittuntur.*

Primum, Fridericus Romanorum rex, urbes, arcesque in Hungaria, Ciputa, Sopronium, Ginsium, Rechnizium, tum oppida, & vicos Sleinigk, Pernstain, Divinium, Katzenstein, & Baumgarten, quæ in pignoris loco, aut armorum jure accepisset; Vorchtensteinium contra, Kismartonium cum Kobersdorfio & Vella, Albertus Friderici frater solido jure, bonaque fide possiderent, donec pignoris rationes ad liquidum illustrarentur, aut ex induciis constans, perpetuumque fœdus confieret. Jaurinum cum arce, Augustino electo urbis episcopo ad diem divo Joanni sacram traditum quidem iri, sed quod isthic cunque armorum, hisque simile reperiretur, in Austriam deferre præsidiariis jus, facultasque esset. Ad hæc episcopus cum sacerdotum collegio fidem publico documento faceret, nihil se, aut suos induciarum tempore adversus Australes hostile tentaturos: trium præterea millium aureorum numum, quæ Ladislaus Farkasius Elisabethæ reginæ nomine ab Friderico mutuum accepisset, vadimonium scriptis litteris præstaret. Regni autem ordines ad III. idus Novembres octo viros Viennam legarent, quos Nicolai V. pontificis maximi, ac cardinalium judicio, quidquid illi cognitis controversiæ capitibus decreverint, stare oporteret: rogandumque interea ab utrisque papam per litteras esse, ut ne causæ cognitionem in se se suscipere detrectet. *Ubi Cilejensis comitis opera induciæ in biennium sancitæ sunt, & in quas conditiones.*

Ladislaus Sclavoniæ banus, qui dato Joanne de Gara obside, ex Græcensi arce in libertatem se vindicarat, intra anni spatium, cujus initia ab Urbani festa luce ducerentur, rursum se se, quemadmodum datis suo nomine litteris fidem fecerat, Græcii sisteret: tum obsidem manu missum iri. Denique nulli ex Hungaris in fundos, quos Fridericus in Hungaria possideret, infestis armis procurrendi fas esset, ut nec Australium quisquam, ex Hungaria prædas, spoliaque agere, sive latrocinantium more, seu conflato milite potestatem haberet. Quod si quis contra quidquam ausit, jure utrinque in reos ageretur: sin eatenus conveniri partibus non posset, utrisque pœnam ex fœdifragis capere citra induciarum violationem liberrima potestas esset.

 Fœde-

(1) Extant tabulæ pacis Germanice in publicis actor. commentariis civit. Vindobon. vol. 1. fol. 235. apud cl. Kollar T. II. analect. pag. 1292.

Annus Christi 1447.

Fœderis tabulæ ad proceres Hungariæ Rackelſpurgum miſſæ, neque enim Viennam, ut indicavimus adire volebant, citra moras, difficultatemque omnium nominibus in hæc verba conſignatæ ſunt (1)

Induciarum tabulæ ab Hungariæ oratoribus firmatæ.

„ Nos Dionyſius miſeratione divina ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Præsby-
„ ter Cardinalis Archiepiſcopus Strigonienſis, Auguſtinus electus Jaurinenſis, Lau-
„ rentius de Hedervara, Palatinus regni, Nicolaus ab Ujlak Vayvoda Tran-
„ ſilvaniæ, Ladislaus de Palocz judex curiæ regiæ, Ladislaus de Gara Sclavo-
„ niæ Banus, Michael Orszag regni theſaurarius, & Thomas Zécſi comes Co-
„ maromienſis nuncii, & oratores ad ſereniſſimum Principem, Dominum Fride-
„ ricum Romanorum regem ſemper Auguſtum, Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ,
„ & Carnioliæ ducem &c. comitem Tyrolis, ad conficiendam pacem cum ple-
„ na poteſtate miſſi, omnibus, & ſingulis, præcipue Prælatis, Baronibus, Co-
„ mitibus, capitaneis, Nobilibus, militibus, civitatibus, & oppidis, & cujus-
„ cunque ſtatus, vel conditionis hominibus, civibus, & incolis regni Hunga-
„ riæ, ad quos præſentium notitia pervenerit, fratribus, & amicis honorabilibus
„ ſalutem, & favorem. Cum inter dictum Dominum Fridericum Romanorum
„ regem, & ejus ducatus, dominia, & ſubditos, ex una, & inter nominatum
„ Hungariæ regnum, hujusque ſubditos ex altera parte, vera, & chriſtiana pax
„ a Sanctiſſimi Corporis Chriſti feſto ad duos annos tractata, & concluſa ſit, roga-
„ mus veſtras fraternitates, & amicitias, eisdemque pro poteſtate nobis ad hunc
„ actum ſpecialiter conceſſa mandamus, & ſerio præcipimus, ut nemo veſtrum
„ poſtquam has noſtras litteras, viderit, legeritque, ditiones, terras, aut ſub-
„ ditos antetacti Romanorum regis hoſtiliter invadere præſumat, aut per ſuos
„ vel a ſuis invadi permittat, ſub pœnis, & mulctis illis, quæ conventione ge-
„ nerali in vetere Buda in antea conſtituta ſunt. Volumus etiam, ut præfatam
„ pacem, ejusque clauſulas omnibus civitatibus, & ſubditis per nominatum re-
„ gnum Hungariæ intimetis. Item volumus, ut transgreſſores dictæ pacis ſe-
„ cundum pœnas in conventione generali dictatas ſeveriſſime puniatis; ſecus
„ non facturi. Datum in Rackelſpurg feria quinta proxima poſt feſtum Pente-
„ coſtes anno Domini MCCCCXLVII.

Pupillo regi quotannis XXIV. millia aureorum numum penduntur.

Credibile præterea eſt, ut ex rerum conſequentium narratione planum fiet, privatis legatorum ſtudiis inter Fridericum, & proregem ita quoque trans-
actum eſſe, ut Ladislaus in regis Romanorum, donec adoleſceret, poteſtate, ac tutela eſſet, Hunyiadi contra proregis, dignitas integra maneret, ſi viginti qua-
tuor aureorum numum millia in pupilli uſum quotannis penderet. Hunc in mo-
dum lites, quæ regnum Hungariæ cum Auſtralibus jam tertio abhinc anno gra-
viſſimis incommodis exercuerant, ſancitis induciis ſopitæ magis, quam extinctæ ſunt, ut ſuo loco, cum nos narrationis ordo monuerit, prolixe a nobis expli-
cabitur.

Habito conventu Palatinus, defuncto Laurentio ſubrogatur.

Legatis in Hungariam reverſis placuit generalem regni conventum Bu-
dam indicere, in quo & de legatorum rationibus, communi judicio cogno-
ſceretur, & Palatini dignitas, nam Laurentius haud multo poſt, quam re-
dierat, extinctus eſt, alii, qui eo honoris gradu dignus eſſet, conferretur. Ac legatorum quidem res cum Auſtralibus tranſactæ nullo negotio confirmatæ ſunt,
tum in defuncti Palatini loco Ladislaus de Gara omnium conſenſione ſubroga-
tus. Quæ res conjecturam haud vanam nobis ſuppeditat, quidquid de hoc per inducias cum Romanorum rege concluſum erat, clanculum nunciorum opera an-
tiquatum, aut ab Friderico, ut erat conſiliorum ſuorum tenaciſſimus, diſſimula-
tum eſſe. Alioquin nec e regni dignitate fuerat, hominem alieno juri obnoxium ea prærogativa ornari, nec Auſtrales quidquam deinceps propterea obmoviſſe, niſi cum lites hæ ex integro ſuſcitatæ erant, pro comperto habemus. Ceterum ordinibus viſum eſt decernere, ut ea poteſtas multo arctioribus, quam ab Lau-
rentio adminiſtrata fuerit, limitibus circumſcriberetur. Nam jus in Budam Prin-
cipem regni urbem, ceterasque arces, quæ regum, ac reginarum nomine com-
pre-

(1) Ibidem pag. 1297.

prehendi folent, & in defuncti Palatini arbitrio prius erant, Hunyiadi, penes quem vicarium Hungariæ imperium fuit, itidem transcribere publico diplomate placuit. (1) *Annus Christi* 1447.

„ Nos Joannes de Hunyiad, regni Hungariæ Gubernator, Dionyfius
„ Cardinalis Strigonienfis, & Joannes Bachienfis, & Colocienfis Ecclefiarum
„ Archiepifcopi: Andreas quinque Ecclefienfis, Petrus Vaczienfis Ecclefiarum
„ Epifcopi: Nicolaus Nitrienfis, & Raphael Herczeg Bofnenfis Ecclefiarum
„ electi: Nicolaus Bodò Præpofitus Ecclefiæ Albæ regalenfis, Petrus Petsvara-
„ dienfis, & Sigismundus Sexardienfis Ecclefiarum Abbates: Comes Ladislaus
„ de Gara prædicti regni Hungariæ Palatinus, Comes Ladislaus de Palocz Ju-
„ dex curiæ regiæ, Nicolaus de Ujlak, & Emericus de Pelföcz Vayvodæ
„ Tranfilvani, Joannes de Perén, Tavernicorum, & Emericus, filius Vayvo-
„ dæ de Marczal Janitorum, nec non Simon de Palocz Agazonum Magiftri, Geor-
„ gius de Rozgon comes Pofonienfis, Sigismundus Groff Segniæ, Veglæ, &
„ Modrufiæ comes, Georgius de Corbavia, Joannes & Thomas de Zelk, La-
„ dislaus Thytöns de Báthmonoftora, Joannes filius Defö, Bani de Gara præ-
„ dicta (2) electi nuncii ad præfentem conventum noftrum per univerfitatem

Aliquanto contractiore, quam prius, dominatu.

(1) BELIUS Tom. III, notit. Hung. novæ pag. 807.

(2) Ceterorum nomina, ne lectori faftidio fimus, ob familiarum tamen cognitionem huc rejecimus. Ita autem habent Joannes de Koroghy, Joannes, & Ofwaldus de dicta Rozgon, Ladislaus de dicta Pelföcz, Stephanus de Bitskele, de Felvavár, Ladislaus de Neczpall, Paulus de Berén, Acatius Cfupor, Ladislaus Farkas de Lábatlan, Emericus de Debre, Nicolaus de Emökve, Ofwaldus de Buchan, Joannes de Zob, Barnabas Chire, Georgius, & Stephanus Soos, Paulus, & Ladislaus de Dombó, Georgius Zerechen, de Mezthejnyo. Ladislaus de Sepes, & Benedictus de Thuroz, item Petrus de Nagytárkány, Stephanus de Bocka, Nicolaus de Zthäncz, & Porkaláb de *Zemplinenfi*. Petrus Zopa, Nicolaus de Faifz, Emericus Ugron, & Cofmas de Thur *de Simigienfi*. Joannes de Kálló, Benedictus de Pazon, Mathias de Kerz & Michael de Temenye, *de Zabolchenfi*. Ladislaus Hervad, Georgius de Baja, Michael de Baboka, Nicolaus Nnyaktalan *de Baranyenfi*. Stephanus Berdue, Michael Borocz, Andreas de Achia, & Dominicus de Bél, de *Vefprimienfi*. Andreas Bodó, Joannes de Salyog, Nicolaus de eadem, & Georgius de Kéérde, de *Tholnenfi*. Nicolaus Zép, Michael Zaaz, Valentinus litteratus, & Petrus magnus de Beged, *de caftri ferrei*. Dominus Haraftos, Barnabas de Eölyeth, Thomas de eadem, & alter Thomas de Jonka, *de Bekefienfi*, Thomas de Kerefztur, Georgius de Bála, Ladislaus, Bojus, & Joannes Thybold, *de Borfodienfi*, Petrus de Almas, Matthæus de Baraczka, Michael de Thetelen, & Ladislaus de dicta Almas, *de Albenfi*, Joannes Vágközy, Kolós de Néma, Ladislaus de Radváni & Emericus litteratus, *de Comaromienfi*, Petrus de Balfo, Andreas de Lonya, Nicolaus de Beregh, & Privardus de Ulaz, *de Beregh*, Petrus de Maykocz, Georgius Farago de eadem, Joannes Figh, Vitus, & Ofvaldus de eadem, *de Veröcze* Sebaftianus de Koramzó, Benedictus de Alap, Albertus de Barony, & Dominicus de Enyfe, *de Jaurinenfi*, Paulus de Cfernek, Ladislaus de Lezán, Nicolaus de Lanicza, & Joannes de Jakovlecz, *de Pofega*, Georgius Thæmbald de Stharos, Andreas de Hanya, & Georgius de Vayda, *de fimegienfi*, Thomas de Saigo, Andreas Kakas de Delne, *de Sáaras*, Sandrinus de Balogh, Nicolaus de Demend, Georg. Figh, Sulva de Kaza, & Ladislaus de Gyarmath, *de Hontenfi* Sandrinus Ciko de Pomocz, Stephanus de Chip, & Magifter Jacobus, Decanus, & Canonicus Ecclefiæ Budenfis, *de Pilifienfi*. Stephanus Macha, Ofvaldus de eadem, Sigismundus de Benthgyörgy, & Joannes de Sarköcz, *de Thorantal*, Nicolaus Refchi, & Joannes de Darman, *de Hevefienfi*, Honorabilis Dominus præpofitus Ecclefiæ S. Laurentii, Ladislaus de Nagy Völgye, *de Bodrogh*. Paulus Ifpán, Joannes Septeli, Ladislaus Saroffi, & Britius Sarközy, *de Zarand*, Joannes de Zalancz, Georgius Sulyog, Cafparus de Felegy-Ház, & Joannes Thordas, *de Bacfienfi*. Georgius de Zékely, Jacobus de Darocz, Sandrinus de Rhéde, Michael de Lenygel, *de Neogradienfi*. Ifaac de Katha, Antonius de Irfa, Nicolaus de Barfovay, & Nicolaus de Dobos, *de Pefthienfi*. Ladislaus Figedi, Thomas Thobád, Nicolaus de Mera, & Joannes de Dobza, *de Abaujuarienfi*. Fabianus de Filgevar, Ladislaus de Bezènecz, Valentinus Bornemiffa & Nicolaus littera-

Annus Christi 1447. „ Nobilium comitatuum prædictorum transmissi, totum corpus, ac identitatem „ regnicolarum repræsentantes, notum facimus præsentium per tenorem, quibus „ incumbit, universis: quod nobis in ipsa nostra conventione hic Budæ cele- „ brata constitutis, de & super his, quæ quieti, & tranquillo statui ipsius regni „ nostri Hungariæ utilia, & commoda essent, tractantibus, cum inter hæc, de „ & super facto hujus castri Budensis, quod quondam Dominus magnificus Lau- „ rentius de Hedervara regni nostri Hungariæ Palatinus usque ad exitum nimirum vitæ „ suæ, ex nostra benevolentia, & collatione tenuit, quodque eodem deceden- „ te magnificus Emericus, filius ejusdem, pridem Banus Machoviensis, hucus- „ que conservavit, mentis nostræ curas discussissemus, quia in serie generalis de- „ creti regnicolarum, anni proxime præteriti expressum est, & declaratum, ut guberna- „ tor hujus regni castra, & civitates regales, & reginales intrandi, in eisdem- „ que standi, pausandi, & morandi liberam habeat facultatem, idcirco dum hu- „ jusmodi institutioni, & decreto satisfacere volentes, tumque aliis respectibus, „ ut puta, pro tutiori ejusdem conservatione castri, unanimiter, & sana deli- „ beratione voluimus, & sanximus, ut ipsum castrum Budense manibus prædi- „ cti Domini Joannis Gubernatoris dari debeat, & assignari, per ipsum, usque „ nostri, seu hujus regni liberum placitum, nobis, & huic regno fideliter con- „ servandum. Cum itaque nos hac de causa ipsum Emericum Banum in nostri me- „ dium venire, & accersiri fecissemus, eidemque, ut dictum castrum Budense „ in manus dicti Domini Gubernatoris dare, & assignare debeat, strictissime com- „ misissemus, mox idem Emericus Banus nostro communitatis præscripto, „ & voluntati se obtemperaturum, ipsum castrum Budense in manus ejusdem Do- „ mini Gubernatoris dedit, remisit, & assignavit tenendum & conservandum. Ideo „ nos de unanimi arbitrio, & voluntate, ac nostri, & totius regni, ac regni- „ colarum nominibus, & personis, ipsum Emericum Banum super restitutione, „ & resignatione ipsius castri Budensis reddidimus, & commisimus, immo reddi- „ mus, & committimus quietum, & expeditum, & omnibus modis absolutum ha- „ rum nostrarum litterarum, sigillis regni, atque nostro, scilicet Gubernatoris, „ nec non multorum nostrorum appensione consignatum, vigore, & testimonio „ litterarum mediante. Datum Budæ prædicta feria quarta proxima post festum „ exaltationis sanctæ crucis anno Domini MCCCCXLVII. „

Annus Christi 1448. *Hunyiades, rebus cum Friderico compositis bellum in Turcos meditatur.* Pacata hunc in modum Hungaria, ut nec ab Austria, sancitis in biennium induciis, quidquam periculi esset, & domestica partium studia penitus sopita viderentur, illud ante omnia sibi operæ Hunyiades sumsit, ut, cladis, quam ad Varnam Hungari accepissent, memoriam ant funditus obliteraret, aut vindictam, obmoto barbaris bello, caperet, præsertim, quod ad eam rem conficiendam christiani Principes novos indies stimulos per nuncios, & litteras suppeditarent. Itaque ad bellum feliciter gerendum scriptis per hiemem supplementis ingentes apparatus fecerat, finitimosque Principes ad armorum societatem missis legationibus invitavit. Præ ceteris Alphonsus rex Arragonum, qui id temporis, utraque Sicilia potitus, magnumque a rebus gestis nomen consecutus erat, maximum ad id momentum, si classem barbaris immitteret, allaturus videbatur. Ad hunc ergo Stephanum Segniæ Comitem maritimo itinere mittit, ut de subsidiis ad bellum Turcicum gerendis diligenter cum rege ageret. Non frustraneam hujus operam fuisse, haud multo post tempore manifestum fuit. Rex enim militari Hunyiadis studio mirifice captus, Bernardum Lopez in Hungariam confestim legarat, qui proregi non modo splendida munera afferret, sed certum interea de subsidiis esse juberet, donec cum ejus legato de rationibus gerendi

tus, *de Valkó*, Ladislaus Veres, Ladislaus de stricze, Ladislaus de Iske, & Adamus litteratus, *de Ungh*. Benedictus de Hadas, *de Lipto*. Salamon de Baragyon. *de Barsiensi*, Georgius de Maithè, *de Trenchinensi*. Joannes de Zobonya, & alter Joannes de Zemeke, *de Nitriensi*. Nicolaus de Vag, & alter Nicolaus de Zràk, *de Sopromiensi*. Nicolaus de Isaka, & Ladislaus de Beoth, *de Bihariensi*, comitatibus, item de regno Sclavonia, Georgius filius Simonis, alter Georgius, filius Ivan, Joannes filius Viti, Petrus de Fized, alter Petrus de Zenaharast, & Georgius de Magalocz-

rendi belli, modoque ſuppetiarum certiora conſilia caperentur. Eo nuncio Hunyiades in ſuſcepto labore vehementer confirmatus, ſcriptis ad Alphonſum litteris, ingentes pro muneribus, & ſubſidiorum pollicitatione gratias habuit. (1)

Annus Christi 1448.

Confirmatur in proſito ab Alfonſo rege Arragonum.

„ Sereniſſimo, & excellentiſſimo Principi Domino Alphonſo, Dei gra-
„ tia Arragonum, & utriusque Siciliæ Regi, Domino meo præſtantiſſimo. Se-
„ reniſſime, & excellentiſſime Princeps! Litteras, ac nuncium Serenitatis ve-
„ ſtræ, ex abſoluto tandem turbinibus itinere, hoc præterito menſe Aprili, vi-
„ di, & habui, in quibus ex vulgata virtute regia obortæ dudum ſpei meæ,
„ non æquata modo, verum ſupererogata favoris principia complexus ſum.
„ Audivi demum, & orationem Majeſtatis illius bene memorem, ſuſcepi quo-
„ que elargita munificentiæ veſtræ dona, equos videlicet & apparatus, gra-
„ tia, ſplendoreque magnifica, quorum beneficio, dum Majeſtas veſtra alteri
„ laudem, gloriamque deferri voluit, ſibi recte plurimum cumulavit. Reputavi
„ ſereniſſime Princeps! in eis rebus perſonæ magis quam meritorum meorum
„ reſpectum, rationemque interveniſſe, cum eo munere, non quod accipiente,
„ ſed quod dante dignum erat, acceperim.

„ Itaque præventus honore, ſtatui gratitudine ſequi, & utinam ita aſſequi
„ poſſem, ut rebus potius, quam verbis ad agendas gratias idoneus judicarer,
„ nunc vero id unum, præcipuumque, quod poſſum, utpote debitum, obliga-
„ tionemque meam commendo, præſertim, cum deinceps, & mihi in eis rebus,
„ ad quas jam jam pro utilitate reipublicæ chriſtianæ, honoreque Serenitatis ve-
„ ſtræ enitor, ad expertam Magnificentiam regiam, tutum refugium oblatum iri
„ non dubitem. Ceterum abſente comite Stephano, ſatisque diu exſpectato, in-
„ tulit præfatus nuncius, & familiaris Serenitatis veſtræ, quædam de legatione
„ ipſius comitis; quo audito pauca eidem, ſed fida, et fixa reſponſa dedi, orans
„ Majeſtatem veſtram, ut in eo digno, pio, & utili negotio inceptam operam, in-
„ tentionemque continuare dignetur, feratque opem, qui ſpem dedit, ne diffe-
„ rendo elangueat res illa, in qua perſeverantia opus eſſe, quam impetu, uti-
„ lius duco, potiſſime ne oſtentari perperam, ſed geri prius res ipſa videatur.
„ Recommitto me, & id totum, quod ſum, Majeſtati veſtræ, quam Dominus,
„ & ſuæ gloriæ, & omnium noſtrum commodo conſervare dignetur. Datum
„ Budæ XXIII. die Menſis Maji Anno Domini MCCCCLVIII.

A quo reducem legatum ſumaccipit.

Neque diu poſt comes Segnienſis ex Sicilia magnis uſus itineribus in Hungariam rediit, ſpes maximas ad bellum Turcicum, & pacis conditiones afferens, quam cum Rege Arragonum, Hunyiadis nomine conflaverat: cujusmodi eæ fuerint, non habeo in comperto: veri tamen eſt ſimillimum, Alphonſum, quod mari plurimum valeret, claſſem maritimam ſubſidio ſe miſſurum pollicitum eſſe, ut non obſcure ex proregis Epiſtola conficitur, quam ab reditu legati in hæc verba ad eundem regem exaraverat. (2)

Sereniſſime Princeps!

Gratiasque ob promiſſa ſubſidia per litteras agit

„ Tandem poſt diſceſſum nobilis Bernardi, familiaris Majeſtatis veſtræ,
„ venit ad me magnificus Dominus comes Stephanus, aſſerens certa capitula ſu-
„ per re illa cognita, quam divinæ primum, & deinde Majeſtatis veſtræ gloriæ
„ accommodam, regno vero huic, immo & fidei noſtræ catholicæ perutilem re-
„ putavi. Cujus quidem adventus, quamquam ſerus, gratus tamen mihi fuit, utpo-
„ te ex quo amplam, conſtantem, atque illo Principe dignam voluntatem co-
„ gnovi, ad proſequendam rem prætactam, qua nihil commodius vel exopta-
„ ri, vel complecti, mihi unquam videri potuit. Legi itaque illa capitula, &
„ in eis nihil aliud, quam temporis lapſum criminatus ſum, cetera enim recte
„ ire potuiſſe non dubitabam. Opus eſt elapſa reaſſumere, maneat modo in-
„ tentio prior, pro quorum executione, quo ordine, & quibus mediis inſiſten-
„ dum ſit, ſatis clare cum præfato comite Stephano contuli, qui ipſam Majeſta-
„ tem

(1) Joannes *de Zredna* Epiſt. XXIX. (2) Idem Epiſt. XXXI.

Annus Christi 1448.

„ tem vestram vel litteris, vel nunciis suis amplissime de omnibus poterit informare. Mihi nunc plura super inde loqui non satis visum est, ipso eodem relatore, & mediatore contentus. Ceterum duce, & opifice Deo, ego jam accingor, desideratum diu iter prosecuturus. Incipere rem hanc grandem mea interfuit, exequi vero, & conficere superioribus viribus, & nomini reservatum est. Habet sane Majestas vestra satis competens in ea re exordium, agat igitur deinceps necesse est, prout divino obsequio, & suæ gloriæ conducere satius norit. Recommendo me Majestati vestræ. Data Budæ XXIV. Mensis Junij Anno Domini MCCCCXLVIII.

In hostem movens, causas belli Pontifici explicat, & suppetias rogat.

Hæc prorex ad Alphonsum, tamquam cladis postea acceptæ præsagus fuisset, sive sero ventura subsidia animo præcepit, seu parum profectura arbitratus est, quod compertum haberet, Turcos vires suas a mari mediterraneo Rasciæ de industria infudisse, ne sibi cum gemino hoste, si ad manum veniretur, res esset. Nihilo tamen constantior in proposito Hunyiades collectis, quanto poterat numero, copiis itineri se accinxit, modicis per intervalla factis itineribus, ut qui longinque positi erant, sensim sub signa confluerent. Prius, ad Tibiscum quam castra moverat, adfuit Roma Nicolaus Cracoviensis decanus, quem legatum prius ad Nicolaum pontificem miserat, qui præter amplissima promissa, novam quoque dignitatis prærogativam Hunyiadi afferebat. Pontifex enim, quo sponte currentem magis ad pulcherrimum facinus incitaret, novo eum Principis titulo, & dignitate ornare volebat. (1) Sed eo honoris gradu cum parum ad belli fortunam conferri prorex videret, gratias quidem, ut oportebat, prolixas Nicolao egit, subsidiis tamen adversum barbaros, mittendis plus se, magisque, quam illa dignitatis prærogativa adjutum iri, aperte significavit, tacite admonens cum christianorum, per orbem pater esset, & diceretur, facturum e dignitate sua, si Hungaros, qui Turcorum injuriis ante alios obnoxii essent, suppetiis adjuvaret. Tum infra Belgradum cum exercitu profectus, ut cominus hostium consilia specularetur, ubi ad vadum, quod vulgus lapideum dicit, ventum esset, litteras ad Nicolaum dedit, quibus & de cladibus ab hoste olim acceptis queritur, & belli, quod nunc barbaris inferre meditaretur, causas explicat. Non erit abs re annalium, si eas præcipue, quod barbaræ gentis incrementa abhinc, quam ex Asia in Europam trajecere, singillatim explicant, integras hoc loco depromamus. (2)

Beatissime Pater, & Domine metuendissime.

Ejus de hac re litteræ ad Papam.

„ Satis superque palam futurum crediderim Beatudini vestræ, cum litteris, tum vero venerabilis oratoris nostri legatione, quid curæ, quidve consilii regno huic impendeat, quid denique operæ, ac studiorum paretur. in spem christianæ libertatis, irarum cœlestium venia potiundæ, quam vel peccati, vel fortunæ conditio multis turbatam fragoribus, infidelium calcaneo, subturbans pessum ire portenderat, & quæ profecto hactenus, ut vera magis, quam decora fateor, pertinacius oppugnata ab hostibus, quam a civibus defensa recte videri potest. In qua re si quidquam amplius ejus viri eloquio adjectum fuerit, id licet totum superabundare non dubitem, utpote, ubi non solum intentionis cognitæ, sed veræ etiam executionis relator accedet, tamen exequenti mihi, quæ ad eam rem instituta sunt, non abs re visum est, in hoc procinctu cum ipso oratore nostro miscere sermonem, eum videlicet, qui plus animum solicitat, urgetque, & quo magis urget, eo minus taceri, minusque in animo meo oblitterari potuit, nihil novi, vel ignoti addens, sed ut refricatus dolor malorum publicorum sensum, tot malis duratum reficiat, magisque notum fiat, belli hujus causam majorem esse, quam bellum. Lustrum prope vicesimum, si apte memini circumagitur, quo Europæ oras infesta Teucro- „rum

(1) Paulus *de Iwanich* ejusdem temporis in commentario ad Epistolas Joannis *de Hunyiad*.

(2) Joann. *de Zredna* Epist. XXXV.

„ rum arma, Deum, hominesque violatura pervolarunt, eaque post subactam plus „ quam brevi Græciam, Macedoniæ deinde, ac Bulgariæ regna, præterea Albaniæ, item alias, ut dictu, ita & memoratu miserandas, plurimas terras, aliis „ super alias cladibus completas, superbo ludibrio, ruina, funeribus, servitute, religionis denique jactura deformatas, in peregrinos ritus, mores, legesque, ac infidæ linguæ commercium inverterunt. Nihil incolumis inter „ sacra, profanaque, nihil inquam, cui ferro, terrore, cui flamma, ac jugo „ noceri potuit, inviolati relinquendo, ut unaquæque gradu proxima erat, ita „ ignominiæ objecta. Hinc omnes circum vicinos passim vis, atque tempestas „ illa adorta est. Novissime ad ipsius ferme Europæ umbilicum pervagata, tandem hujus regni, & patriæ nostræ adhæsit lateribus. Miretur, Pater beatissime, „ qui novit, quo pacto ad tanta, tamque dura, patienda potius, quam propulsanda hæc, patria nostra sufficiens fuerit, quæ, nisi stetisset fide, opibus, „ reor, fuisse non staturam.

Annus Christi 1448.

„ Jam supra sexaginta numeramus annos, quibus pene continuis furiam „ illam, facemque bellorum sustulimus, in privatam curam, in privata quoque unius gentis arma conversam. Stetimus utcunque multis cladibus, „ bellis, funeribus exhausti, doloribus affecti, occidione occisi. Quantum terroris, pavorisque meminimus, visa sæpenumero hostium castra e muris, flagrantia tecta, ploratibus fora, angustiis omnia completa: præterea vastationes „ rurium, lugubres domos, obnoxia fratrum nostrorum corpora, hosti proposita, ludibria victoris, jugum hostile, fœdi captivorum agminis miserabilem vitam, utque plura brevi complectar, plus quam hostilia passi, parum præter arma, & animos, libertatis memores, relicti habuimus: præsertim cum sæpe „ ad extrema periculorum ventum sit, & nescio, an majora vincula, majoresque necessitates nobis, an captivis nostris fortuna circumdederit. Sed in his „ quantumcunque difficilia, pati maluimus, quam servire, semperque fidei, „ quam rerum damna majora duximus. Satis ne igitur justi doloris occurit? quandoquidem nullum adversum nos prætermissum est crudelitatis genus, & nullum „ est satis, sive vincamus, sive victi simus: hostis semper instat, utpote, „ qui majoribus prope adversum nos odiis certat, quam viribus.

„ Nunc quoque hostis ipse, terra, marique magno exercitu, magna mercede coemto, magis supplicium de nobis, quam victoriam quærit, cujus vicinis insultibus citati ad bellum, ne tot malis adderetur culpa, exspectatum „ hostem adire magis, quam morando adiri statuimus; inferre satius, ut non patiamur, bella rati. Satis habeamus, vidisse tot sub jugum missos, sponsione „ infami obligatos, vectigalia christianorum capitum, flagitiosas compeditorum „ nundinas, quotannis religionis nostræ ludibrio ire: satis, inquam, erit pia credulitate, & cœlesti flagello super tot miserandas terras christiani nominis bu„ sto insignes exsatiari, in quibus, si quæ sunt, tantorum naufragiorum reliquiæ, gemunt magis, quam vivunt. Impedimento erat bactenus hæc nova „ vis morbi, intestinæ dissensionis, quæ nimirum plurimum nostri laboris florem „ depasta; in eam conditionem propulerat, nt, nec incommoda nostra, nec remedia pati posse videremur, valentes populi hujus vires se ipsæ conficiebant, nihil amplius, quam suum militem, sua arma horrebant. Nunc vero, Pater beatissime! expeditis fere omnibus, quæ ob residuas bellorum iras, impedita restabant, majorem tuendæ patriæ spem, animumque suscepimus. Igitur benignitate Dei, sub Sanctitatis vestræ fiducia inceptu tanta ratione digno opus „ fuit, cujus ego autor ipse, & tutor executionem aggressus, incitato sponte mi„ liti impetum addere paro, restatque, ut non pro ripa Danubii stantes arceamus transitum hostis, sed ut latius transmigretur, transferaturque bellum, non „ ad gerendum modo, sed ad finiendum. Quod cum majus futurum sit, quam „ capere id privatæ regni hujus opes, vel alere privata stipendia possent, spectetque ad summam rerum libertatis christianæ, sicut prioribus litteris, ita & nunc sup„ plico

Annus Christi 1448.

„ plico attentius Beatitudini vestræ, cui hæreditaria de nobis cura commissa est, „ quatenus inter alias occupationes suas, dignetur & hanc nostram, immo fidei causam ante oculos ponere, taliterque curare, & providere, ut non hanc inceptam, defectu aliquo perurgente, vel remissius agere, vel omnino deserere non compellar, neve cogar, & parta relinquere, cum detrimento, & ignominia catholicæ fidei, & jactura sempiterna.

„ Opibus, & numero validi sunt, cum quibus arma conferenda erunt, vereorque, ne cum Teucro inceptum hoc bellum, cum tota Asia gerendum occurrat, quam ob rem spes major christianæ servitutis propulsandæ in perseverantia est. Aut enim non persuaderi bellum debuit, nec suscipi, aut si persuasum, susceptumque exstitit, gerere pro dignitate tantæ rei, & perficere oportet. Perficietur autem, si urgebimus concussos, & si non abscedimus prius, quam spei nostræ finem pulsus Europa hostis, imponeret. Non levis causa est belli, quæ ad perseverantiam stimulat, toties insultarunt hostes, nunquam, nisi victi desinent. Nulla cum eis fida conditio pacis esse potest: utile est igitur instare perseveranter, defungique cura. Instabimus autem, si Beatitudo vestra perseverantiæ nostræ opem tribuet, brevis erit res, si uno tempore agetur, etsi per intermissiones, intervallaque lentiorem spem nostram non fecerimus. Habet jam Beatitudo vestra æqualem his stipendiis exercitum, habet milites domesticorum funerum avidissimos vindices, quibus non precaria, sed perpetua arma exstant, adversum illos nostros semper hostes, christiano nomini nunquam amicos. Placeat modo provisionem non postponere, in eum finem, ut liberata Europa, & fidei consors, & sedis illius gloria fiat, atque decus. Hæc dicens, simulque hinc proficiscens recommitto me pedibus Sanctitatis vestræ, quam Altissimus conservet, juxta vota regimini Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum in terra Rasciæ, alias Serviæ in ipso progressu exercituali prope vadum Danubii, quod vulgo lapideum dicitur, die XVII. Septembris, anno Domini MCCCCXLVIII. „

Ejus consilia, & destinationes ab Rasciæ despota Turcis produntur.

Hæc inter Georgius Vukovicsius Rasciæ Despota idem ille, qui sub Wladislao, Hungarorum opem adversus Turcos impetraverat, pugnæque Varnensi interfuit, postquam, quo ea belli moles evasura esset, cognovit, ut gratiam apud barbaros iniret, missis clam litteris, & quanto numero exercitum Hunyiades duceret, & quas belli rationes secum iniisset, hosti significavit. Perculsi eo nuncio Turcæ, quid agerent, non satis intelligebant. Nam Amurates, Mahumeto filio imperium sponte cesserat, senio fractus in Asiam se recepit, ut procul aulæ curis, & armorum strepitu religioni vacaret: Mahumetus ipse, quod admodum adolescens esset, tantam belli molem adversus eum ducem, qui multas ex Turcis jam palmas tulerat, ferre posse non credebatur: Cali-Bassa autem, qui pro impubere Mahumeto rempublicam administrabat, veritus, ut milites, maximam partem veteranos, multisque jam stipendiis emeritos, obsequentes habiturus esset, quid agi, caverique primum oporteret, haud satis exactum habuit. Ita hærentibus in deliberatione primoribus, nihil salubrius visum est, quam Amuratem ab ocio revocare. Missi igitur legati in Asiam, qui eum de periculo edocerent; ac, ut quamprimum in Europam redire vellet, auctores essent. Cognito discrimine, haud diu moratus, vocatis sub signa legionibus, trajectoque Bosphoro ad suos venit, ac in omnem intentus partem, celeriter, quæ bello necessaria erant, comparat, in Hunyiadem acri præprimis cura conversus, quo illius molitiones evasuræ essent.

Intellecto ipsum Amuratem ex Asia sibi opponi, in barbaros movet,

Hic autem postquam summum Pontificem de suis consiliis, ut memoratum est, per litteras edocuisset, ratus barbaros in Bulgariam, aut Thraciam moturos, magnis itineribns præterita Sophia urbe, ad locum, cui Basilia nomen, castra defixit. Ductabat exercitum ex duobus, & viginti millibus conflatum, cujus maximam partem Hungari reliquum Bohemi pedites, Germanique, quos stipendio conduxerat, ac levis armaturæ eques Valachus confecerant. Hic cum militem quiete reficit, adsunt speculatores, qui octoginta Turcorum millia Amuratis

ratis ductu ad Rasciæ, & Bulgariæ fines appropinquare nunciant. Itaque itinere dextrorsum reflexo, hostemque celeritate prævertens, in Merularum campo prius constitit, quam barbarus ex Bulgaria nostros movisse comperisset. Is locus Rasciis Cosana, Hungaris, incertum, quam ob causam, Merularum, ut memoratum est, campus dicitur, viginti passuum millia longus, quinque latus. Medium fluvius Sitnicza intersecat, ex Illyricis montibus ortum trahens, ac post multa diverticula Danubio illapsus, Bulgariæ partem, & Rasciæ separat. Latera utrinque montes, in circi speciem ambiunt, vallibus intercepti, & vicorum frequentia celebres. Huc Corvinus cum suis delatus cum intellexisset, Turcos haud procul abesse, collem, quem ad Sitniczæ amnis ripam eminere conspexerat, ante omnia occupare suos imperat, quod is locus in totam planiciem despiciens, non nullum ad prælii fortunam momentum facturus videretur. Eadem cura barbaros habuit, præsertim, quod is locus Amuratis illius, quem sub Sigismundo cæsum narravimus, tumulo, & pyramide insignis esset. Ergo quasi dedita opera id spatium prælio destinatum fuisset, uterque isthic exercitus in mutuo conspectu adstitit, Turcis nostros ex illo colle summa vi deturbare connixis, quæ res, quod tenebræ ingruerent, locumque præberet insidiis, in sequentem diem prolatæ pugnæ initium postridie dedit.

Annus Christi 1448. mediocri exercitu.

Et in campo Merularum castra metatur.

Itaque XV. Calendas Novembres, ubi sol illuxit, Hunyiades communito curribus, & machinis colle, qua hostium fronti objiciebatur, ordines sic partitus est, ut cornua sensim ex clivo defluere, & quemadmodum res, & tempus postularet, alas explicare, rursumque contrahere possent. Mediam aciem Joanni Székelio, præclaro in paucis militi, cui quadratum cataphractorum agmen adjunxerat, ductandum commisit, dextra ala Benedictus de Losonz præerat, sinistram Stephanus Bánsi curabat: Hunyiades cum Francone Sclavoniæ Bano, quocunque periculum vocaret, nullo delecto loco, se affuturos spopondere. Sic instructa acie in hostem ex colle descensum est, & tribus continenter horis missilibus telis ex intervallo dimicatum. Crescentibus deinde, ut fit, sensim cum audacia animis, cominus res acta, fortuna nostris adeo propitia, ut, postquam aliquamdiu ancipiti marte signa collata essent, Losonczius omnium primus pro dextro cornu fortiter pugnans barbaros inclinaret, quem Bánsius quoque incredibili studio æmulatus, objectum sibi cum maximo robore Bassam Europæum cedere loco compulit. Amurates, cognito periculo, veritus, ne fuga per exercitum spargeretur, novas legiones, quas in subsidiis collocarat, confestim auxilio suis adducit, pugnamque magnis animis instaurat. Ea re adeo nostris animi demti non sunt, ut locum etiam, quem per hostium cladem occupassent, summa virtute tuerentur. Itaque cædes tanto major inter barbaros fuit, quanto conferti magis, & temere in Hungaros insultabant; præsertim quod machinæ, quas in collem adductas diximus, scitissime in barbaros vibratæ quaquaversum, mortes propagarent, tenuitque pertinax utrinque pugna eo usque, donec nox sensim ingrueret, Turcæque primi dato receptui signo in castra sua magis fugerent, quam sponte abirent.

Conserto biduum prælio prima die vincit.

Hunyiades collaudatis militibus, nihil tutum arbitratus, quamdiu barbari cominus essent, partem pro munimentis excubare, ceteros corpora curare jubet, hostiumque castra machinis impeti, quo fessus pugna miles quiete tantisper sese reficeret. Sed plerosque tantus incesserat adversus hostem ardor, studiumque, ut ambulatoriis refecti cænis extemplo ad suos ordines redirent, totamque noctem insomnes hosti præstolarentur. Amurates, qui callido usus pridie consilio non universis viribus in pugnam descenderat, suffectis in priorum loco recentibus copiis, postridie dimicationem iterum auspicatur. Nostri nihil animo languidiores, sed fessis, ac vulneratis corporibus in arenam descendunt. Pugnatum est multo, quam alias, majore ferocia, impari tamen primum eventu; quod Amurates damno prioris diei edoctus, militem ita colli subduxit, ut machinarum jactus fere inanes essent. Postea tamen, quam animos Hunyiadis exhortationibus resumsissent, acrius in hostem connixi, barbaros tantum movere, quantum satis esset. Ut nostri machinis rursum, cum ingenti Turcorum damno uti possent. Ea re magna sauciorum pars, qui in castris remansere, no-

Altero contra die profligatur:. cladis causa.

 vis

Annus Christi 1448. vis acti stimulis in aciem redierunt. Usurus tempore, & suorum virtute Hunyiades, Székelio, cui quadratum cataphractorum agmen cum levi Valachorum equitatu commiserat, dat in mandatis, ut stataria pugna hostem a fronte aggressus magis vim propulsaret, quam inferret, quoad suorum constantia, & ipso tempore fatigari barbaros conspicaretur, tum facto impetu instaret, se cum sociis, quos utrinque carris communitos, ut tutiores a vulneribus essent, pugnare jusserat, tempori affuturum. Salubre, & ex re, locique positu captum consilium fuit, nisi eventus nostrorum non tam virtutem, quam conatum destituisset. Nam Székelius incauto pugnandi ardore abreptus, & in hostem, tamquam atra nubes, illatus, ut primum mediam barbarorum aciem edita confertissima strage, submovit, victoriæ, & laudis illectus cupidine porro, quam oportuit, progressus, latera hosti denudavit. Qua re animadversa barbari, de industria spatium cessere, ut quaquaversum circumfusi nostros indagine cingerent. Székelius in primo ordine obstinacissime pugnans occubuit: cujus casus, ut languidiorem reliquorum dimicationem fecerat, ita Turcis adjecit animos, ut vires totius pene exercitus huc contraherent; quo factum, ut partim cæso, partim dissipato eo manipulo ceteri relictis impedimentis in apertam fugam conjicerentur. Ita barbari, post acerrimam duorum, non item ut Bonfinius scribit, trium dierum pugnam, cruentissima victoria tandem potiti sunt. Ex Hungaris octo universe millia in prælio cæsa esse, Amurates eodem mense Corinthiis per litteras significavit: Turcorum contra quatuor, & triginta millia desiderata eorum temporum scriptores passim perhibent. (1) Ceteri aut in captivitatem tracti, aut quoad per vulnera licuit, variis per Illyriam acti erroribus, in Hungariam advenere.

Cæsorum utrinque numerus.

Ex primoribus pauci, præter Hunyiadem, fuga evaserant: qui cum per avia, & devia triduum actus in Turcorum cohortem incidisset, tamquam unus palantium ex prælio captus, & duobus, quod reliqui prædarum spe aliorsum divagarentur, ad custodiendum traditus est. In tam aperto discrimine, cum se minime a barbaris cognitum cerneret, promto usus consilio, ensem celeriter Turco subtrahit, cæsoque confestim altero, alteroque in fugam acto salvus evasit. (2) Inde multis jactatus ærumnis Senderoviam Despotæ juribus obnoxiam feliciter attigit. Id ubi mortalium ingratissimus comperit, hospitem parum liberaliter habitum capi imperat, neque prius dimittit, quam pollicitus esset, *uti Mathias ejus filius Despotis gnatam, comitis Ciliæ neptem, uxorem duceret; &, ut conventa utrinque tutius præstarentur, Ladislaus alter Corvini filius daretur obses.* (3) Hæc totidem verbis Bonfinius. Sed in eo, quod de nepte ait, errorem cubare manifestum est; quod Mathiam cum Elisabetha Ulrici Cilejensis filia, quam ex Catharina Despotis gnata genuerat desponsum fuisse probabilius sit, quam ut dubitari possit. (4) An hoc autem tempore sponsio conciliata sit, an serius postea, ut inter Ulricum, & Ioannem, positis odiis, amicitia conflaretur, prorsus incompertum mihi est.

Ipse Hunyiades post pugnam a Turcis captus, feliciter ex periculo emergens. Ab Rasciæ despota capitur: mox liber dimissus: & qua conditione.

Dimissus Senderovia Hunyiades citato itinere Segedinum, quo regni ordines, a comperto infelicis pugnæ eventu confluxerant, properavit. Acceperе eum, contra, quam ab aliquibus speratum sit, omni officiorum significatione, mœstumque erexere, disertis verbis contestati jacturam illo incolumi haud tanti debere videri; militum supplementa nusquam defutura, si tali duce, cui parem non reperturi fuissent, salvo potirentur. Tum de ratione, qua cladis nuper acceptæ jactura sarciri posset, consultari cœptum; placuitque, ut ante omnia Pontifex de re edoceretur, spe ducti, Papam pro suo in christianos studio, & pietate

Redux in Hungariam Pontificem de accepta clade edocet.

(1) BONFIN. Dec. III. Libr. VII. AENEAS SYLV. Histor, Europ. cap. V.

(2) PAULUS DE IWANICH in Comment. ad XXXIX. Epist. Joannis de Hunyiad his verbis rem narrat. *Fuit enim in hac via fugiendo captus* (Gubernator) *etiam per Turcos, & mirabiliter evasit, quia, cum datus fuisset duobus ad custodiendum, unum eorum interfecit, & alter mox fugit ab eo, & sic ibi liberatus fuit. Hæc eodem ipso referente agnovimus.*

(3) Idem ibidem.

(4) FROELICHIUS specim. II. Genealog. Comit. Sounekion. & in Tentam. Genealog. Chronologico Comit. & rerum Goritiæ.

pietate suppetias, quas ceteroquin, & sponte pollicitus erat, haud difficulter missurum. Itaque prorex ad Nicolaum Cracoviensem decanum, regni, & suum Romæ oratorem, in hæc verba scripsit. (1)

Annus Christi 1448.

Venerabilis Pater, Frater nobis dilecte!

„ Quo pacto eventum rerum nostrarum tuleris, facile conjicimus, quandoquidem eas multo prius gestas audire, quam gerendas orator ipse nunciare potuisti, verum ne varii rumoris, ut fit, te involucra teneant, neve plus temporis turbationi quam commendatæ operæ accommodes, placuit, ut saltem reditu nostro, ac paucis desuper avisamentis te utcunque solaremur, quibus inprimis certior fias, hac vice nos fortunæ magis, quam animi possessione exutos: in ceteris, quæ passi sumus, divino, non humano flagello, gloriam, laudemque tribuimus.

Ac subsidia flagitat.

„ Pridie penultimam Septembris ab Danubio te vidente castra mota fuere. Itum deinde, & provisum de omnibus, demum tam celeriter in hostem ventum est, ut prius perficere, quam sentire laborem videremur, laborem viæ dicimus, non pugnæ, nam de constantia pugnæ, & ipsi hostiles oculi confiteri poterunt, vix unquam pertinaciorem contulisse. Equidem XVII Octobris coram facie hostium castra metati sumus, prælii, cædisque principia inita demum altera, quæ sexta feria fuit. Primo mane ordines educti justaque acie signa collata. Stetit eo toto die nostrorum invictus animus, minus cedens, quo cædebatur durius. Multa clara funera hinc inde edita, tamque solida & constans pugna fuit, ut majori pertinacia, quam vi bellum fervere videbatur. Nemo usque ad tenebras receptui cecinit, nox ipsa sequens furorem, & arma diremit, ubi, & si parumper resederint acies, ingeniis tamen, & machinis nocte tota certatum est. Ex hinc sabbathi subsequente die, iterum renovato, & usque ad horam sextam protracto certamine, tandem armigeri perduellesque nostri, utpote longo armorum pondere, longiorisque prælii tædio, item vulneribus confecti, atque obruti vapularunt, gloria, & area belli penes hostes remanente; quam quidem nos armorum potius, quam animorum defectu perdidimus, ipsi vero multitudine, & super hæc omnia peccatorum nostrorum merito acquisiverunt. Si læta, vel incruenta victoria fuerit, eis judicandum relinquimus, nobis sufficit supernam animadversionem ad eruditionem potius, quam ad internecionem interpretari.

„ Ceterum de persona nostra, si gloriari oportet coram te, recte in infirmitatibus, passionibusque nostris gloriabimur, hostilem pressuram, captivitatem, & ceteras fortunas abunde experti, sed juvat inter hæc, quod non ignavo questu passi sumus, sed in eo negotio, utpote, fidei, in quo, nec armis, sed nec morti cedere destinatum erat, ubi, cum adhuc idem exstet animus, poterit habere, & ipsa fortuna regressum. Ex Turcorum deinde manibus erepti apud Despotum Rasciæ ad hos usque dies perstitimus, tanto videlicet tempore, ut in vigilia festi natalis Domini ad hunc locum in medium Dominorum prælatorum, & baronum, ac procerum regni Hungariæ in eo ipso loco congregatorum venire potuerimus. Inter quos autore Domino, quod potissime magnam restaurandæ fortunæ spem tribuit, rectam concordiam, ac unionem, & ceteras regni res integras reperimus, præsertim vero animos ex hac suscepta clade irritatos magis, quam fractos. Unde illico nobis mandata provisio fuit ad reassumendam fidei, patriæque defensionem. Itaque consensimus ultro, instituimusque e vestigio navare operam, curamque, ne longa, aut diuturna fiat hostibus quies, ex nostra clade quæsita. Revera non quiescemus & nos, comite vita, donec vel vindictam, vel mortem ex eo hoste referre datum fuerit.

(1) Joann. DE ZREDNA Epist. XXXIX.

Annus Christi 1448.

„ Quam ob rem dilectionem tuam attente requirimus, quatenus & Tu „ in rebus tibi commendatis agas, uti rectius & efficacius potes. Specialiter vi- „ de, si sperare solum, & non habere illinc subsidia liceat. Jamjam zelus, si quis „ est, ad defensionem afflictæ satis nostræ fidei, tibi facile apparere poterit, præ- „ sertim, si principum illorum conatus ex hoc adverso principio ad ultionem „ magis, quam ad defectionem ferri conspexeris. Tu vero, quidquid dicatur „ apud alios, ex casu isto in nullo despera; nam ampliorem hostes cruorem „ pro occupanda, quam nos pro recuperanda adhuc Macedonia, dedimus. Cu- „ ra solum, ut bono tempore responsa exigas, de quibus suo ordine, sed & de „ omni statu tuo nos celeriter avisare non postponas, redditurus nobis largam „ consolationis vicem, si hoc, quod summe optamus, maturasse videberis. San- „ ctissimo Domino nostro, & Sacro Collegio nos recommissos facias, certifican- „ do rem nostram minoris esse periculi, quam famæ, vale. Data Segedini die „ penultima Decembris, MCCCCXLVIII „

A prælio invidia apud exteros laborat.

Nihil his litteris ad faciendam de prælii fortuna, & eventu fidem illustrius est, cujus fama per orbem christianum vulgata, quantos metus, ac malignos etiam rumores, in Hunyiadem concitaverit, nusquam alibi prolixius, quam in epistola ab Ænea Sylvio ad Nicolaum Pontificem scripta, reperias. Cujus partem tametsi prius, quam proregis consignata sit, hoc loco visum est priori adjungere, ut lectori rem cum re contendere integrum sit. (1)

Nicolao Summo Pontifici Æneas Sylvius.

Aucta, ut fit, per rumorem clade, Sylvii ea de re epistola.

„ Infelix nuncium ad regias delatum est aures, scriptisque plurimis confir- „ matum, in vigilia sancti Lucæ victores Turcos christianum exercitum prostra- „ visse, nunc rei seriem, uti prædicatur agnosce. Audita, non visa, narramus. „ Quartus hic annus est ab eo, quo Juliani sanctæ Sabinæ cardinalis, ac Wla- „ dislai Poloniæ regis felices animæ cum pluribus aliis, in bello ad patres migra- „ runt. Cecidisset etiam tunc Joannes Vayvoda Transilvanus, nisi fuga salutem „ quæsivisset, at homo Valachus, regionis gnarus, & ingenii callidi periculum, „ quo ceteros irretivit, absque negotio declinavit. Hic postmodum regni guber- „ nator creatus, grandem exercitum hac æstate coegit, atque adversus impera- „ torem Turcorum profectus est. Complures eum Teutones, & Bohemi secuti „ sunt, quos stipendio conduxerat. Nec Turcus orientali sapientia fretus, medio „ tempore deses fuerat, sed ratus, quod erat, Hungaros minime quieturos, do- „ nec ulcisci tentarent, innumerabilem Asia tota comparat exercitum. At Joan- „ nes suam magis, quam hostium metuens multitudinem, neminem sibi parem ar- „ bitrabatur, & quasi fœminarum acies, adversarios contemnebat, quamvis mili- „ taris disciplina sit, nec timere hostes nimium, nec parvi pendere oportere, ut „ Comici quoque versus meminisse conveniat, ne quid nimis. Jam campos tene- „ bant Mœsiæ, quæ nunc Bulgaria nuncupatur; explorata erant Turco Joannis „ consilia, & quamvis superiorem se nosset, fugam tamen simulabat, sic enim ho- „ stes vel insidiis capiuntur, vel successionibus elati minus considerationis habe- „ re solent. Ajunt unum ex Turcia exploratorem captum, cui prioris Scipionis „ exemplo monstrari singula Joannes jussit, & hominem impune dimissum, refer- „ re Turco, quæ vidisset. Terruit hostes Joannis factum, remisso tamen homine „ nunciant Turci, belli se copiam facturos, incensisque interim undique circa se „ mapalibus amplius fugiunt: locum fortasse oportuniorem quærebant, ut adver- „ sarios tanto inconsultiores redderent, quanto securiores se judicarent. Insequi- „ tur Joannes, cumque jam proximus esset, nec posse ulterius prælium detracta- „ ri videretur, oratores octo ex primoribus Turcorum advenerunt, qui humani „ sanguinis effusionem detestati, pacem perpetuam, & impensas belli, aurique „ centum millia promittunt, sic me præsente regio culmini junior Szilagyius comes „ asseruit, cui ex socero Rasciæ Despota illarum partium novitates facile persci- bun-

(1) Ex Cod. MS. Biblioth. Mellicensis Num 13. fol. 230.

„ buntur, licet errare, falli, decipi, atque mentiri, etiam principes queant.
„ Joannes vero ſucceſſibus elatus, vendi pacem ſanguine melius, quam auro putans, Annus
„ ſingula contemſit. Quod poſtquam Turco relatum eſt. Teſtor, inquit, ſuperos, Chriſti
„ pugnam invitus ineo, nec humanum ſitio ſanguinem, verum quanto nos geſſi- 1448.
„ mus humilius, tanto nobis hora bellorum fortuna ſecundior erit, hortatusque
„ ſuos pro patria, liberis, ac conjugibus, forti animo prælientur, hoc bello finem
„ imponi dicit, quoniam victi duobus certaminibus Hungari, reſtaurare tertium
„ minime poſſint. Numerum ſui exercitus ante oculos ponit, hoſtis paucitatem
„ extenuat, cum eis quoque pugnandum aſſeverat, quorum Germanos in eisdem
„ fere locis ante triennium deleviſſent. Contra Joannes: hodie, commilitones, in-
„ quit, aut violenta Turcorum dominatione liberabimus Europam, aut pro Chri-
„ ſto cadentes martyrio coronabimur. Quis non ei bello libenter interſit, ubi &
„ vincere pulcrum eſt, & vinci beatum. Non morabor vos orationibus, quia
„ virtutem viris verba non addunt; quantusquisque eſt, tantus in acie ſe ſolet
„ oſtendere. Ex remotiſſimis regionibus pugnatum veniſtis, armati ſtabitis adver-
„ ſus inermes, chriſtiani adverſus infideles educetis gladium. Defendite Chri-
„ ſtum hodie veſtris brachiis, & Helleſpontum ultra rejicite Mahumetum. Fata
„ vos chriſtiana religio venerabitur, quamvis ad prædam potius, quam ad bel-
„ la deſcendimus, qui Aſiæ totius hodie reportabimus opes.

„ Sic animatis utrinque militibus initur bellum, quindecim millia Turco-
„ rum, quibus candidæ veſtes erant (1) primo concurſu cæſa feruntur, quorum
„ loco ceteri ſuccedentes atrociſſimum prælium commiſerunt, ac cum Turci mul-
„ titudine, chriſtiani virtute pugnant, tantum ſanguinis funditur, ut torrentis in-
„ ſtar ſub pedibus eorum rivuli cruore decurrerent, ſed occidente ſole prælium
„ nox perobſcura diremit, exercitibus ad jactum ſagittæ ſeparatis, ac tota ſe
„ nocte miſſilium turbine infeſtantibus. Interea non parva Hungarorum manus
„ per tenebras elapſa eſt, quæ ſecuturæ lucis noluit experiri fortunam. Ea res
„ Joanni vires, & animos ademit. Ceterum ubi ſequens dies illuxit, coorta in
„ cuneos Turcorum multitudo tam repente munitiones curruum, quibus imitati Bo-
„ hemos Hungari confidebant, enſibus invaſit, & lanceis, ut nullis poſſet offendi
„ miſſilibus, ſed omnem manibus conſerere pugnam cominus oporteret, ut pes
„ pede, & vir viro premeretur, & ſic multitudine fatigati magis quam victi, in-
„ conſulti certaminis Hungari pœnas dederunt, & Turci victoria ſunt potiti. Teu-
„ tones, atque Bohemi ad unum occubuiſſe narrantur, ex Hungaris circiter tri-
„ ginta millia cæſa, ex Turcis ter totidem, ſed hoc mihi videtur victis unicum
„ ſolamen, ne ſatis victoriam hoſtibus dimiſiſſe credantur; Joannem quidam ſalva-
„ tum, ac montanis nonnullis tueri, quidam inter alios neci datum inter fugien-
„ dum, alii Deſpoti fraude captum adſtruunt, veritas apud tardiores reperietur.
„ Sunt qui dicant arte quadam camelos ingentibus flammis ardentes, in chriſtia-
„ nos ruere viſos, equitatum Joannis perturbaſſe univerſum, nonnulli putant, Hun-
„ garos ducis temeritate ſubactos, qui extra munitiones curruum pugnare vo-
„ luerit, tamquam in munitionibus vinci non poſſet, quod mihi nulla ratione di-
„ ctum videtur; ſunto enim in curribus Hungari, quis Turcos pugnare compelle-
„ ret? nec equites rhedarum curſu, nec pedites circumveniri poſſunt. Ergo ar-
„ bitrium pugnæ in Turcis erat, illi ut ſunt oculati, & aſtu providi, Auguſti
„ cæſaris ſententiæ meminerunt, qui voluntarie prælium ſine prærogativa, &
„ ſpe certa victoriæ committentem, aureo piſcantem hamo comparat, cui certe
„ plus inſtat damni, quam lucri.

„ Cum igitur Joanni pugna neceſſaria videretur, quoniam tantum exerci-
„ tum diu retinere non poterat, extra munitiones præliari oportuit. Ingentibus in-
„ ſuper Turcorum copiis, haud magnum erat, impletis cadaverum foſſis ad cur-
„ rus prolabi, munitionemque diſſipare. Nec enim decem millia hominum Tur-
„ ci magni ducunt in bello relinquere. -- Utcunque ſit, ſuperaſſe Turcos, ceci-
diſſe

(1) Videtur ſui hoc loco oblitus ÆNEAS: nam idipſum in prælio ad Varnam conſerto eveniſſe memorat. Niſi forte tum hunc pugnandi morem Turci habuerint.

Annus Christi 1448. „ disse Hungaros constat. Complures ex baronibus Hungariæ desiderantur. Ajunt, „ qui de magnis majora loquuntur, Joannis exercitum septuaginta millium, Turcorum ducentorum millium exstitisse. Indoctior plebs cœlestia numina redarguit, quæ crucis faverint inimicis, nec in divino conspectu, quid nostra merêantur scelera, pensat. - - - Quid scimus nos, qua mente in Turcos sit itum, quidam stipendia, quidam spolia sequebantur, nonnulli, vel inviti profecti fuerant; alii præter militiam secularem, & inane militis nomen, incorruptibilem gloriæ coronam cum aureis commutaturi calcaribus erant. Wladislaus Poloniæ quondam rex superatis Turcis stabilire in Hungaria, Joannes acquirere, ut rumor est, regnum putabat, & Ladislaum pupillum, & orphanum nobilissimæ indolis regem, paterno, & avito regno spoliare nitebatur. Sed est Domino in altissimis ejus cura, scriptura perhibente. Tibi derelictus est pauper, & orphano Tu eris adjutor. Ceterum si tertio adversus Turcorum perfidiam, jam non Hungariæ solius, sed totius christianæ reipublicæ viribus bellum instauretur, facile Deus nostri misertus, sicut Israelitis tribum Benjamin delere sceleratam dedit; sic & nobis ad internecionem Turcos prosternere dabit Sed hoc efficere tui muneris est. - - atque cæsaris pro communi omnium excubare salute. Ideo supplex oro Deum, ut Te cum cæsare sospitem tueatur, & in adversis fortem præbeat animum, quia valente capite, christiana respublica periclitari non potest. Vale. - - Ex nova Civitate Austriæ VII. Calendas Decembris anno Domini MCCCCXLVIII. „

Hunyiadi haud parum iniqua. In hæc verba Æneas: ex quibus tametsi multa iis, quæ Hunyiades oratorem suum edocuerat, & nos alias narrando complexi sumus, consentanea sint, in plerisque tamen nimium in captandis rumoribus Sylvium fuisse, perspicuum est, ipseque postea, pontificatum, quam adeptus esset, in Europæ historia emendavit. Reticenda tamen non erant, ut quid, cum ipse rebus gestis interfuit, & cum aliena fide scriberet, inter ipsum Æneam interfit, planum faceremus.

Regni ordines, obortas cum Polonis lites, Ceterum optimates prius, quam Segedini conventus solveretur ad litteras Casimiri, qui Wladislao fratri ad Varnam cæso subrogatus erat, responderi oportere censuerunt, ne regnum calamitatibus per sese objectum novis iterum litibus implicaretur. Litium causa a Bohemis, qui ab Elisabethæ temporibus eam Hungariæ partem, quæ Poloniæ secundum Carpaticos montes objicitur, Ladislai postumi nomine tenebant, petebatur, qui factis in Polonorum ditiones crebris incursionibus Hungaros illorum invidiæ objiciebant. Id cum Casimirus rex per litteras Hungariæ optimatibus amice questus esset, hunc in modum summa officiorum significatione rescripserunt. (1)

Serenissime Princeps!

Per litteras complanare nituntur. „ Veteris datæ novas Excellentiæ vestræ litteras nudius tertius accepimus. Positi quippe inter quemdam, ut ita dicamus, fortunarum orbem, quo minus eas hactenus acceperemus, haud magis neglesimus, quam neglecti fuimus. Verum cum post octobris initia, quibus litteræ ipsæ missæ fuerant, hoc demum tempore opportunitatem conveniendi, simulque videndi illas oblatam habuerimus, eo ipso amico, gratoque, quo suscepimus animo, e vestigio dignum respondere duximus. Legimus itaque in eis primo tenorem modestiæ, mansuetudinisque regiæ bene memorem, item commendatam patientiam ob quædam partialia damna, longanimiter tolerata, prætetea quod singularem hæreditariæ benevolentiæ nobis expressit effigiem, & pacifera fratrum nostrorum dominorum prælatorum, & baronum consilia. Hæc profecto, Serenissime Princeps! quam apud nos, utpote pari benevolentia obnoxios non imperata fuerint, quod adversis inquietorum insolentiis apud Majestatem vestram ratione obviam itur,

(1) Joann. DE ZREDNA epist. XLI. sed dolet nobis non integram esse: ex qua motus, quos Bohemi crebrò in Hungaria concitarunt, illustrari haud mediocriter possent.

Annus Christi 1448.

„ itur, non impetu, attamen ampliorem sacræ pacis possidendæ spem ingerit,
„ declaratus ille animus Majestatis vestræ, mansuetudini, & modestiæ, & lon-
„ ganimitati dedicatus, in quibus, recte non sine dono domini, æqua dignitati illi,
„ æqua denique christianæ reipublicæ orientis sui regiminis exordia fixit, ita,
„ ut merito, & indigne omnes, & convicini fideles Serenitatem vestram paci
„ magis, quam armis natam, datamque jure congaudeant. Præsertim dum apud
„ eam in his, quæ ad ferendam occurrentibus rebus provisionem opportuna
„ sunt, consilia velociora feruntur, quam arma. Pari studio Serenissime prin-
„ ceps! & nobis contineri eo usque in animo fuit, eritque, licet plurimorum
„ ex parte illa lacessiti fuerimus injuriis. Nam in omni fere congregatione
„ nostra semper speciali edicto, ac statuto commisimus, ne quid molestiæ fiat
„ ex parte nostra regno illi, cujus non modo fœderatam, sed potius frater-
„ nam pacem, charitatemque hactenus cognovimus. Indignum semper ducen-
„ tes, ob memoriam vetustæ pacis illius adversum privatos insultus publica ar-
„ ma commoveri. Quantum vero ad querelaa de Pancratio, vidimus copiam
„ litterarum suarum, in quibus plus viæ ad accusandum, quam ad excusan-
„ dum spei reliquit. Data Segedini XXI. Decembris, Anno Domini
„ MCCCCXLVIII.

Nuncius a Pontifice missus bellum cum Turcis dissuadet.

Sed optimam hanc procerum, utilissimamque destinationem Bohemi in principio sequentis anni levitate sua corruperunt. Acceptis enim ex Bohemia novis supplementis non modo latius prædas more suo rursus agebant, sed universum pene Scepusium, cum Sarosiensi provincia Hussitarum veneno ita inquinarant; ut necesse fuerit Hunyiadi copias adversum latrocinantes educere, ne mali labes porro vulgaretur. In eo conatu cum est, & adfuit Roma frater Valentinus pænitentiarius, ut vocant apostolicus, quem Nicolaus pontifex cum litteris, & mandatis in Hungariam miserat, ut labefactato regno, quoad posset fieri, consuleret, litterarum hæc fere sententia fuerit: se, cum primum de infelicissimo prælio comperisset, christianorum universe, præcipueque Hungarorum causa animo vehementer consternatum fuisse: frustra tamen Hungaros adversus exteros hostes connisuros esse, nisi positis domesticorum partium studiis inter se se concilia-rentur. Itaque ut id quamprimum facerent, magnopere se auctorem esse; tum obtestari etiam ne Turcis, quoad vulnua semel acceptum, iterumque nova clade exulceratum coalesceret, bellum obmoveant; sua potius, ne quid barbari isthinc decerpant, viriliter tuerentur: venturum aliquando tempus, ut feliciore aliquanto, quam hactenus, fortuna rem acturi essent. Se, cum usus fuerit, & ore, & milite laborantibus subsidio venturum; tantum viderent, ut stabilem cum finitimis, inprimis Bosniæ rege, amicitiam colant, quem, cum audisset litibus cum Despota Rasciæ, ac jurgiis implicari, verendum esse, ne, nisi eas sua auctoritate sopiant, pertracto in societatem Turco, novum Hungariæ bellum immineat.

Comitia propterea regni optimates.

Majoris hæc momenti visa sunt Hunyjadi, quam ut privato judicio de iis constituerit. Itaque per litteras omnium ordinum principes commonefecit, ut Pesthinum calendis juniis coirent; esse res Roma allatas, & gravissimas, & exitu admodum ancipites, quas communiter cum iis conferre vellet. Adsuere ad præstitutum tempus omnes, neque unquam alias tam unanimi consensione res, quæ in medium proponebantur, & regno perutile erant, transacta sunt. Cum vero lecta Nicolai pontificia epistola satis aperte se peti intelligerent, quasi civilea factiones hactenus in causa fuerint, quo minus & sententia manus cum hoste contulissent, nequaquam putaverunt hac se apud sanctissimum patrem sive invidia, seu calumnia laborare diutius oportere; visumque fuit, omnium nomine in hunc modum pontifici respondendum esse. (1)

Bea-

(1) Joann. *de Zredna* Epist. XLIII.

Annus Christi 1449. *Communi sententia Pontifici respondent.*

Beatissime Pater, Domine noster reverendissime!

„ Post humilem nostri recommendationem violatis nuper rebus, fortunis-„ que nostræ non parum adjumenti accessisse putavimus, quandoquidem æquam „ exspectationi nostræ benevolentiam ex parte Sanctitatis vestræ, & metimur, „ & colligimus. Hæc litteris primum, post honorabilis nuncii, patris Valentini „ oratione patefacta, spemque, fiduciamque ingerit, ne suscepto casu belli, „ cum bello simul cadant animi, neve ob fortunæ lapsum labatur pariter & di-„ ligentia surgendi. Multa debuimus apostolicæ fidei, cujus favores plurimos le-„ gimus: item patrocinia, & curam, denique gratiarum copiam, at nunc „ quanto ampliora debebimus, si ejus opitulamine sublevati, collapsis rebus no-„ stris statum reddere poterimus. Sed ad ea, quæ præfatus pater Valentinus „ attulit, quæ quidem tria fuere principalius, de concordia, & unione inter nos „ observanda, cohortatio, admonitioque, item de casu belli nostri alta Beatu-„ dinis vestræ compassio, cum larga, & humana subsidii, & favoris promissio-„ ne ad integrandam rupturam fortunæ nostræ: præterea de facto domini regis „ Bosniæ, protectioni nostræ commendati, ceteraque in identidem grata nobis, „ & placidissima verba. Apta sane, Beatissime Pater! conditioni horum tempo-„ rum hæc ipsa legatio, exspectatæque illius benevolentiæ memor, utpote in „ qua renovantur redivivi favores, fidesque, ac devotio excitatur. Itaque, „ dum inprimis de concordia, & unione suadetur, facile, optateque consenti-„ mus, nempe, quam nos ipsi unam, ac solam, nervum nostræ reipublicæ, ac „ nutricem reputamus. Ceterum de clade suscepta, ubi Beatitudo vestra com-„ patitur, gratias paterno illi pio affectui agimus, habemusque: patimur certe „ angores plus fidei, quam patriæ, quo evenit, ut oblatum illud Sanctitatis ve-„ stræ subsidium magis optare liceat, quam petere, quo, & si non peteretur, „ tantopere jam indigere videmur. Verum ubi Beatitudo vestra consequenter „ in speciali addit, & monet, ut post hanc susceptam cladem, inter fines re-„ gni armorum manus contineamus, hoc quorsum, quove jure satius intelligi „ debeat, non satis compertum habemus, otium enim nobis hic persuaderi vi-„ demus, & utinam! christiana quiete dignum, at verendum restat, ne hoc „ ipsum otium negotii inopia, non requiescendi studium nobis constituat, præ-„ sertim si opportuno subsidio his temporibus destituamur.

„ Otio, paceque frui Beatissime Pater! nobis semper in voto fuit, ve-„ rumtamen illo otio, quod patriæ nostræ verum otium parere posset. Nam & „ hactenus maxime pro tuendis finibus bellandi nobis cura fuit, ut videlicet co-„ minus insultantium hostium largius propulsarentur insidiæ. Unde nunc manus ar-„ morum citra fines continere, quid aliud erit, quam vicinos hostes intra eosdem fi-„ nes viciniores excipere. Equidem vires hostium expertæ nobis ab suscepto in-„ commodo magis sunt, quæ forte nec dum satis notæ fuere, erantque cogni-„ tione dignissimæ. Animo, solicitudine, ope, & opera, opus est, quæ ut „ feracior fiat, plura in id ipsum cogitare, eversa, quam stante fortuna opor-„ tet. Cetera Sanctitatis vestræ judicio committimus, de quibus plura venera-„ bilis dominus Nicolaus decanus orator noster, ex nostra mente bene edo-„ ctus explicare poterit, instabitque apud Sanctitatem vestram, ne omittat „ curam suam de nobis, neve languere patiatur solicitudinem nostram, adver-„ sum hostes fidei, quam nobis præsertim hoc interregno durante, plus neces-„ sitas affert, quam voluntas. Postremo in facto domini regis Bosniæ, diffe-„ rentiam illam, quæ interipsum, & Despotum Rasciæ viget, per viam judicii „ se dare deliberavimus, assistemusque tandem parti, quæ plus juris habitura „ est, prout super his oratoribus ipsarum partium, qui apud nos in hac con-„ gregatione fuerant, certa avisamenta dari fecimus. Super quibus, & aliis „ supra tactis omnibus, præfato patri Valentino, inter nos, & per nos de his „ informato largius, mentem, intentionem, & deliberationem nostram Beati-„ tudini vestræ, commisimus explicandam. Quam altissimus conservet felici-

„ ter

Annus Christi 1449.

„ ter regimini Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum in congregatione nostra Pestiensi, „ XXIV. Mensis Junij Anno Domini MCCCCXLIX.

Sanctitatis vestræ

Devoti
Gubernator, Prælati, Barones,
& Proceres regni Hungariæ.

Despota de concilianda cum Turcis pace, sed fraudulenter agit.

Quibus capitibus controversiæ, quas regis Bosniæ, & Despoti Rasciæ oratores ad regni conventum attulerant, comprehensæ fuerint, nuspiam reperio a scriptoribus proditum: nisi forte limitum, fundorumque causa, inter finitimos jurgiorum quiddam obortum credamus. Illud certius est, haud modicam a Despota per legatos spem, conficiendi cum Turco fœderis regni proceribus oblatam esse: quam rem cum hi nec leviter rejiciendam, nec arripiendam temere crederent, mandata Despotæ dederant, ut exploratis barbarorum animis diligenter videret, quibus conditionibus pax iniri posset, reque comperta id quamprimum significaret, se enim, quod aut nulla, aut sera prorsus a principibus christianis subsidia affutura prospicerent, a fœderibus non abhorrere, modo ne religioni, regno, fideique iniqua, aut parum decora essent. Neque segnius, quam spem prius fecerit, ad conflandam utrinque amicitiam conatus suos in principio Despota adhibuit, fuissetque, quod barbari jam Græcanico imperio totis viribus inhiabant, nonnullum prorsus opere precium relatum, si homo Rascius, & versipellis mentem non mutasset. (1) Veritus enim, ne Hungari, sancita cum Turcis pace, injuriæ illius, quam proregi attulisset, memores totam belli molem in se converterent, ita rem suspicionibus, ac occultis fraudibus intexuit, ut certissimum utrinque bellum metueretur.

Itaque bello ab Hunyiade petitur: obsidemque cogitur restituere.

Hunyiades id, quod reipsa erat, suspicatus, & injuriæ, quam ab eo acceperat, impatiens, hominem cum ob hanc causam, tum ob versatilem præcipue animum severe castigandum censuit, quare comparato celeriter exercitu, ditiones, quas Despota ab Sigismundo olim in Hungaria dono acceperat, invadit, brevique tempore juris rursum Hungarici fecit. Tum in Rasciam infusus eadem clade provinciam affecturus erat, nisi Despota victoris iras veritus, legatos obviam misisset, qui pacem flagitarent. Adduxere secum Ladislaum Joannis filium, quem, cum Senderoviæ captus teneretur, obsidem reliquerat. Filii opera facile pacatus pater, Despotam, condonatis injuriis in amicitiam ea conditione recepit, ut jurejurando fidem faceret, se in optimatum Hungariæ arbitrio deinceps constanter futurum.

Pancratius Hungarorum fidei cum suis se dedit.

Interea per absentiam proregis, Pancratio, a quo Szakolczam, easque ditiones, quæ Moraviæ obtenduntur, præsidio teneri supra retulimus, fere justum cum Australibus bellum exortum est. Nam cum Fridericus Austriam impune, & toties incursari moleste tulisset, velletque suos ab ea latrocinantium turba, immunes præstare, conscripto ex provincialibus exercitu, cui septingentos ex suis equites sociarat, Ulrico Cilejensi mandavit: ut id receptaculum in potestatem redigere conaretur. Is mandatam sibi provinciam naviter curans, urbem obsidione cingit, & oppidum validis tormentis quassatum, omni commeatu intercluſit, spe haud inani ductus, si locum deditione caperet, futurum, ut eo præsidiis communito, prædantium conatus, & rapinarum studia everterentur. Id cum Pancratius non obscure conjiceret, atque rebus suis, si obsidio longius traheretur, etiam diffideret, per occultos nuncios Hunyiadem, in quo esset periculo, edocet, ejus tutelæ, ac fidei non modo urbem, sed se cum suis quoque, quos imperio obnoxios haberet, dicto juramento committit, si pro sua auctori-

 tate

(1) Joann DE ZREDNA Epist. XLIX. in qua Varadiensis Episcopus, sic de ea re ad Pontificem scribit: *quantum vero de parte Teucrorum, durant bella, restantque; nam licet considerata qualitate temporis visum nuper fuerit treugas pacis tractare cum eis, ac suscipere, sed adverso, ut ita dixerim mediatore, hactenus perperam usi, rem infectam retulimus: is etenim mediator, ut dicitur, nostra pace bellum sibi timebat conficere.*

Annus Christi 1449

tate effectum daret, ut Cilejensis obsidionem solveret. Prorex, ne irritatis utrinque ex levi principio animis obstinatum bellum oriretur, litteras ad Ulricum confestim scripsit, quibus pollicebatur, nihil imposterum Austriacis damni ex eo loco illatum iri, qui se Hungarorum fidei sponte commisisset. Oratum itaque velle, ut ab armis temperet, se operam daturum, ut amicitia utrinque instauraretur. His persuasus Cilejensis obsidionem solvit, ac oppidum præsidio militari communitum in Hungarorum deinceps potestate fuit. (1)

Annus Christi 1450.

Pacata Hungaria de liberando e Friderici tutela rege per legatos agitur.

Pacata eum in modum proregis studio Hungaria, ut ab oppressis penitus domesticis factionibus nihil metuendum superesset, neque ab Turcis, aliove hoste extero, qui orientem versus arma ingentibus animis parabant, quidquam periculi immineret, placuit curas, quas ante pactas inducias cum Australibus habuerant, resumere; & Fridericum nova rursus legatione adire, ut Ladislaum, cum corona, cujus anno abhinc spem haud modicam fecerat, in regnum remittere ne gravetur. Legati ab rege accepti sunt liberaliter, sed variis, incertisque responsis, tum clandestinis Palatinalium machinationibus, ita circumducti, ut re, cujus causa venissent, penitus infecta redire maluerint, quam nullo operæ pretio se, dignitatemque suam diutius prodigere. Quæ res non modo exulceratos alioquin Australium animos magis in Fridericum concitarat, sed Hungaros etiam illo compulit, ut coacto Pestinum regni conventu serio deliberarent, qua via Ladislaus ex specioso illo Friderici carcere tandem liberandus esset. Post multa, quæ huc facere videbantur, in medium prolata consilia, illud plerisque optimum factu est visum, ut suum pontificem per litteras, convenirent, orarentque, vellet interposita auctoritate sua cæsarem hortari, ne porro se Hungaris in eo, quod petebant, durum, & inexorabilem præberet, quando hæc una fere via esset, qua regnum tot casibus jactatum pristinæ tranquillitati, felicitatique restitui possit. Litterarum hæc sententia fuit. (2)

Beatissime Pater!

Quorum opera ubi frustranea fuit, proceres opem Pontificis implorant.

„ Evocati necessitate publica, ac simul opportunitate curandi status communis, his diebus anniversariam, ab instituto, conventionem egimus, revolventes plurimam rerum copiam, quam conservandæ patriæ gratia, hoc tempore nostræ rationes expostulant. Quo intenti, dum figere modum, ordinemque rebus gerendis paramus statuere, subeunt curæ aliæ post alias, dum regni arcem, & sedem orbas conspicimus sine capite, sine rectore, cui jus retinendæ Majestatis aptius incumberet, apud quem beneficii, gratiæque locus, item juris dandi modus stabilis esset. Dediti eo mentes cum oculis fuere, ut variis voluntatibus submotis, regem omnes mallemus, lumen rebus dubiis futurum, præsidiumque afflictæ rei. Ita demum Patriam quietam fore, ita æquitas leges arbitrari, si eo auctore sua quisque jura, ordo suam Majestatem teneret. Nam hactenus in eo ordine, parum grata fortuna nostra, constitimus, in quo dimicare non magis cum hostibus, quam cum molestiis sociorum opus fuit, adeo certe, ut ferendi remedii, & perferendæ turbationis difficultas plerumque in æquo esset.

„ Quorsum hæc, Beatissime Pater! novit equidem clare Beatitudo vestra, quanto jam tempore dissimulare cogimur ægritudinem nostram, quæ rebus, cordibusque nostris quotidiana se impressione subducit, fota, & enutrita ea injuria, in qua cum detentione, ut ita dicamus, personæ incliti Domini, electi regis nostri, nostrum quoque honorem captivum pati cogimur. Mediavit in hac re Apostolicæ Sedis & Sanctitatis vestræ legatus, suique, item aliorum plurium labores exacti, ut apud Dominum Romanorum regem, æquabilem aliquam tanti vinculi absolutionem statuerent, in quo nobis prona mens semper fuit, omnes æquas, possibilesque conditiones pacis excipere, quippe hoc incommodo in irritum cadentis spei præter jus, & fas amplius torqueremur,

verum

(1) GERARD DE ROO. Histo. Austra. Lib. V. (2) Joann. DE ZREDNA Epist. LXVII.

„ verum quid exinde secutum sit, fata varie, hactenus hinc inde certamina indicant, in quibus nihil necessitati nostræ æquum, nihil frugiferum, sed vocis, verborumque, quantum volumus, mediatores nostri ingerunt, referuntque, ita, ut nec certam pacem, nec bellum ex eis plerumque conjicere valeamus. Videmus tamen evidenter, tentari magno studio patientiam nostram, tentamque contemni, quandoquidem Ipse Dominus rex Romanorum, quotidiana fere arma finibus nostris circumferre jubens, post jura læsa, ac Majestatem regni nostri oppressam, animos etiam comprimere parat, parum pensi habens, ex incommodo alieno suam occasionem peti. Annus Christi 1450.

Transivimus hactenus, Beatissime Pater! hæc & alia conniventibus oculis, spectatoresque magis quam ultores tantarum indignitatum eo usque videri maluimus, rati, fera etiam, modo sint vera remedia, non aspernanda. Sed quoniam nec tot laboribus, & neque incommoditatibus nostris, quæ nobis propter vacans regale solium, undequaque dietim proruunt, immo, ut apertius dicamus, nec jure nec injuria præfatus Dominus rex Romanorum moveri potuit, ut vel paulisper cederet proposito suo, utque vel nunc præfati Domini, electi regis nostri, & in ipso omnium nostrorum libertati, sua tempora indulgeret, utpote, ad quem diutius retinendum, parum plus juris quidquam præter vim, & velle, habere videtur. Idcirco ne confessionem cedentis pars altera sibi pro victoria ducat, non abs re visum est, in eo facto novam, & superabundantem instantiam altiori præconio iterare. Existimantes autem, uti & in vero est, nec salubriorem interpretem juris, vel injuriarum nostrarum, & neque magis fidum, magisque veracem arbitrum concordiæ, ac pacis nostræ communis, extra sanctam Apostolicam Sedem reperiri posse, opportune placuit, & in hoc ad ejus media, ac præsidia recurrere, fortasse vel eo ordine, eoque pacto, præfatus Romanorum rex, tantis laboribus nostris exsatiatum se sentiens, saltem aliquando nexus, ac vincula tantarum injuriarum si non scindere, utinam dissuere patiatur.

„ Quamobrem humiliter supplicamus Beatitudinem vestram, quatenus rem istam, differentiamque, item cetera omnia, quæ exinde secuta, secuturaque videntur, attentius ante oculos Apostolicæ providentiæ ponat. Nobis quidem nihil digni objectum iri credimus, in quo parti alteri juste quidquam debeamus, nisi forte si sibi inferendi, nobis vero perferendi injurias jus indici velit, quo contra ab illinc prius vis, & arma illata, ab illinc denique ædibus faces injectæ, & super hæc cetera nonnulla alia aliis cumulata. Tria tamen potiora inter tot nunc prosequenda manucepimus, in quibus, ut præfati sumus, Sanctitatis vestræ curam, & præsidia invocamus. Primum de Domino electo rege nostro, item metis, & juribus regni, præterea de captivitate indigna magnifici Palatini nostri. In his, Pater Beatissime! quamvis factu optimum esset, si beatitudo vestra facta partium cognosceret, iras expediret, rursumque eas in gratiam restitueret: quia tamen toties tentata res ista parum hactenus præmium laboribus detulit, visum non fuit, ut Sanctitatem vestram in hoc, aliquo alto labori implicari fineremus; opus est solum, idque tantum nunc a vestra Beatitudine obtinere cupimus, ut Sanctitas vestra, super illa omnia, quæ in re, differentiaque ipsa, eo usque acta, digestaque sunt, velit adhuc ex abundanti instantia nostra, vel per litteras Apostolicas, vel oratorem ad hoc idoneum, præfatum Dominum regem Romanorum commonere, & inducere, ad idque regem dirigere, ut vel nunc cedat juri, ac voto nostro, justoque debito suo, utque inprimis præfatum Dominum nostrum, electum regem libertati, dignitatique suæ restituat, qui dono Domini jam in eam ætatem propediem concessurus est, ut habere potius, quam sperare regnum mallet, quodque de integrandis metis regni, ac de libertate præfati Domini Palatini æquas, jure nostro, conditiones non refugiat.

„ Hæc sane erunt, quæ ad pacificendam viam, & modum præstare possunt, in quibus, si spes destituat, alia præsidia moliri opus erit: &, ut Beatitu-

Annus Christi 1450.

„ tudo vestra de his, quæ verisimiliter futura sunt, avisata existat, verendum est, „ ne forte in casu, quo hæc differentia diutius perduraverit, provocata tanto „ contemtu læsorum corda, ipsius differentiæ cruentum humano sanguine finem „ vel pati, vel statuere properabunt. Ad quod decernendum nos quidem, si- „ cuti hactenus, ita & deinceps in persuadendo, vel admittendo præcipites non „ erimus, verum tamen accidere potest, ut contemtus commoveat animos, ubi „ læsis in jure parum præsidii videbitur. Acceleret igitur Beatitudo vestra pro- „ visionem opportunam, ad submovendum talem hunc indignum christianorum „ rebus eventum, cui post Deum sola mederi potest. Nec reputet nos, res in- „ juriasque nostras æquo gravius extulisse, in quibus, si negligentiores fuerimus, „ non solum parum consuluisse, sed potius statui nostro invidisse videremur. Re- „ committimus nos pedibus Sanctitatis vestræ, quam altissimus conservet felici- „ ter regimini ecclesiæ suæ sanctæ. Datum in congregatione nostra Pestiensi, „ XV. die mensis Junii, anno Domini MCCCCL. „

Illius opera induciæ confirmantur.

Credibile est pontificem, cognita ex litteris causa Fridericum, ut erat hujus honoris studiosissimus, paterne commonefecisse, ne ea in re cum ob universam rempublicam christianam, tum Hungariæ noxiam órbitatem regni optimatibus refragaretur: istumque, quod jam tum de romano itinere ad sumendam imperii coronam destinationem animo suo cepisset, aliquanto, quam alias, faciliorem se se Hungaris præbuisse. Nam mense octobri, oratores suos Posonium, quo Hungariæ proceres conventuros fama erat, legavit, additis mandatis, ut quantum citra honoris sui jacturam possent, resectis, aut complanatis litium capitibus, stabilem cum Hungaris pacem conciliarent. Magna primum utrinque animorum contentione res agi cœpta est, quod Hungari quæcumque per litteras a pontifice petiissent, ad amussim expleta vellent; Australes contra nihil eorum in principio se concessuros præferrent, quoad collatis inter paucos consiliis in hæc capita utrinque conventum esset, Ladislaum de Gara Palatinum in libertatem dimissum iri: oppidorum vero, quæ Fridericus in Hungaria possideret, arbitrium penes Romanorum regem futurum, donec rationes pignoris ad liquidum datis arbitris diluerentur. Denique Ladislaum regem quoad pupillares annos cum prætexta posuisset, Viennæ sub Friderici tutela mansurum, quo facilius non modo ab Hungaris, sed Bohemis quoque, & Australibus, quorum legitimus sit dominus, adiri posset. (1)

Sancita his conditionibus pace, quies tantisper restitui visa est, at paulum post novo cæsaris, atque insolito facinore, ut postea narrabitur, interrupta. Ceterum, quod de Palatini captivitate memoratum est, haud satis scio, quam in partem accipi debeat; quod induciis biennalibus, quas in Rakelspurgo conciliatas perhibuimus, diserte utrisque convenerit, quamdiu Joannem de Gara, Ladislai necessarium, in arce Græcensi obsidem haberet, tamdiu hunc liberum fore; nisi forte, aut obses contra datam fidem inobservatus evaserit, aut Palatinus fraude, doloque Friderici denuo interceptus sit. Sed de his malim, ut alii existiment, quam ut aliquid, quod cæsaris honori parum, aut æquum, aut decorum sit, memoriæ prodam.

Ad Bohemos, qui regem itidem repetebant.

Hungarorum exemplo Bohemi quoque exciti Ladislaum regem in anni exitu per legatos repetebant. Præerat his Georgius Podiebradius, eadem, qua Hunyiades apud Hungaros, honoris, dignitatisque prærogativa, qui cum frustra-

(1) HASELBACH scriptor coævus apud PEZIUM Tom. II. col. 693. ad annum 1450. & diem Simoni, & Judæ Apostolis sacrum, ita scribit: *Habita est Dieta cum Hungaris Posonii: ibique, cum Hungari petivissent sibi tradi regem Ladislaum ad regnum, cum ipsius corona, reddi castra, quæ Fridericus III. Dux Austriæ per suos occupavit, ab eodem pariter Ladislaum Palatinum usque detentum, pristinæ restitui libertati: tertio obtento, de primis grandis se ingessit disputatio. Resederunt tamen finaliter in hac sententia: quod Ladislaum regem rex Romanorum vel ad Viennam sub tutela constitueret, ut omnibus suis regnis, & dominiis liber aditus pateret, in quo omnes resederunt.*

frustraneam legatorum suorum operam fuisse videret, comitia Pragam indixerat, in quibus, quis demum rebus modus ponendus esset, consultaretur. Fridericus cognito Bohemorum studio, ne quid aut pupilli juribus noceret, aut illi novas res cum dispendio reipublicæ molirentur, suos itidem legatos Pragam misit, qui Bohemos meliora edoctos ad quietem componerent. Legationis caput Aeneam Sylvium fuisse, ipse de se se fatetur, cujus verbis quo eventu ea legatio obita sit, operæ precium est commemorare. (1) *Ad Bohemos, inquit, qui ea de re conventum Pragæ habituri erant, ac ferocius agere videbantur, regem alium electuri, nisi mos eis gereretur, legatos mittere placuit, quibus & nos additi sumus. Provinciales, quibus, apud Pragam dies statuta fuerat, grassante illic peste, in Beniscovia convenere, quos in frequenti conventu præsidente Georgio Podiebradio in hunc modum allocuti sumus. Petivistis ex cæsare viri Bohemi Ladislaum regis quondam vestri filium ad vos mitti: idem Hungari, idem Australes importunis precibus exigunt. Si vobis mos geritur, illos offendere necesse est, si preces aliorum audiantur, contemnere vestras oportet. Si necessarium sit alterum ex duobus, vestram amicitiam præferet Imperator. Vetus est enim majorum suorum cum Bohemica gente fœdus, & acceptorum ultro citroque beneficiorum memoria recens. Sin virtus, claritasque pensitanda sit, quis Bohemico nomini non invideat? cujus victorias tempestate nostra plures numerare lic t, quam reliquæ gentes omnibus sæculis comparare potuerunt. Verum cæsari hoc tempore in hanc electionem descendere haudquaquam necessarium videtur, quando ea pueri ætas est, quæ neque vobis, neque Hungaris usui esse possit. Esto veniat in Bohemiam Ladislaus; quod inde regno emolumentum cedet? adversus hostes copias ducet? belli, pacisque munia obibit? nihil horum præstare potest, cui recte tutela opus est. Illud inprimis ejus adventus faciet; regis pompa ducenda est, ornanda regia, adhibendi ministri, curia more progenitorum apparanda. Ad hæc grandi pecunia opus. Vobis nullum ærarium esse audio, nullos census, nulla vectigalia publica. Ad vestras opes recurrendum, vos præstare sumtus, vos regem alere, vos inexplebilem curiam, & insatiabiles ministros explere oportebit. Video præterea inter vos non paucos esse proceres, consilio, authoritate, atque opibus pene esse pares. Cura regis uni committenda erit, non omnibus. Ille Dominus, ille rex vester judicabitur, qui regis corpus in potestate habebit. Et quis vestrum est, qui non eum honorem sibi, quam alteri malit? Semina inter vos discordiarum petitis, nisi prius in unum conveneritis, qui regis curæ præsit. Vos his incommodis Fridericus liberat, qui suo sumtu pupillum regium gubernans, dissensionum vobis fomitem aufert. Nec vos latet, quandoquidem tenera regis ætas est, corpus ejus in potestate cæsaris rectius esse, quam in alterius cujuspiam. Ille enim consanguineus est, ex eadem familia natus, & imperator. Et quis pupillo regi convenientior tutor detur, quam princeps principum? Si sit inter vos, & Hungaros contentio coram extraneo judice de custodia corporis regis, par causa vestra, atque illorum judicabitur, utrique regem petitis, utrique fidelitatis documenta præstabitis; verum in hoc illi superiores erunt, quia natum apud se regem, coronatumque dicent. Apud cæsarem vestra causa longe justior est, quam Hungarorum, se ipsum tamen in cura patruelis vobis præfert. Curate regnum, pupillum sibi dimittite, quem, postquam pubes fuerit, vobis inprimis credet. Quod vero oratores vestri dixere, alium regem accersendum a vobis esse, id magis terroris incutiendi causa dictum imperator existimat, quam quod animo vestro ea sententia sedeat. Neque enim vestra fides incorrupta prius hoc repromittit, neque progenitorum Ladislai in vos collata beneficia hoc exigunt, nec innocens ejus ætas quidquam demeruit. Ceterum volvite animo prius, ut sapientes decet, quemnam Ladislao præferre possitis, cujus sanguinem, si matris originem memoria tenetis, quatuor Romanorum imperatores produxere; si paternam prosapiam exquiritis, quinquies imperatoria dignitas in Australi domo resedit. Obscuritatem quærat necesse est, cui tanta claritas non satisfacit. Addite potentiam, amicitiam, clientelas. Austriam vobis vicinam possidet, Moravia, Silesia illi paret, Hungari, etsi res novas moliri videantur, ab officio tamen non recedent, imperator, a quo regnum vestrum dependet, sanguini suo non deerit,* *nec*

Annus Christi 1450.

Aeneas Sylvius legatus mittitur.

(1) In Hist. Bohemica, cap. LIX.

Annus Christi 1450.

nec jus familiæ ſuæ negliget. Bajoariæ, Saxoniæque duces, marchionesque Brandeburgenſes, & omnes ferme Germaniæ principes, Ladislaum propinqua neceſſitudine attingunt, non poteſt hic pupillus offendi, niſi & tota Germania lædatur. Hæc ſuperflue vobis commemorare non ambigo, verum ita juſſit imperator. Ille in Italiam pupillum ſecum adducet, reductum, puberemque factum, ſi perſiteritis in fide, ad vos primum mittet. Vos interea pro gravitate, integritateque veſtra, quod in rem Bohemici regni, pupillique ſit, conſul re admonet.

Accepta eſt cum ingenti favore Sylvii oratio, habitæque Friderico gratiæ, quod eam Bohemorum curam hactenus egiſſet; precari ſe, ut Romana profectio ei felix, fortunataque eveniret, primarios ex nobilitate juvenes quoque miſſum iri, qui eum Italiam petentem, officiorum cauſa ſequantur, & ab obſequio eſſent; manſuros ſe interea in fide, & reditum cæſaris avide exſpectaturos.

Annus Christi 1451.

Quibus pacatis de Romano itinere Fridericus conſilia init.

Fridericus ubi res Bohemorum quietas intellexit, & Hungaros ſancitis priore anno induciis in officio permanſuros ſperabat, animum ad iter Romanum, & ſponſam, quæ illi ex Luſitania Talamonem in Italiam advehenda erat, ſolerter intendit. Quæ res quantas turbas poſtea conciverit, ſuo loco dicetur. Extracto pene toto anno in conficiendis apparatibus, proximoque autumno oratores elegit, Aeneam Sylvium, tum præter Potendorfium, & Volchenſtorfium Auſtrales, Michaelem quoque, Fullendorfium, qui in Italiam præirent, ac publicam principum, urbiumque fidem, itineri neceſſariam expoſcerent; nunciarentque, ſe ad divi Martini diem Italiam ingreſſurum. Tum ad Germaniæ principes, quos ſibi viæ comites optaverat, ſcribit, ut tempori adeſſe vellent. Civitatibus quoque, ut ex more legatos ſuos mitterent, imperat. Re per provincias didita, incredibile dictu eſt, quibus ſtudiis finitimæ gentes ad comitandum cæſarem, viſendamque Italiam exarſerint, quas ille, promiſſo viritim ſtipendio, libenter, atque liberaliter accepit. Bohemosque cum Auſtralibus in Auſtria, Hungaros, & Bavaros Vilaci in Carinthia, Suevos, Rhenenſes, Francones, & Saxones, Ferariæ ſibi præſtolari juſſit. Videbatur ex tam auſpicatis initiis, felix, fauſtumque iter futurum, cum repente paucorum conſilio, quidquid hujus felicitatis erat, interceptum eſt. Ubi enim certa fama percrebuit, Ladislaum quoque poſtumum viæ ſocium futurum. Auſtrales partim veriti, ne tenero adoleſcenti tam longinquum iter quidquam mali afferret, partim data ſibi a Friderico verba, qui ſe regem Viennæ relicturum ſpoponderat, palam conqueſti, capita clam conferre, & concita factione, id periculum ab Ladislao amoliri conabantur. Factions caput Ulricus Eyczingerus erat, homo, quamquam ingenuis, obſcuris tamen parentibus, in Bavaria natus, qui ſub Alberto Hungariæ rege ingenio, conſiliis, fide, & conſtantia tantum brevi invaluerat, ut accumulatis ſenſim fortunis, divitiisque, inter Auſtriæ proceres pene primus haberetur. Hic cum alias ob cauſas, tum præcipue, quod nuperrime in coemendo caſtro, quod vulgus de lapide timoris appellat, minus faventem ſibi habuiſſet, Friderico infenſus, & illata, ut putabat, injuria irritatus, præcipuos quosque in factionis ſocietatem ſenſim adſcivit. (1)

Ingens finitimarum gentium ad id iter concurſatio.

Ladislaus puer viæ ſocius a Friderico legitur.

Hinc conjurationis Auſtralium origo in Fridericum.

Commodum illi cum Lichtenſteiniis limitum cauſa lites obortæ ſunt. Itaque hos, aliosque magni nominis viros Meilpergum, eſt is locus trans Danubium inter Auſtriæ, Moraviæque fines, per litteras invitat, ut ne venire gravenntur, cupere ſe quidquid id jurgiorum fuiſſet, aliorum judicio, & redintegrata amicitia ad finem adducere. Adſuere plerique, quos nominatim per nuncios convenerat, ac lite compoſita liberaliter aliquot dies habuerat. Tum captatis de induſtria ſermonibus ſenſim ad Fridericum delapſus, illius regendi morem carpere, deteſtari avaritiam, &, quod caput erat, de injuriis Ladislao poſtumo illatis graviter queri. Hic loquendi campum nactus, & ab teſtamento Alberti regis, quo filium curæ provincialium commiſiſſet educandum, prolixe orſus, illiberaliter in Romanorum regem invebebatur, qui ſanguinis jure, & ultima Alberti voluntate per ſummum nefas contemtis, ſe ſe tutorem pupilli omnium in

Eyczingerus conjurationis primipilus.

(1) AENEAS SYLVIUS in rebus Friderici III. Tom II. annalect. Bibl. Vindob. CL. KOLLARII.

gratiis

gratis fecisset. Conniveri tamen in his posse, nisi provinciarum vectigalia ad Fridericum deferrentur, quibus ille ad struenda Neostadii, & Græcii ædificia, tum ad ditandos clientes suos male uteretur; eum sibi, suisque ex Austriaco auro omnia comparare, puerum contra nobilissimum, cujus hæc bona essent, neque vestiri, neque, ut regem deceret, educari. Nunc adeo tenerum adolescentem instante hieme in Italiam, extraque regna sua non duci, sed rapi; quo, quid aliud quæreret, quam mortem illi prudens, volensque conscire, ut avarissimus homo pupilli patrimonio potiatur. Quæ cum contra datam toties fidem patrarentur, liberos omnes ab ejus dominatu videri. Auderent tantum, si viri essent, jugum excutere, affuturos non modo Australes, sed Hungaros etiam, ac Bohemos, qui in deferendis Ladislao studiis nulli concederent. Auditus est Eyczingerus magna omnium approbatione, dataque mutuo fides est, non quieturos se prius quam Friderico Austriæ dominatus, in quem dolo, fraudeque irrepsisset auferretur. Erat dum Fridericus Neostadii, jamque in procinctu etiam itineris, cum quatuor viri, ex Eyczingeri conciliabulo advenere, petitaque, & accepta loquendi venia, in hanc sententiam coram eo verba fecere. (1) *Terræ Austriæ, inquiebant, proceres de rebus privatis trans Danubium novissime simul babnisse conventum. Inter loquendum autem etiam de patriæ regimine, deque suo dominio sermocinatos esse, neque visum eis fuisse, aut Austriæ, aut dominii sui negotia bene disponi, cujus bona partim distracta, partim pignori essent inscripta. Venisse in mentem ipsorum Alberti testamentum, quod de gubernatione filii posthumi dimisisset: examinasse diligenter, quibus modis ad tutelam cæsar fuisset admissus, & quæ terrigenis ipse promisisset, utque duodecim consilio delectos viros ad regimen communis terræ cæsar callide destituisset. Insuper, ut terrigenis, qui apud novum Triticiburgum pridem congregati fuerant, placuisset regem Ladislaum apud Viennam in patria sede teneri, idque petitum ex Friderico fuisset. Sic enim libentins, & animosius populi adversus invasiones patriæ arma capesserent, similiter, & alios Ladislai subditos petivisse pro communi regnorum pace. Nunc ergo cum menti cæsareæ sedeat, omnino Romam petere, cumque gubernatio terræ Austriæ sine consilio, & scitu provincialium ordinata sit, orare cæsarem, ut regem, & dominum eorum ad possessionem Austriæ, paternamque domum remitteret, quodque in ejus gubernatione patriam voluntatem servari sineret. Sic enim regnis, & dominiis Ladislai bene consultum iri, diversarumque calamitatum vitari posse dispendia. Quod si cæsar præter eorum opinionem id negaret, tunc eos pro jure naturæ, ac pro debito, quo domino tenerentur, id relaturos ad proximos consanguineos Ladislai, & ad ceteros ejus subditos, illosque pro consilio, auxilioque requisituros, neque cessaturos, donec suum principem ad hæreditatem paternam restitutum viderent.*

Legatorum a factiosis missorum ad Fridericum oratio. Annus Christi. 1451.

Hæc nuncii ab Eyczingero missi. Visa est cæsari arrogans, plenaque temeritatis oratio, & nisi in tempore factiosis obviam iretur, videbat eodem malo omnem provinciam brevi correptum iri. Neque tamen, quod toto animo Romam, & nuptiales thalamos complexus esset, severius in conjuratos animadvertere visum fuit. Itaque responderi hominibus in hunc modum jussit. (2) *Quæ dicta ab eis essent, cæsarem plene intellexisse, miratumque esse, talia eos petere, qui se tutorem Ladislai, gubernatoremque ducatus Austriæ secundum terræ consuetudinem non ignorarent; quippe cum ceteris Australibus Alberti testamentum veluti cassum sibi tradidissent, seque unanimi voto pro tutore pueri, gubernatoreque principatus accepissent. Neque latere ipsos reginam Elisabeth puerum cæsari cum sacra regni Hungariæ corona, tamquam tutori, & proximo consanguineo, seniorique domus Austriæ principi tradidisse nutriendum; quem ipse in hunc usque diem bene, & pudice educasset, neque secus in futurum esset facturus. Nihil modo esse, cur refutati testamenti facerent mentionem, neque id habere rationem, quia regem Viennæ teneri peterent, qui nossent, sæpe ante id temporis nunc Bohemos, nunc Hungaros eum ad se, non ad Viennam mitti petivisse. Australes autem semper consuluisse, ne ante pubertatis annos*

Cæsaris responsa.

(1) Idem ibidem.

(2) Idem ibidem.

Annus Christi 1451.

nos extra cæsaris manum puer daretur, ne regna inter se se, dominiaque pro illo apud se tenendo contenderent. Timoris eandem adbuc durare causam. Nam si puer rectore indigens, ignarus regiminis Viennam mittatur, suo ex arbitrio victurus, haud dubium, quin subditi ejus de regimine impuberis inter se litigent, conventionesque moveant, & regnis, & pupillo noxias. Petitionem igitur eorum alienam videri a bono publico, neque tantum negotium sine communi deliberatione suorum, & Ladislai consanguineorum, & subditorum aggrediendum. Ad quam rem accincto jam itineri ad Italiam cæsari nunc otium non patere; sperare autem, brevi se rediturum, tumque consilia quæsiturum, facturumque omnia, quæ utriusque partis amici, subditique pro bono pupilli, ac terrarum consulerent. Interim bortari eos, ut favoribus, & auxiliis assisterent bis, quibus Austria commissa esset regenda, fidemque datam tenerent.

Cui in Styriam profecto factiosi respondent.

Cæsar dato in hunc modum responso haud diutius morandum sibi ratus, quamquam multi ei auctores essent, ut conspirationem suo Viennam reditu opprimeret, compositis sarcinis in Styriam ducto secum Ladislao profectus est. Australes ubi id ex certis nunciis comperissent, rursus trans Danubium in villa, cui Vulder nomen est, conveniunt, ibique cognito cæsaris responso in hæc verba rescribunt. (1) *Intellexisse se, quæ sit, mens cæsaris: conventuros brevi Austriæ terrigenas, ad eos velle cæsaris scripta referre, indeque latius respondere. Illud autem non posse non admirari, quod petitus per eos ad Viennam mitti Ladislaus, in Styriam sit reductus. Petere iterum suum principem, servituros se magna fide cæsari, suis precibus annuenti.*

Hunyiades in Giscram movet,

Hæc inter Bohemi novas rursus res moliti haud procul Losoncio constructis militari industria operibus finitimas provincias infestis signis percursabant, lateque metum, & damna circumferebant: quæ res cum ipsa frequentia accolis permolesta esset, & Hunyiades præterea vereretur, ne mali labes ad reliquos quoque Bohemos, qui multa in limitibus regni oppida in potestatem redegerant, sensim spargeretur, proceribus, qui in finitimis isthic provinciis amplissima patrimonia babebant, militem ut cogerent, secumque in hostem proficiscerentur, imperavit. Nusquam alias tam obsequentes babuit: ex quo spes plerisque oborta, molestum ipsa diuturnitate hostem penitus excisum iri. Sed aliter res perfidia paucorum, qui gubernatoris dominationem haud æquis oculis intuebantur, accidit, pacto inter se prius fœdere, se, ut potentiam Hunyiadis attenuarent, aut malevolorum etiam criminationi objicerent, cum primum occasio se se daret, prælium detrectaturos. Ita prorsus inita consilia ipso eventu patuere. Ut enim Bohemorum latibula exercitu cinxerat, acrique cura obsidionem adeo premeret, ut deditionem facturi propediem viderentur, Giscra, cognito suorum periculo, & ab conjuratis admonitus, repente cum subsidiis advolavit, Hungarosque nihil tale veritos, intempesta nocte aggressus facile fundit, præsertim, quod conjurati simulato metu socios bosti, & periculo destituissent. Multi optimatum nocturna ea aggressione ceciderunt: inter quos Stephanus Pelsöcius prius diem, quam extremum ageret, conjurationis indicium fecit. Hunyiades castris, ac impedimentis exutus reparato brevi exercitu Rozgoniorum imprimis opera, (2) hostem rursum aggressus captis plurimis oppidis, Giscram, ut pacem complecteretur, coegit; (3) quæ quo diuturnior esset, neque quidquam, si cum Friderico cæsare bellum Ladislai causa oboriretur, impedimenti, aut obicis afferret, placuit Hunyiadi, ut habito cum Bohemis in Rimatszambath colloquio, belli impendia, quæ fecissent, certam auri summam pactus, se Giscræ persoluturum reciperet. Fidei vadimonium aliquanto post tempore Hungariæ optimates publicis litteris in hæc verba præstiterunt. (4) *Nos Prælati, Barones, & Nobiles regni Hungariæ ad universorum notitiam borum serie volumus pervenire, quod quia magnificus dominus Joannes de Hunyiad, regni Hungariæ gubernator, cum magnifico domino Joanne Giscra pro perpetua pace bujus regni Hungariæ quasdam dispositiones*

Sed suorum perfidia proditus, victusque, pacem cum eo facit.

Pensa pecuniæ summa, cujus vadimonium pro-

(1) Idem ibidem.
(2) Patet id ex diplomate Rozgoniis dato quod ad annum 1453. annalibus integrum inseremus.
(3) BONF. Dec. III. Lib. VII.
(4) Communicavit id mecum CL. STEPHA-

tiones, ordinationes, & amicabilem compoſitionem pridem in oppido Rimatſzambatba fecerat, & ordinaverat, exindeque certæ ſolutiones ejusmodi ſummæ florenorum auri eidem domino Joanni Giſcræ per præfatum dominum Gubernatorem ſub certis conditionibus, & terminis fiendæ, ſicuti in litteris eorundem compromiſſionalibus clarius continetur, ſubſequi & perfici debebant, ut qualitercunque, & per quemcunque modum eadem ſumma florenorum hucuſque ſit prorogata, tamen nos certis reſpectibus, & ſpecialiter pro ulteriori pace harum partium, matura inter nos deliberatione præhabita, ut diſpoſitio, & compoſitio inter præfatos dominos Gubernatorem, & Joannem Giſcra, facta, & ordinata firma, & perpetua remaneat, defectum, & reſiduum illius ſummæ florenorum, quam idem dominus Gubernator ſecundum præfatam ſuam inſcriptionem adhuc dare tenetur, eidem Joanni Giſcra ſupplere, & integraliter perficere cupientes, promittimus, & nos realiter tamquam veros debitores obligamus eidem domino Joanni Giſcra decem millia, & ſexingentos florenos auri, in terminis, & diebus infraſcriptis dare, & perſolvere. Primo videlicet, jam in continenti florenos auri Hungaricales, (1) duo millia, item duplicatum lucrum cameræ de terra Scepuſienſi, (2) ubi alias id conſuetum fuit exigi etiam bis diebus, ſimul, & ſemel, per noſtros familiares in præſentia ſuorum hominum, ad exigendum transmitti, & ſic exactum, quantum perveniet eidem domino Joanni ad dictorum decem millium, & ſexingentorum florenorum auri ſummam præſentandi, & demum ad feſtum Epiphaniarum Domini nunc proxime affuturum, ſimiliter duo millia florenorum auri Hungaricalium præfatorum, reſiduum vero, videlicet plenariam exſolutionem dictorum decem millium, & ſexingentorum florenorum auri ejusdem monetæ Hungaricæ in feſto purificationis Virginis illibatæ Mariæ nunc ſimiliter inſtantis, ſemper, quemlibet terminum, & diem ſine ulla retardatione obſervandi & in medio conſilii civitatis caſſa eidem domino Joanni Giſcra deponendi, & præſentandi, ita, quod etiam præfatus Joannes Giſcra nobis ſuper qualibet ſolutione in terminis præmiſſis ibi fienda quittam porrigere, & adminiſtrare teneatur. Quæ præmiſſa, & præmiſſorum ſingula nos nunc prædicti, non coacti, nec compulſi, ſed matura deliberatione promittimus, ſpondemus, & pollicemur, præfatam decem millium, & ſexingentorum florenorum auri plenariam ſolutionem in terminis ſupra dictis integre, rate, firme, & inconcuſſe obſervare, eosdemque perſolvere, ſine fraude, ſcrupulo, & macula, manu conjuncta, indiviſa. Caſu vero, quod Deus avertat, per hanc noſtram promiſſionem jam expreſſatam, quoad omnes articulos, clauſulas, & puncta tam in uno, quam in alio non obſervaremus, aut ſervare non vellemus, ex tunc dicto domino Joanni Giſcra, aut illi, vel illis, qui præſentes noſtras litteras obligatorias habuerit, vel habuerint, plenariam dictorum decem millium, & ſexingentorum florenorum auri ſummam a nobis exigendi, bonaque noſtra, & poſſeſſiones in cunctis locis, & ubicunque repertæ fuerint, arreſtandi, & occupandi damus, & concedimus poteſtatem, occupataque tamdiu per ſe obſervare, quoadusque eidem domino Joanni Giſcra, aut ſuis hominibus plenaria ſolutio ſupra dictorum decem millium, & ſexingentorum florenorum auri Hungaricalium exhibeatur.

Annus Christi 1451

ceres recipiunt.

Giſcra viciſſim pacem bona ſe fide ſervaturum, ſi proceres conditionibus ſteterint, ac judicio, ubi controverſia oboriretur, ad Hungarorum normam ſtaturum, edito diplomate pollicitus eſt. (3)

Giſcra viciſſim ab injuriis ſe temperaturum fidem per litteras facit.

Nos Joannes Giſcra de Brandis, memoriæ commendamus ſignificantes, quibus expedit univerſis, quod, quia nos cum magnifico domino Joanne de Hunyiad, regni

L 2 Hun-

NUS KAPRINAY. E. S. J. cujus viri frequens nobis deinceps erit memoria. Annus inſtrumento huic diſerte inſertus non eſt; adhunc tamen annum reor locandum: quod abhinc nihil Hunyiadi cum Giſcra fuerit.

(1) Non dubitem hoc nomine aureos nummos ut hodie in uſu ſunt, venire, quando veteres, quos quidem hactenus viderim, noſtros pretio prorſus æquant. Sed id argumentum CL. KAPRINAY, a quo id diploma obtinui, in re numaria Hungarica, quam molitur, ſolide, ut ſpero, illuſtrabit.

(2) Igitur aut non totum Scepuſium, aut certis ſolum conditionibus a Sigismundo Polonis pignori datum. Opere pretium referret qui eam rem expediret.

(3) Obtinui diploma ab eodem CL. KAPRINAY. E. S. J. cujus paulum ante cum laude memini.

Annus Christi 1451.

*Hungariæ gubernatore, quasdam dispositiones, & amicabiles compositiones pro perpe-
tua pace inter regnum Hungariæ, & nos duratura pridem in oppido Rimatszombatha,
ordinaveramus, & litteris mediantibus firmaveramus, cujus rei gratia nobis quædam
solutiones cujusdam summæ florenorum auri secundum cautionem litterarum præfati do-
mini gubernatoris per ipsum fieri debebant. Prælati, barones, ac tota universitas nobi-
lium, & baronum eandem summam florenorum nobis perficere, & exolvere dispo-
suerunt, & litteris suis mediantibus se obligarunt, ideo nos bona fide nostra christiana,
& sub dignitatis capitaneatus honore nostræ promittimus, & obligamus, quod omnem
dispositionem, quam cum præfato domino gubernatore, & toto regno Hungariæ pro
perpetua pace, & unione ipsius regni fecimus, & ordinavimus, firmiter, & invio-
labiliter observari faciemus inconcusse, dum, & in quantum idem dominus gubernator
litteras suas integraliter deducet ad verum effectum. Promittimus etiam sub eadem
fide, quod siquid contra præfatum dominum gubernatorem allegare, vel proponere ha-
beremus, quod dispositiones, quas nobiscum fecit, in aliqua sui parte secundum in-
scriptiones per ipsum nobis factas non observasset, ea de causa cum nominatis prælatis
baronibus, ac tota universitate nobilium gueram non movebimus, nec ipsos, & eo-
rum subditos, homines, & bona invademus, aut quovis modo damnificabimus, sed neque
per nostros subditos, ac adhærentes invadere, aut quovis modo damnificare permittemus.
Sed super tali nostra actione cum eodem domino gubernatore sic disponemus, sicuti no-
stræ, & ipsius caverunt inscriptiones superinde confectæ, præscripta pace semper illæ-
sa - - - hoc tamen specialiter adjecto, quod si quocunque tempore intra hujusmodi
pacem, & concordiam initam aliquæ insolentiæ, perturbationes, & damna per acci-
dens ex abrupto a subditis partium utrarumque, aut unius partis contra aliam com-
mitterentur, & fierent, ob hoc hujusmodi pax, & perpetua unio non rupta, sed
integra, & vigorosa permanere debeat, in omnibus suis clausulis, & punctis: sed
nos ab utraque parte nostra arbitros, & reformatores talium actuum injuriosorum---
semper in civitate Cassoviensi - - ad discernendum - - eligemus - - qui pront decreverint,
secundum eorum reformationem pars alterutra parti læsæ satisfactionem, & refusio-
nem damnorum facere tenebitur, & exhibere, isto tamen incluso, quod pacta hujus-
modi arbitratorum solum usque ad tempus, quo serenissimus dominus noster rex La-
dislaus in hoc suo regno constituetur: aut alter post ejus decessum, quem altissimus ad
longa tempora protrahere dignetur, hujus regni suscipiet gubernacula, vigere debeant,
& permanere, & ex tunc nos Joannes Giscra in factis judiciariis eum quocunque re-
gnicolarum agere habebimus, judicio regni volumus astare, & debemus.*

Convocatus Viennam Australibus

Ita pax in Hungaria sopitis turbis coaluit: at Australes, ut jam memora-
tum est, haud segnius, quam ad cæsarem scripserint, conatus suos, studiaque ad
avellendam ab Friderico Austriam conferebant. Prælatorum animos captare, cir-
cumire urbes, Viennam imprimis tentare, qua in suas partes pellecta, pronum
erat suspicari ceteras Austriæ urbes, hujus exemplum secuturas. Utque incautos
speciose circumvenirent, Fridericum privatis coitionibus, palamque criminaban-
tur, eum arrepto in Italiam itinere magistratu provinciæ se abdicasse, Ladislaum
contra voluntatem in Stiriam abductum, trahendumque Romam, cujus cœlum
fatale adolescenti futurum esset: gubernatores sine provincialium consensu posi-
tos, prælatos, ad quos id præcipue attinebat, ne ad consilia admissos, civitates
autem prorsus despicatui habitas esse. Invaserat virulenta oratio omnium animos,
collatisque sententiis decernunt, Viennam omnes proxime uti convenirent, isthic,
quæ pro salute reipublicæ facerent, consilia depromptum iri. Aderant ad præsti-
tutum diem tam ex sacro, quam profano ordine viri nobiles, tum civitatum totius
pene Austriæ legati, rerum exspectatione, & Eyczingeri molitionibus, quo deni-
que evasurus esset, suspensi. Ille, ubi tam belle initia cadere vidit, omnes ad
Carmelitas in loco, qui olim curia dictus est, præsto esse sibi jubet: tum Elisa-
betham Ladislai sororem lectissimam virginem, viroque jam maturam ex palatio,
in quo morabatur educit, eaque manu prehensa ex pulpito, quod Joannes de Ca-
pistrano, dum sermones ad populum habuit, conscendere solebat, ita ad confer-
tissimam concionem verba fecit. (1) *Ingens mihi voluptas est hodie Patres optimi, cum*

Eyzingerus, producta in concionem Ladislai sorore, cives in Fridericum concitat.

(1) Idem. ibidem.

vos

vos adesse frequentes animadverto, cupidos vestro principi, vestræ patriæ consulere, neque enim aliud conveniendo quærimus, nisi communem utilitatem, hoc nobis, hoc cuivis incumbit, qui nomine hominis censeri vult, quoniam non nobis tantum nati sumus, sed amicis, & patriæ, qui sibi duntaxat studiosus est, cum extra numerum esse hominum haud injuria putaverim. Nobis, etsi hactenus bene gerendæ rei voluntas fuit, at certe potestas defuit. Undecim jam annis dura, & acerba servitute oppressi fuimus Friderici cæsaris, qui nos loco mancipiorum habuit, neque conveniendi, neque simul loquendi nobis libertatem fecit. Principem nostrum abduxit, inclusumque, veluti captivum, nunc ista, nunc illa in arce tenuit: super humeros nostros Stirienses posuit, avaros, atque rapaces homines, quibus honesta, atque inhonesta venalia fuerunt; præturas, judicia, consulatus, sacerdotia prima vendiderunt; consilia, quæ baronum, prælatorumque novimus, soli quatuor direxere, qui veluti quatuor columnæ, & principatum nostrum, & Romanorum imperium gerere præsumserunt, vectigalia publica, ducalis cameræ redditus, quis nescit ad novam civitatem deferri? neque contentus his cæsar, nova telonia instituit, importabiles auctiones induxit, ex quibus se suamque familiam pavit. Hanc nobilissimam virginem jam plenis annis nubilem aspicite, obsecro, quo pacto tenuerit. Quæ civis non dicam hujus urbis, sed vilis cujusque municipii, non melius induta ad forum iret? laceras tunicas, laceros defert calceos, vix ei victus administratus est: quid illi regio pupillo accidere creditis, nostro principi clarissimæ Alberti soboli? dure secum, atque asperrime agitur, neque victum, neque vestitum regium habet. Ipse contra cæsar, Ladislai auro dives, nam & Alberti thesaurum omnem asportavit, uniones, adamantesque comparat, preciose vestitur, nova templa, magnificas ædes construit, neque hujus terræ curam gerit, nisi ut aurum nostrum corradat. Si vastantur ab hostibus agri nostri, abiguntur pecora, rustici capiuntur. si vexantur omnia, nulla eum solicitudo remordet, tacet, atque inter suos ridet. Si opem imploramus, non est, inquit, argentum bello necessarium, nisi castrum hoc, aut illud hypothecæ adscribitis, nisi novam pecuniarum contributionem facitis. Annuimus: at auro exacto, nihil est in eo præsidii; damur nos, nostrique prædæ, nisi nos ipsi arma assumimus, ac viribus nostris hostem propulsamus. Plus auri quingenta millia pondo ex Austria recepit, neque vel unum aureum in utilitatem patriæ nostræ, aut heri nostri exposuit. En fidelem tutorem, en amantem consanguineum! Nostis hæc omnes, manifestas res dico: vobis, mihique ista dolori fuerunt, sed nequivimus obsistere nimia oppressi tyrannide. Nunc autem aspicit divina pietas humiles preces nostras, miserum pupillum, quassatam patriam, oppressam gentem. Ecce simul adsumus, nunc, nos in libertatem ut vindicemus, licet. Si conjungimur, unumque sapimus omnes, non est, cur Fridericum timeamus. Jugum ejus excutere jure possumus. Adsunt litteræ, quibus omni nos obligatione Fridericus absolvit, si conventa non tenuerit. Violavit omnia, quæ promisit: liberi, absolutique sumus. Utamur igitur libertate data, audeamus, virosque nos demum esse monstremus. Suscipiamus ipsi regimen terræ, repetamus dominum; jam grandiusculus est, annos natus duodecim; non est cur eum tutori, ne dicam dissipatori amplius relinquamus. Imitemur exempla majorum: Vilhelmus Friderici patruus Albertum, nostri Ladislai patrem in tutelam suscepit, verum cum bona eius, aut sibi usurparet, aut negligeret, non tulit Reinpertus de Valsee tantam injuriam, pupillum e manu tutoris eripuit, atque in paternam hæreditatem reduxit. Quid de Athesinis dicam? nonne arma sumentes Friderici præfectos exclusere, provinciamque tam diu per se ipsos administravere, donec eorum dominum, Sigismundum, ad eos Fridericus remisit? Duces Austriæ tantummodo Albertus. & Sigismundus eo tempore fuerunt, & subditorum ope sunt liberati. Quid nos facere oportet, qui non solum ducem Austriæ, sed Hungariæ, atque Bohemiæ regem, dominum habemus? Equidem si meis auscultare consiliis vultis, crudeli Stiriensium dominatu vos liberos, vestrumque dominum vobis reddam. Sunt forte nonnulli, qui formidandam Friderici potentiam, & romani regis nomen arbitrantur. Verum illi præter Stiriam, Carinthiam, & Carnioliam nullus principatus obedit. Nec sunt hæ provinciæ Austriæ comparandæ, montanæ, pauperes, inermes. Nos & virorum numero, & opibus multo superamus. Quippe nec si romanum imperium cum Friderico sentiat, timere nos oportuerit

Annus Christi 1451.

tuerit; quibus, & Hungari, & Bohemi, & Silesitæ, ac Moravi pro communi domino adstabunt. Est præterea, quo magis, ac magis me hortor, Ludovicus Bavariæ dux dominatu par regibus, ex amita nostri principis natus, qui nobis audentibus ingens auxilium pollicetur. Albertus marchio Brandeburgensis, cui hoc tempore nemo par induit arma, daturum se opem, venturumque cum exercitu, si fuerit opus, constanter affirmat: nec Ciliæ comites nobis desunt, Ladislao nostro consanguinitatis jure obnoxii. Quin audemus, fortemque sumimus animum. Pudeat nos tandem Ungenado, atque Zebingero, (erant hi ex eorum numero, quos Fridericus Austriæ præfecerat) *detegere capit, venalesque manus eorum tangere. Neque genus, neque virtus his est, quæ nobis eos præferat: ignoti homines, ignavi, crasso ingenio, nisi apud Fridericum locum invenissent, nullus eis in orbe terrarum princeps victum dedisset. Abjiciamus turpissimum jugum, atque hæc monstra hominum tetra, horrenda extra patriam relegemus. Omnis nos ætas commendabit, qui nostro regi fideles, Friderici tyrannidem depulerimus.*

Abrogato, quem, cæsar constituit, magistratu, novus ex seditiosis conflatur.

Ut plena invidiæ, & seditionis oratio fuit, ita, postquam dicendi finem fecisset, ingens exortus est in populo fremitus, & collacrimatio, quam Ladislai soror, sive suapte, seu ex Eyczingeri consilio, inter crebros singultus sibi derelictæ, fratrique captivo opem, & eam commiserationem flagitans ciebat. Tum litteræ Friderici, pactaque utrinque percussa vulgantur, quibus aliorsum fraudulenter detortis indignationem populi adeo exauxit, ut eos, quos Fridericus se absente rempublicam curare jusserat, magistratu depellendos vociferarentur, consulemque urbis anxium, ut cæsari fidem servaret, aperta vi in Eyczingeri partes adigerent. Is eo successu mirifice lætus, ac rem, dum nova voluntatum studia fervèrent, urgendam ratus, ne seditionis, aut perfidiæ argueretur, litteras ad Fridericum conventus nomine, prius Græcio, quam abiret, in hæc verba dedit (1)

Istius nomine litteræ ad Fridericum scribuntur.

„ Domino Friderico Romanorum regi Augusto, prælati, barones, nobiles, communitatesque terræ Austriæ salutem dicunt. Convenientes apud urbem Viennensem de magnis patriæ necessitatibus acturi, vidimus scripta tua, quibusdam ex nobis transmissa, simulque litteras divisionum inter tuos, & Ladislai prædecessores habitarum, inscriptionesque, secundum quas tibi tutelæ administrationem permisimus, testamentumque regis Alberti mature discussimus; nec persuaderi nobis potest, Elisabeth reginam filium suum Ladislaum alio modo tuæ Majestati tradere potuisse, quam patris ultima voluntas ordinasset. Albertum autem, licet Hungariæ, atque Bohemiæ regnum aquisierit, dominium tamen Austriæ nunquam resignasse comperimus; sed illud filio suo, non tibi dimisisse. Sumus igitur Ladislao, veluti domino nostro naturali, obligati: cumque tua Serenitas ea minime adimpleverit, quæ per suas litteras promisit, conabimur, ut Ladislaus ad suam hæreditatem remittatur, omnemque ad hoc operam, ut obnoxii sumus, impendemus, ne quisquam de perfidia nos arguere possit, qui Alberto, & suis hæredibus masculis fidelitatem promisimus. Precamur igitur sapientiam tuam, pro bono pacis, & utilitate patriæ, liberum Ladislaum, ut ad sua dominia, nosque remittat. Nos enim deinceps, nisi Ladislao regi nulli parebimus. Jam, qui patriam ejus nomine regant, magistratus elegimus, confidentes benignitatem tuam haud diu nos in tali regimine dimissuram. Rogamus autem, ne causam nobis præbeas, quærendi apud alias gentes remedia, & auxilia, per quæ negato domino, & nobis ipsis provideri possit; quæ res multorum posset esse seminarium malorum, neque tuæ Serenitati, neque terræ Austriæ conduceret. „

Ulricus Ciliæ comes seditiosis se adjungit.

Ejusdem argumenti litteras Viennenses, tum reliquæ civitates Austriæ ad cæsarem scripserunt: quibus se paulum post, Ulricus quoque Ciliæ comes adjunxit, magnas postea inter ipsos factiosos daturus turbas. Tam potenti fulcro subnixi Australes, Hungaros itidem in communionem factionis pertrahere nitebantur; ad quos Hartungum de Kappel celebrem id temporis juris consultum lega-

(1) Idem. Ibid.

legarunt, ut propoſita rei gravitate, & certiſſima ſpe liberandi regis, eos ad Auſtralium partes alliceret, qui quo fructu apud Hungaros verſatus ſit, deinceps memorabitur. Ceterum Fridericus, ubi litteras a conventu factioſorum ſcriptas accepit, nihil periculo, quod imminebat, motus, reſpondit: *conventum Viennæ habitum ſine conſenſu principis, ſine baronibus præcipuis, vim non habere: juramenta non poſſe abſque ſua voluntate reſolvi: Ladiſlaum adhuc pupillum eſſe; tutelam non exſpiraſſe, nihil ſe contra promiſſa feciſſe, debere ipſos melius deliberare* (1) Datoque in hæc verba reſponſo, ne quid ex itineris rationibus, quas multo ante ſecum inierat, mutare cogeretur, Græcio diſceſſit. Hæc quamquam nonnullis ad annales noſtros minime videbuntur pertinere, quod nihildum cum Hungaricis rebus implicata erant, memorari tamen neceſſe fuit, ut eorum, quæ poſtea ſequentur, & non levem annalium partem conficient, magnamque cum prioribus communionem habent, magis perſpicua ratio eſſet. Annus Chriſti 1451.

Interea Hungari, poſtquam ex Hartungo de Kappel, quo loco res in Auſtria eſſent, intellexere, neque ullis officioſo in Ladiſlaum regem ſtudio concedere velle viderentur, legatos itidem ad Fridericum mittendos cenſuere, qui ſua Auſtralibus poſtulata conjungerent, peterentque, ut ne Ladiſlaum Romam ſecum abduceret, ſed reipublicæ gerendæ propemodum jam maturum in Hungariam, quod alias pollicitus erat, remitteret. Lecti ſunt præ aliis Paulus epiſcopus Agrienſis & Tubertus comes de Prata, quibus, ut primum Viennam venere, Benedictum de Thurzo, Ciliæ comes ſuo nomine adjunxit. Cæſarem accelerato itinere conſecuti ad Adriam, oppidum Muræ flumini adſitum, repperere. Ad quem admiſſi, legationis capita in hunc modum explicuerunt. (2) *In feſto Sancti Michaelis, quod proxime diffluxerat, Hungaros, qui Viennæ fuerant, ut ſæpe alias, ſuum regem petiviſſe, quo negato inducias ad annum prorogatas fuiſſe. Dixiſſe tamen aliquos ex conſilio imperiali. Si cæſar ante ſuum in Italiam tranſitum ab Auſtralibus, ſeu Bohemis, regem ut daret, peteretur, futurum ut imperator Hungaris eum potius, quam aliis traderet. Fuiſſe autem Hungaros medio tempore cum Bohemis, Moravisque congregatos, deliberaſſe regem petere. Placuiſſe Bohemis, ac Moravis, Ladiſlaum primo Hungariam ingredi, exinde in alias terras tranſire. Optare ergo Hungaros, precarique obnixe, cum jam cæſar in Italiam profecturus ſit, Ladiſlaum ad eos mittat, in ejus principale regnum, in quo natus, baptizatus, coronatus eſt, exinde datus imperatori, qui eum diu non ſine grandi Hungariæ jactura tenuerit: regnum illud ſcutum chriſtianæ fidei non poſſe, neque velle amplius abſque rege ſuo manere.* Iſtorum verbis orator quoque ab Ulrico Cilejenſi miſſus, ſubſerviit, & domini ſui nomine, aliquanto, quam Hungari, vehementius reddi Ladiſlaum urgebat: cæſar auditis legatorum mandatis nihil eo die reſponſi dedit, poſtridieque Leobium Stiriæ urbem ſecum deductis in hæc verba, quid animo ſtatuiſſet, aperiri juſſit. (3) *Petiviſſe quidem Hungaros ſuum regem apud Viennam fatebatur: negatum tamen fuiſſe ajebat, quoniam illi rei dari tunc opera non valuiſſet, cum deliberatio multorum, quæ ad dandum his, aut illis regem neceſſaria noſcebatur, propter feſtinum in Italiam tranſitum haberi non poſſet. Minus id nunc perfici poſſe, jam ſe in itinere conſtituto. Verum eſſe, quod de induciis expoſuiſſent, ideoque non poſſe ſe verum credere, quod Auſtrales dicerent, Hungaros ſecum ſentire. Nam id eſſet ſtantibus treugis fidem frangere: rogare, ut pacem, ut promiſſa teneant: quoniam Romam ſua Sublimitas non coronæ ſolum cauſa ire, verum etiam propter commune populi bonum, pro commodo regni Hungariæ, pro bello contra Turcos inſtituendo, ad quod ordinandum jam Philippus Burgundiæ dux apud ſe verba feciſſet. At opus eſſe id agere cum papa; velle igitur Romæ ad eam rem navare operas: petere, ut & Hungari eo mitterent, de bello cum infidelibus gerendo cogitarent, cum chriſtianis pacem cuſtodirent.* Benedicto autem de Thurocz, quem Ulrici Cilejenſis nomine ad cæſarem quoque profectum narravimus, ſignificatum per Palatinales eſt. *Relatum eſſe cæſari, comites illos apud Auſtrales nuncios habuiſſe,*


Hungari ab Auſtralibus incitati, legatos ad cæſarem mittunt, qui regem ſibi reddi poſtulent.

Eorum poſtulata.

Friderici ambigua reſponſa.

(1) Idem AENEAS ibid
(2) Idem ibidem.
(3) Idem ibid.

Annus Christi 1451. *se, eorumque propositum commendasse. Australes regem Hungariæ petere, Hungaros in suo regno: comites Hungarorum petitioni assistere. Impossibile esse his, atque illis satisfieri. Audisse legatum, responsum Hungaris datum; id suis dominis referret, suaderetque eis, ne fidem fallerent, neve res novas aut in Austria, aut in Hungaria quærerent.* (1) Ad hæc legati gratias quidem maximas agere cæsari, quod bello turcico curas suas se velle intendere promisisset, quod ea res & honori sibi coram hominibus, & ingenti apud Deum merito futura esset: non tamen idcirco sibi regem suum negari oportere, quem nisi remissurum se in Hungariam polliceretur, ne ægre ferret, si apud summum pontificem ceterosque principes christianos de injuria quererentur. Verum Fridericus nihil his minis territus, viamque pertendens, vacuos ab se legatos dimisit. *Agriensis episcopus clam cum Ladislai pædagogo agit.* Constat tamen Paulum Agriensem episcopum multa cum Caspare Ladislai regis pædagogo privatim egisse: illumque præmiis, ac pollicitis eo pellectum, ut cum primum occasio se offerret, puerum Friderico clam surreptum in Hungariam se adducturum reciperet. Quæ res quo eventu tentata, & quo pædagogi malo intercepta sit, suo loco exequemur.



(1) Idem ibid.

LIBER

Annus Christi 1452.

LIBER II.

Jam cæſar ſuperato Villaco ipſis calendis Januariis Italicum ſolum ingreſſus, ad Venzonum ditionis Venetæ oppidum ingenti principum, ac nobilium comitatu ſtipatus pervenit, ubi ab oratoribus reipublicæ maxima honoris ſignificatione acceptus, ac Patavium deductus eſt. Inde ad Atheſin iter convertens Ferrariam petiit, qua non multos poſt dies relicta, Bononiam contendit. Hic illi Beſſarion ex Nicæno Epiſcopo ob excellentem ſcientiam, morumque gravitatem in Cardinalium ordinem cooptatus, obviam venit, & Pontificis nomine ſalutatum, in urbem induxit. Ubi capta aliquot dierum quiete rurſum viam ingreſſus, ſuperato Apennino, Florentiam XII calendas Februarias tenuit. Qua in urbe, quod ſponſa Leonora nondum ex Luſitania, ut conventum erat, maritimo itinere appuliſſet, ſtativa ſuis indixit.

Cæſare Italiam ingreſſo.

Inter hæc Auſtrales nihil in factionis ſtudio remiſſiores, poſtquam Hungaros in repetendo rege ſibi conſentire intellexiſſent, ne oblata ſuapte occaſio elaberetur, qua eos in partes ſuas pertraherent, nuncios in Hungariam miſere, qui proregem cum præcipuis regni optimatibus Viennam invitarent: futurum iſthic provincialium conventum, in quo de Ladiſlao communibus votis transfigeretur, eorum id plurimum referre, ut intereſſe velint, præcipuamque in conſultatione partem habituros. Viſum eſt Hunyiadi Auſtralium poſtulata non aſpernari oportere, ac re cum proceribus communicata, Viennam menſe Martio conceſſit: quem baud multo poſt legati quoque ex Bohemia, & Moravia ſequuti ſunt. Auſtrales, quo iſtorum voluntates ſibi arctius conciliarent, quatuor vexilla in turri divi Stephani late ſpectabilia erexere, quorum primum Hungariæ, alterum Bohemiæ, Auſtriæ tertium, quartum denique Moraviæ inſignia præferret. Tum extractis in conſultatione diebus aliquot, commune adverſus Fridericum foedus conflatum eſt. Foederis tabulæ in hæc verba conſcriptæ erant. (1)

Hungari cum Auſtralibus, Bohemis, ac Moravis fœdus contra Fridericum ineunt.

„ Nos Joannes de Hunyiad, regni Hungariæ Gubernator, Dionyſius miſeratione divina ſancti Cyriaci in termis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis, archiepiſcopus Strigonienſis, Joannes Varadienſis, Andreas quinqueeccleſienſis Epiſcopi, Thomas de Brente gubernator Abbatiæ ſancti Martini, ſacri Montis Pannoniæ. Item Ladislaus de Ujlak Vaivoda Tranſilvanus, comes Ladislaus de Palocz, judex curiæ regiæ, Joannes de Perén, magiſter tavernicorum regalium, Joannes de Korogb banus Machovienſis, Rainaldus de Rozgon comes Siculorum, Sylveſter de Torna, magiſter janitorum regalium, Georgius Rozgon comes Poſonienſis, Simon Zudár de Onod, Joannes Zétſe, Paulus de Hudna, Joannes Orſzág de Guth, Bartholomæus de Homona, Emericus Grof de Bazim, Emericus de Kaniſa, Nicolaus, & Ladislaus de eadem, Ladislaus de Deneczpál, Stephanus Pongrácz de Szent Miklos: Item Martinus de Waiſenſteiner judex Budenſis pro civitate Budenſi, Benedictus Vincze judex Albenſis, pro civitate Albenſi, Nicolaus Hincz civis Poſonienſis, pro civitate Poſonienſi, Stephanus Kalmayer judex Caſſovienſis, pro civitate Caſſovienſi, Georgius Turzo de Leutſovia, pro civitate Leutſovienſi, Georgius judex de Bartſa, pro civitate Bartſa, Nicolaus de Jarnach judex Peſtienſis, ceterique milites, nobiles, cives, & nuncii univerſitatis nobilium, civitatum, & incolarum regni Hungariæ, ipſum totum regnum Hungariæ repræſentantes. Item nos Fridericus, & Ulricus Dei gratia Ciliæ, Ortemburgæ, Zagoriæque Comites, nec non regni Sclavoniæ Bani, pro nobis, & pro omnibus Dominiis, & incolis dominiorum noſtrorum. Similiter nos Ulricus Eyczinger „ de

Fœderis conditiones publicis tabulis firmatæ.

(1) Ex codic. Mſ. Mellicenſis Bibl. Num. 13. pag. 27. Habetur itidem in Mſ. hiſt. Auſtr. L. B. a. Gruen. 62. ſigillis communitum.

Annus Christi 1451.

„ de Eyczingen, supremus capitaneus ducatus Austriæ, Stephanus in Melicio, Wolfgangus in Ketweig ordinis Sancti Benedicti, Joannes ad Sanctam Crucem, & Joannes in Zwetl, Abbates ordinis Cisterciensis, Caspar in Sancto Hypolito, Simon in Newburga, Martinus in Waldhausen, Joannes de Herczogburg, & Conradus ad Sanctum Andream, Præpositi ordinis canonicorum regularium Sancti Augustini, & Joannes Prior in Maurbach ordinis Carthusiani, Joannes Comes de Schavenburg supremus Mareschallus, Ulricus de Rosis, Henricus, & Joannes filii ejusdem, regnicolæ regni Bohemiæ, Wolfgangus de Valse supremus Mareschallus Austriæ, & supremus Dapifer præfati ducatus Stiriæ, Fridericus Dominus in Hohenberg, Joannes, Henricus fratres, ac Wilhelmus consanguineus eorum de Liechtenstein, alias de Nicolsburg nuncupati, Rupertus de Polhaim, Pancratius de Planchenstein • - - (1) pro nobis, ac omnibus aliis incolis, & terrigenis sæpe dicti ducatus Austriæ, tam spiritualibus, quam etiam secularibus universum ducatum Austriæ, & civitates ipsius servantes, memoriæ commendamus, & præsentium tenore profitemur. Quemadmodum temporibus superioribus post obitum serenissimi Principis, & domini, domini Alberti, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ regis, ducis Austriæ, & Marchionis Moraviæ felicis reminiscentiæ domini nostri gratiosi, Illustrissima princeps quondam domina Elisabeth consors ejusdem, Inclitissimum principem, dominum nostrum, regem Ladislaum, natum ipsorum, sub teneris annis existentem una cum corona regia Hungariæ, Serenissimo principi Domino Friderico Romanorum regi, præter consensum, & voluntatem omnium nostrorum, scilicet regnicolarum, & terrigenarum regnorum, & Dominiorum suorum peculiarium, ac extra eadem contra ordinationem testamentariam præfati quondam Alberti regis tradidit, & assignavit, quem dictus dominus rex Romanorum jam pluribus annis extra regna, ducatus, & dominia sua tenuit, ac tenet de præsenti. Et quod nos, & alia regna, ac dominia ejusdem domini nostri naturalis, regis Ladislai, tempore medio in varia disturbia, damna, ac inquietudines incidimus, & inciderunt, quorum occasione nos omnes dominum Romanorum regem replicatis vicibus impulsavimus, quatenus sua Majestas dominum nostrum naturalem in hæreditatem suam paternam collocaret, quod, proh dolor! apud suam Serenitatem hactenus nullatenus poteramus, sed sua Serenitas, nescitur, quo dicta motivo, eundem dominum nostrum regem Ladislaum de regnis, ducatibus, & dominiis suis absque scitu, & velle nostro, scilicet regnorum, ducatuum, & dominiorum suorum ad exteras regiones personam suam fortunæ periculis submittens, abduxit.

„ Quocirca nos ex causis supra dictis, ac propter necessitates gravissimas, dicto domino nostro naturali, suisque regnis, ducatibus, & dominiis incumbentes, generalem conventionem in hac civitate viennensi, in his diebus celebrantes, ubi deductis hinc inde tractatibus & collocutionibus mutuis, maturo consilio, & deliberatione præhabita ad talem finalem devenimus conclusionem.

(1) Reliquorum hæc nomina sunt: „ Georgius de Ekerszau, Christophorus, & Georgius consanguinei de Potendorf, Georgius de Czelkin, Otto de Topel, Wolfgangus de Vinden, Katholdus de Vehingen, & Thohias Rhär Barones præfati ducatus Austriæ. Nicolaus Drukfez in Szentz, Engelbertus Dagpek, Job Crihstetler, Georgius Dechser, Osvaldus Ludmanstorfer, Sigismundus Pottenpruner, Georgius Hayer, & Jacobus Hans Potinger, Sigismund Lewprechtinger milites: Dietmarus Chunsperger, Christophorus Potinger, Sigismundus Lewprediger Castellanus ad S. Georgium in Kalenberg, Wolfgangus de Rukendorf, Wolfgangus Hinderholczer, Caspar Dächsenbeck, Conradus Swainwarter, Joannes Stichelperger, Leo Schnekrewter, Laurentius Paltenhofer, Janko de Sziadnicz, Bernhard Fsuseneker, Erhardus Drukfetz in Schenkenstein, & Joannes Stokharner, militares: nec non Oswaldus dictus Raicholf, magister civium, judex, jurati cives, & tota communitas inclitæ civitatis viennensis: insuper Judices, Scabini, & cives in Kembs, & Stain, Klosternewburg, Kornewburg, Tuln, & in Zvetl oppidorum - - - „

Annus Christi 1452.

„ fionem. Quod nos ceteri fupradicti univerfi univerfaliter, & finguli fingulariter una cum illuftribus principibus, dominis Friderico, & Ulrico Ciliæ comitibus, qui inter ceteros principes & magnates, ipfius videlicet domini noftri regis Ladislai confanguinei, non minus ex fidelitatis conftantia, quam ipfius confanguineitatis fervore, flagrantiori defiderio, præfertim pro eliberatione perfonæ dicti domini noftri regis Ladislai, dominiorum fuorum tranquillo ftatu, hujus diætæ, & negotii cordialiffimi directores forent, & exifterent, eorundem unanimi voto ligam, unionem, & confœderationem fubintravimus, & præfentium vigore fubintramus taliter; quod nos fæpe fatum dominum noftrum, regem Ladislaum, una cum prædicta corona regni Hungariæ, divino auxilio, totoque poffe noftro rerum, & perfonarum, modisque aliis ad hoc neceffariis, & opportunis, quemadmodum ad id Serenitati fuæ ex juris, honoris, ac fidelitatis debito fumus obligati, cum auxilio, confilio, & adhæfione omnium illorum, quos ubi in hac re adhuc in pofterum aggregare contingeret, de manibus præfati domini Romanorum regis, ac alterius cujuscunque, qui ipfum præter voluntatem noftram detinuerint, eripere, & in fua folia paterna, ducatusque, & dominia liberum introducere, & reponere, ac omnia videlicet caftra, fortalitia, & alia quæcunque poft obitum fæpe dicti domini Alberti regis, per ipfum dominum regem Romanorum, ac dominum Albertum ducem, fratrem fuum, feu quoscunque ad eos pertinentes, a regnis, ducatibus, & dominiis præfati domini noftri, regis Ladislai, qualitercunque occupata, ab eorum manibus recuperare, & eis, quorum funt, reddere volumus, & debeamus. Cafu autem, quod præfata regna, ducatus, & dominia, ac ipforum incolæ, & præfati domini Ciliæ comites, ac eorum dominia, aliique quicunque dicto domino noftro regi Ladislao adhærentes, præmifforum occafione, lite, aut querela a quocunque gravati fuerint, a modo in antea quocunque temporum proceffu, quod tunc unum regnum, ducatus, & dominia alteri regno, ducatui, ac dominio & fic omnia præmiffa regna contra quoscunque, & fignanter adverfus præfatum dominum regem Romanorum, nobis in hac caufa, tanquam ex adverfo principalem, & alios quoslibet fibi adhærentes, & partem fuam foventes, femper juvare, protegere, ac defenfare debeamus, ac teneamur toto poffe.

„ Si vero contingeret aliquas controverfias, feu difturbia in præfatis regnis, ducatibus, five dominiis domini noftri, regis Ladislai, ac ipforum dominorum comitum Ciliæ quomodolibet excitari, per quæ introductio ejusdem, ac alia exinde fequenda impediantur, & ad effectum conduci non poffent, quod tunc nos cooperari, & rebus mutuo juvare debeamus, confiliis, & auxiliis, ut controverfiæ, five difturbia hujusmodi fopiantur, ne introductio domini noftri regis Ladislai fit impedita. Si vero aliquem ex nobis, aut nobis colligatis, aut colligandis, & adhærentibus præmifforum occafione in captivitatem incidere, aut amiffionem rerum, feu bonorum quorumcunque, a quocunque pati contingeret, tunc promittimus nominibus, quibus fupra, cum hujusmodi adverfariis noftris nullam velle amplecti concordiam, aut pacem, nifi prius recuperatis ablatis, five deperditis, & de relaxatione captivorum absque folutione taxæ aliqualis, vel cum ipfis fuerit alias fatisfactum juxta confilium, & decretum colligatorum de dominio læfi exiftentium.

„ Demum de communi voto omnium noftrorum ad hanc finalem devenimus ordinationem. Quod cum præfatus dominus nofter rex Ladislaus, concedente domino, de manibus præfati Domini Romanorum regis, aut alterius cujuscunque, ipfum præter voluntatem noftram detinentis, ereptus, fuæque libertati reftitutus fuerit, quod tunc idem dominus nofter rex Ladislaus, juxta limitationem ordinationis teftamentariæ annotati quondam regis Alberti, genitoris fui videlicet, in Pofonio teneri debeat, excepto tamen præfato domino Romanorum rege, qui femet ipfum, quantum ad intereffe fuper intendentiam, feu executionem, qualescunque annullatam teftamentariam ordi-

Annus Christi 1452. „ nationem respicientes, etiam pluribus legitimis ex causis palam cernitur exclusisse. (1) Si vero contingeret dominum nostrum regem Ladislaum ab humanis discedere, quod Deus avertat, antequam hæreditatem suam paternam ingrederetur, hoc ex casu aliquod ex regnis, ducatibus, ac dominiis ejusdem domini nostri regis, aliquos, vel aliquem ex eorum incolis præfatorum dominiorum, aut dominiis comitum Ciliæ, indignationem quorumcunque seu damna, aut inimicitias incurrere contingeret, ex tunc illius regiminis ducatibus, & dominiis, seu eorum incolis hujusmodi indignatione, seu damno, seu altera occasione præmissorum gravatis, totis facultatibus, & viribus tam diu assistere volumus, quousque ab hujusmodi indignatione erepti sint, & indemnes. Item juxta consilium, & decretum colligatorum in dominio damnificati residentes, & etiam hoc casu specialiter pro recuperandis corona regni Hungariæ, & bonis, tam ejus, quam dominiorum præfati domini regis occupatis, restaurandis nobis invicem assistere, & auxiliari teneamur toto posse.

„ Præmissa autem omnia & singula, nos prædicti omnes universaliter, & singuli singulariter, ac in solidum, quoad omnes articulos rata habemus, & placita, ac inconcusse observari, teneri, & exequi promittimus sub fide nostra christiana, & honore: in quorum etiam fidem, robur, & testimonium sigilla nostra, seu potiorum supra nominatorum pro nobis, pro communitatibus autem nostris, quas, ut præfertur, nos Hungari, & Australes prænominati repræsentamus, sigilla civitatum nostrarum præsentibus fecimus appendi. Datum Viennæ prædicto loco congregationis nostræ jam tactæ V. die Mensis Martii, Anno Domini MCCCCLII.

Sancitis fœderibus oratorem ad Nicolaum pontificem mittunt. In hæc verba tabulæ fœderis conscriptæ erant, quæ ut ne seditionis, perfidiæque nomen apud Pontificem, quem Friderico impense studere norant, ceterosque Principes christianos ad quos rei fama perventura erat, obtinerent, placuit oratorem eligi, qui secessionis hujus causas, facto Romam itinere, Nicolao Papæ præsens explicaret. Lectus est Thomas Angelpeckius, celebris eorum temporum jurisperitus, cui, si legationem celeriter, ac pro causæ gravitate prudenter obiret, non modica præmia pollicentur. Accepit eam provinciam homo non solum præmiorum spe, sed incredibili in Ladislaum studio suapte ductus, perlibenter, jussoque cardinalem Sancti Angeli prius, cum pontifice quam loqueretur, adire, normam præscripserunt, secundum quam legatio obeunda esset. Visum mihi est, instructiones ut illæ publico instrumento, nec invitis, si non consentientibus Hungariæ optimatibus comprehensæ sunt, annalibus inserere, quod & Alberti regis tempora mirum in modum illustrant, & ad res, quas deinceps narrabimus, multum quoque lucis allaturæ videntur. Ita autem habent. (2)

Instructio oratori a fœderatis data. „ Defuncto illustrissimo Alberto Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ rege, reliquit post se serenissimam conjugem reginam impraegnatam, & in testamento suo providit, si regina masculum pareret, quo in loco, qualiter, & sub quorum cura ille idem partus ali, & regi deberet. Quod quidem testamentum sub sigillo regio universis, & singulis prælatis, comitibus, baronibus, proceribus, nobilibus, & plebeis ducatus, & provinciæ, suæ Austriæ transmisit. Quo testamento per obitum condentis firmato, omnes, & singuli prælati, comites, barones, proceres, & plebei supra dicti se congregaverunt in Viennam, urbem principalem ducatus Austriæ pro deliberando, quid in casu præmisso faciendum esset. Interea ad præfatos congregatos serenissimus Romanorum rex Fridericus, tunc dux Austriæ, Albertus frater, & Sigismundus nepos sui nobilem ambassiatam cum juribus eorum respectu hæreditatis, quæ per serenissimum regem Albertum relicta erat, ad eosdem miserunt, quod in eventum, quo regina filiam peperisset, ipsi fuissent proximiores hæredes, ad ducatum prædictum, quibus per congregatos prædictos auditis, vi- „ sis,

(1) Videtur aliquid deesse, nam obscura admodum sententia est.

(2) Ex codic. Msf. Mellicensi, & AENEAS SYLVIUS in rebus Friderici III. Tom. II. Analect. Bibl. Vindobon. Cl. KOLLARII.

„ sis, etiam testamento serenissimi regis Alberti, ponderata consuetudine domus Austriæ in adeundis hæreditatibus, & tuendis viduis, filiis, filiabus, & posthumis defunctorum, & nonnullis aliis litteris & compactis inter parentes serenissimi domini regis Alberti ex una, & illustrissimi modo Romanorum regis, fratris, & nepotis suorum prædictorum parte ex altera, invenerunt divisionem hæreditatis totius domus Austriæ, & præsertim, quomodo ducatus Austriæ a singulis aliis eorum ducatibus, Stiriæ videlicet, & reliquis divisus, & segregatus esset, specifice, & distincte per patentissimos limites invenerunt, etiam terminationem omnium exceptionum majorem, quam progenitores serenissimi domini nostri regis Friderici commiserunt in effectu continentem, quod nunquam petere vellent ducatum Austriæ, interim, quo hæres masculinus de linea serenissimi regis Alberti superesset, respexerunt. Namque singulas dispositiones circumjacentium provinciarum, & singularum conditionum patriæ Austriæ, qualis quælibet in provincia Austriæ esset, existimaverunt necessarium fore, ut ducatus ille cum quodam Gubernatore provideretur, qui omnia, & singula ipsius ducatus officia provideret, sublevaret redditus, & cum illis redditibus ducatum, & ejus subditos defenderet, & tueretur, quousque regina pareret, & deinceps, si masculus nasceretur, qui ejus tutelam gereret, prout juxta tenorem testamenti prædicti, ac conditionem, & qualitatem ipsius necessarium inveniretur, si autem filia prodiret, qui tunc ita ducatum ordinaret, quod serenissimus dominus noster rex, & sui cohæredes commode adirent hæreditatem eis debitam, filiæ etiam regiæ de dote splendida juxta ejus dignitatem provideret. Cogitantibus igitur prædictis congregatis, & illis ipsis mature ponderantibus, quod ducatus ipse multas propter circumjacentium hostium turbines, jacturas & damna irremedibilia luere posset, si eidem minus provide de notabili Gubernatore provideretur, inter se rimari cœperunt, quis melior Gubernator eligendus esset, invenerunt, quod nullum eligere possent, cui magis gubernatio illa omni respectu accomodata, & ipse commodior patriæ esset, quam serenissimum dominum nostrum regem Fridericum, si idem in eadem gubernatione utilitatem facere vellet, motiva in promtu adducentes: quod in eventum, quo regina filiam pareret, ipse & cohæredes sui, veri hæredes essent, etiam ut domini naturales illius ducatus hæreditate potirentur; si autem hæres masculus nasceretur, juxta testamentariam dispositionem domini regis Alberti hæres juxta gubernatoris consilium sub cura in testamento deputatorum nutriri, & regi posset. Et sic dubitantes de partu regio, qualis veniret, respexerunt partes utrasque videlicet, quod serenissimus dominus noster rex una cum hæredibus suis in hæreditate adeunda non removerentur, nec illustrissimo posthumo, postquam prodiret, in hæreditate sua testamento paterno, ac singulis conditionibus status sui præjudicium aliquod generaretur, & fecerunt unam ordinationem, quæ continet capita infra scripta.

„ Primo: quod serenissimus rex Fridericus gubernationem hujusmodi susciperet usque ad tempus partus reginæ, & si masculum enixa esset, idem serenissimus dominus noster rex eo tempore dux, hujusmodi filium ultra illud tempus, quo annos discretionis attingeret, sub ejus gubernatione, vel tutela nec detinere, nec arctare, sed libere tutelæ cedere, & ducatum Austriæ cum omnibus, & singulis attinentiis suis, juxta continentiam litterarum divisionis hæreditatis supra dictarum dimittere, nec non reliquas litteras, privilegia, clenodia tam aurea, quam argentea, una cum instrumentis bellicis sine omni contradictione, expedite eidem consignare deberet, & teneretur.

„ Item, omnes & singulæ reliquiæ auro, gemmis, & argento redimitæ, & aliæ litteræ, privilegia, clenodia, argentaria, & bellica instrumenta per serenissimum Albertum regem relictæ, quæ in parato reperirentur, de illis inventarium fieri, & illa recludi in testudinibus, cameris, & arcis, deberentque seris obstrui, & sigillis bene muniri, ita, quod illa sine omni distractione in

M 3 „ nostro

Annus Christi 1452.

Annus Christi 1452. „ nostro viennensi templo, & in sacristia, ibidem deposita remanerent, ad quas „ feras duas claves haberet dominus rex, gubernator, reliquæ vero, remanerent „ penes congregatos de quatuor partibus Austriæ.

„ Item si regina pareret filiam, illa deberet provideri cum dote splendida juxta laudabilem consuetudinem, & compacta inter principes Austriæ.

„ Item quod serenissimus dominus rex, gubernator prædictus, gubernare, & regere deberet, juxta consilium baronum, nobilium, & communitatum ducatus Austriæ, qui sibi per congregatos de quatuor partibus Austriæ prædictis nominarentur.

„ Item in casu, quo serenissimus dominus noster rex, gubernator pro defensione jurium, & libertatum domus Austriæ indigeret de litteris, seu privilegiis, in arcis ut præmittitur, conseratis, illa deberent sibi ad hujusmodi usum edi, & demum usu expleto, iterum sub seris, & signis, ut præmittitur, reponi.

„ Item interim quo regina gravida esset, ita, quod de partus qualitate dubitaretur, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, & communitates, ducatus prædicti, ipsi Domino regi, Gubernatori homagium, seu fidelitatis juramentum præstare non tenerentur.

„ Item quod gratias, libertates, privilegia, & jura tam Ecclesiasticorum, quam secularium cujuscunque status, ducatus prædicti præservaret illibata. Item, quod jura provincialia, & municipalia non solveret.

„ Item si regina pareret filium, ipse rex, tanquam Gubernator seu tutor modo præmisso electus, si filiam, tanquam hæres, omnia & singula debita, seu credita, omnibus, & singulis subditis ducatus prædicti modo chirographorum continentia exsolvere teneretur, cum certis aliis capitulis, prout littera compactorum sigillo præfati Domini regis munitorum clarius in se continet: quæ capitula serenissimus Dominus noster rex emologavit, laudavit, & approbavit, ac per dignitatem principatus sui, & fidem suam, modo quo decet, juxta consuetudinem patriæ nostræ se principaliter obligare, de certa scientia per quatuor litteras suo sigillo munitas ejusdem tenoris, quarum unam Prælatis, aliam Comitibus, & Baronibus, tertiam Nobilibus, & reliquam communitatibus assignavit, observare solemniter stipulatus est, & promisit, hæredem masculum, si nasceretur, non ultra, quam quousque annos discretionis attingeret, sub gubernatione, seu tutela, ut præmittitur detinere, & tutelæ prædictæ, ac ducatui cum omnibus suis juribus, & attinentiis, sine qualibet contradictione cedere, illa ipsa etiam in libera potestate hæredis prædicti ponere, ac omnia, & singula puncta, & capitula in præfatis litteris contenta (1) obstruere, fraude, dolo in omnibus, & singulis penitus procul motis, cum adjectione clausulæ pennatis, quod in eventum, quo ipse aliquomodo posthumum prædictum, adeptis annis discretionis, impediret libertati tradere differri, nec non omnia, & singula capitula prædicta rata, & grata non observaret; quod tamen Deum avertere deprecabatur, tunc ipso facto omnes, & singuli Episcopi, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, clientes, cives, & plebei prædicti ducatus Austriæ se sibi opponere possent, nihilque sibi amplius ratione tutelæ prædictæ obligati essent, sed deinceps subesse, & obedire deberent hæredi posthumo, & omnes & singuli prædicti deberent ipso facto absoluti, & relaxati esse ab omni juramento, promissione, stipulatione sibi, tanquam tutori præstitis, ipse etiam, nec ullus alius vice sua deberet illi ipsis aliqua indignatione propterea moneri, promisit: denique nomine, quo supra, in præfatis litteris omnia, & singula promissa, rata, & inconcussa observare fraude, & dolo cessantibus singulis, & universis.

„ Contigit præterea, quod regina peperit illum serenissimum Ladislaum, tunc infantem, modo juvenem discretum nobilissimæ indolis, & sanguinis inge

(1) Apographum habet *obstruere*, quod omnino ambiguum est: rectius fortasse illi substituas *observare*.

„ genuosissimi, quem illustrissimus rex Fridericus sub pactis prædictis guberna- Annus Christi 1452.
„ re, & tueri incepit, qui & parvulus, & incunabulis - - - unctus, & coronatus est in regem Hungariæ, tanquam illius regni verus, & indubitatus hæres, & sic mater defuncta regina videbatur forsitan serenissimo regi Friderico, quod melius puerum, & ducatum Austriæ gubernare, & tueri volet suo sensu, quam juxta compacta prædicta, & nec infantem ali, & regi permisit juxta testamentum regium paternum, nec gubernavit ducatum juxta compacta, quia corregentes sibi juxta mentem compactorum nominatos, & deputatos parvi pendit, & sua voluntate singula fecit, castra, telonia, gabellas, & redditus inpignoravit, aliqua ad vitas suorum servitorum, & aliorum concessit, multas & insolitas novitates, & exactiones fecit, & non solum subditis ducatus, verum etiam aliis Prælatis, Principibus, & Nobilibus, qui eorum vindemia in Austria habent, novas exactiones, & inauditas imposuit, nec debita per serenissimum regem Albertum relicta, juxta testamentum exsolvit, propter quæ omnia, & singula ducatus ille multas & innumerabiles deprædationes, incendia, homicidia, incarcerationes, exactiones, & mutilationes hujusmodi sustinuit, & mille mala. Quo viso Hungari, & Bohemi inceperunt apud regiam Majestatem instare, quod daret libertati eorum regem, videlicet serenissimum Ladislaum, qui de jure, & consuetudine regni Hungariæ ab omni potestate solutus esse deberet, cum nefas esset dicere, quod illum, quem sibi in patrem, & regem unxissent, sub aliena potestate detineri deberet, cum ipse non regi, sed regere, non detineri, sed aliis libertatem dare posset. Quod serenissimus Dominus noster rex Fridericus abnuit, ac propterea Gubernator Hungariæ cum magno exercitu ducatum Austriæ invasit, & ibidem depopulationes, incendia, deprædationes, devastationes oppidorum, villarum, terrarum, homicidia, sacrilegia, & tot mala perpetravit, quod prius eloquentissimi lingua deficeret, quam illa omnia, & singula explicare posset. Induratus vero rex Fridericus in proposito suo serenissimum Ladislaum propterea non dimisit liberum, sed adhuc eum in suis castris tenet occupatum, & eundem jam a finibus ducatus Austriæ per Stiriam usque ad Carinthiam perduxit. O juvenis tyro! quem ante omnia experiri oportet bella, antequam poterit arma deferre.

Et quamvis Episcopi, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, cives, & „ plebei ducatus Austriæ illa summo cum dolore ferebant, sustinuerunt tamen „ patienter, sub pulchra spe, quod regia Majestas serenissimum Ladislaum, dominum eorum naturalem qui modo duodecimum annum proximo attinget tempore, ex compacto liberum dimitteret.

„ Verum patientia prædictorum eorum regem emollire, & vincere non „ potuit, quo minus Ladislaum desineret impedire, ut suæ libertati cederet, & „ ad possessionem ducatus Austriæ, & paterna suæ hæreditatis castra, & structissimam, & potentissimam ad illam videlicet inclitam urbem viennensem, quæ „ eum sitibunde exspectat, poneretur. Sed regia Majestas, volens suam apud „ dictum Ladislaum exercere voluntatem, nuper, postquam pro imperiali corona recipienda proficisci volebat, & pro libertate Ladislai per Barones, & „ Nobiles Austriæ fuisset requisitus, ipsum Ladislaum juxta compacta non „ solum non tradidit, sed etiam secum extra ducatum Austriæ, qui tamen in „ ejus finitimis prius alitus, & observatus fuit, in Stiriam & de Stiria ad Carinthiam usque perduxit, & prædictis postulantibus respondit, qualiter ipse „ esset tutor præfati Ladislai de jure juxta consuetudinem domus Austriæ, non „ obstante, quod ipse sit conditionalis juxta compacta præmissa, & quod testamentum dicti Alberti Romanorum ac Hungariæ regis sibi esset traditum, „ tanquam nullum, & desertum, ita quod opus non esset amplius aliquid juxta „ testamentum fieri.

„ Quamvis testamentum in ordinatione compactorum diligenter sit per „ deputatos pro conficiendis compactis inspectum, liberatum, & inspectum

„ ita

Annus Christi 1452.

„ ita quod Domina regina felicis memoriæ sibi Ladislaum, & coronam regni „ Hungariæ tradidisset, non attendens, quod regina contra dispositionem testa- „ menti, & contra tenorem compactorum nec coronam tradere potuerit. Et „ si hoc fecisset, inofficiosum jure merito deberet reputari. Item illis non con- „ tentus, in suis scriptis appellavit ducatum Austriæ suum, & omnes subditos „ illius tam nobiles, quam alios, appellat subditos suos, ac si nullus hæres „ superstes esset, prout hæc, & alia ex scriptis regio sigillo signatis, & muni- „ tis clarius poterit comprobari.

Quo responso recepto præfati postulantes ægre tulerunt, nimis dolentes, „ de naturalis eorum Domini impedimento; mox omnes, & singulos Prælatos, „ Comites, Barones, Nobiles, clientes, & communitates ad unam diætam in „ illam inclitam urbem convocarunt, & proposuerunt eis responsiones regias „ prædictas, ac seriem totius rei, qualiter cum serenissimo Ladislao Domino eo- „ rum vero, & naturali ageretur, revolventes juramentum fidelitatis inclito pa- „ tri suo, Domino Alberto Romanorum regi præstitum, quod etiam obligat ad „ fidelitatem bæredum masculorum, producentes etiam compacta roborata fi- „ de & sigillo Domini regis Friderici, quibus omnibus, & singulis per congre- „ gatos supra dictos debite masticatis, usi sunt licentia, quam eis serenissimus „ Dominus noster rex Fridericus in fine, seu conclusione compactorum largitus „ est, & se abstraxerunt ab omni sua obedientia, & publica, professi, amplius „ se velle obedire, & esse sub obedientia serenissimi Domini eorum naturalis, „ regis Ladislai, & ejus fidelitate stare, & peseverare. Et iterum dixerunt, „ et si illa duo regna Hungarorum videlicet, & Bohemorum petunt regem ipso- „ rum, nos quomodo silebimus, qui vicinius, & obnixius sibi attinemus, & „ adstringimur. Expedit nos conformare ipsis, ne dicatur nobis: *in propria ve- „ nit, & sui eum non receperunt.* Et unanimi voto concluserunt postulare regem „ & Dominum eorum naturalem, scribentes hæc regiæ Majestati omni intimatio- „ ne, quod amplius sub obedientia sua, ut tutoris, seu Gubernatoris, ut præ- „ mittitur, stare non vellent, sed uti eis licentia data vi compactorum, & „ supplicarunt conclusione, quod serenissimum Ladislaum, dominum eorum na- „ turalem dimitteret liberum, & eum poneret libere ad possessionem paternam „ ad illam insignem urbem viennensem, ac ducales ædes.

„ Item quod præfati Comites, Barones, Nobiles, & communitates bene „ intelligunt super præmissis, cum illis duobus regnis, videlicet Hungariæ & Bo- „ hemiæ, & cum marchionatu Moraviæ, nec non cum illustrissimis comitibus „ Ciliæ, & quam pluribus consanguineis Ladislai. Qui omnes corpus, & res „ exponere volunt pro liberatione Ladislai, & usque ad mortem inclusive pro „ ejus ereptione certare malunt, quam stare diutius orbati.

„ Item præmissis expositis supplicabit Domino Cardinali, quod illa accu- „ ratius quo poterit, fideliter adducat ad aures summi Pontificis, & apud San- „ ctitatem suam intercedat, quod Sanctitas sua apud regiam Majestatem inter- „ pellet, eundem informando, ut Ladislaum permittat liberum, adire pater- „ nam bæreditatem, rationibus, & motivis legitimis præmissis, ponderatis, & „ inspectis, ne propter impetum, quem Hungari, Bohemi, Moravi, Australes, „ Comites Ciliæ, & alii amici Ladislai pro ejus ereptione procul dubio facient, „ innumerabilia mala provenire contingat.

„ Ibi poterunt adduci omnia, & singula commoda, quæ provenirent „ ex eo, si serenissimus Ladislaus per regem sponte libertati daretur, & præ- „ sertim de conversione regni Bohemiæ, quia per communionem vitæ nostræ „ facilius possent ab errore converti, & hanc conversionem, seu communionem „ parturiret libertas Ladislai, bæc & alia, quæ diserto referenti occurrerent.

„ In eventu vero, quod serenissimus Dominus rex Fridericus adverte- „ re non vellet, quod tunc Sanctitas sua moveatur ad ejus importunitatem, „ quod manum quomodolibet ad hanc causam in eadem aliquid mandando op- „ ponat, quia illud forsitan non recipietur attenta multitudine, quorum interest,

„ qui

„ qui omnem animum firmaverunt ad eruendum Ladislaum, quod demum cederet in dedecus Apostolicæ auctoritatis, & exinde Sanctitas sua se regnis, ducatibus, & amicis Ladislai redderet suspectum, quod tamen nefas esset dicere in summum pontificem.

Annus Christi 1452.

Item daret occasionem regnis, ducatibus, & amicis Ladislai prædicti, „ quod se jungerent Francigenis, & aliis, quibus adhuc in pectore residet, velle habere concilium generale, & facerent unam congregationem, quæ summum errorem in Ecclesia universali inducere posset. Item quod Sanctitas „ sua patiatur illam causam, si rex juridice contendere velit, agitari coram principibus electoribus, ad quorum forum hæc causa directissime spectat. Item „ reliqua, quæ videbuntur conducere pro salubri expeditione causæ principalis, „ suppleat providentia, & discretio consiliariorum, & referentis.

Simul litteras ad Cardinalem, qui prius legati munere, in Austria functus est, adjiciunt.

„ Postquam his præsidiis ad dicendam Romæ causam legatus instructus „ esset, visum fuit præterea, Cardinalem, in quo spes suas reponebat, litteris „ convenire, ut de re multo ante, quam hic ad urbem veniret, edoceretur. Itaque Joannem Cnaber de Albersdorf virum & insigniter gnavum, & prompti in omnem eventum consilii, in Italiam cum his litteris præmisere. (1). *Reverendissimo in Christo Patri ac Domino Domino Joanni tit. sancti Angeli, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, Domino nostro gratiosissimo.*

Reverendissime Pater, & Domine gratiosissime! post recommendationem humillimam, paratissimum animum in singulis obsequendi. Cogitamus præterire non posse, quin illustrissimus Romanorum rex Fridericus, dum coram sanctissimo Domino nostro Apostolico comparebit, proponere faciet, qualiter negotia serenissimi Domini Ladislai, Hungariæ, & Bohemiæ regis se volvant, operæ pretium censuimus, quod Sanctitas sua avisata reperiretur, & cum in ea re nobis præcipue intersit, deliberamus omnem casum, quantum nos concernit, vestræ reverendissimæ paternitati aperire, quem integerrimum serenissimi Ladislai amicum fore non ambigimus, tum propter victoriosissimi Sigismundi imperatoris avi, tum propter illustrissimi Alberti Romanorum regis, divæ memoriæ patris suorum erga sacram Sedem Apostolicam, & ejus præsidentem merita, tum etiam maxime propterea, quod illum ipsum tunc puerum optimæ indolis, nunc juvenem ad discretionis annos hinc perventum ulnis vestris amplexati estis, ut deinceps sanctissimum Dominum nostrum de singulis causæ ipsius circumstantiis non solum clarius informare, verum etiam ne in præjudicium status sui ob importunitatem regiæ Majestatis, quæ ipsum detinet, aliquid attentetur, rationabiliter defendere possitis. Suscipite igitur quæsumus reverendissime pater onus hujusmodi in vos, quod vobis ob fidei puritatem, quam in reverendissimam vestram paternitatem gerimus, pro defensione serenissimi Ladislai, naturalis Domini nostri a nobis defertur. Cum vos præmissis & aliis respectibus præcipuum patronum sibi elegimus, pulcherrima spe freti, ut nobis, supplicibus vestris, illud abnuere non debeatis. Quod demum ille serenissimus hæres, herus noster, qui modo per regiam Majestatem detinetur, libertati datus, erga sanctam Sedem Apostolicam, sanctissimum dominum nostrum paternis inhærens vestigiis satagit fideliter recognoscere. Nos erga paternitatem vestram reverendissimam deservire non omittemus. Venerabilis, & egregius vir Joannes Cnaber de Albersdorf in decretis licentiatus, præsentium cursor paternitatem vestram reverendissimam de præmissis omnibus, & singulis, prout a nobis in mandatis habet, clarius informabit; cui precamur, attente, uti nobis ipsis, in referendis pro hac vice dignemini præbere creditivam. Hæc ordines Austriæ ad Cardinalem, qui prius legati munere apud eos præclare functus erat, spe certissima ducti, illius opera, quidquid Fridericus Romæ contra moliturus esset, dissipatum iri. His suas quoque litteras procerum nomine ad curiales scriptas Eyczingerus in hæc verba adjunxit. (2)

Eyczingerus sociorum nomine ad

„ Pa-

N

(1) Ex Codic. Ms. Mellicensi pag. 27.
(2) Æneas Sylvius in rebus Friderici. *Annal. Reg. Hungar. Pars IV.*
Tom. II. analect. Bibl. Vindob. cl. Kollarii.

Annus Christi 1452.

Papæ curiales quoque scribit.

„ Patribus in Christo venerandis, virisque præstabilibus Romanam curiam sequentibus, Ulricus Eyczinger capitaneus, universique proceres, & incolæ ducatus Austriæ S. P. D. Impellit nos sæva & insolita tyrannis Friderici cæsaris ad vos pauca scribere, quæ ob reverentiam tanti nominis libenter tacuissemus, si nobis, & inclito Domino nostro Ladislao regi Hungariæ, atque Bohemiæ silentium ipsum nocumento non esset. At ubi grassatur injuria, non potest deesse querela. Plurima sunt, quæ dure, & insolenter contra nos Fridericus hactenus egit, quæ non est propositum singula prosequi, ne vestras aures nimium teneamus, sed accipite ista ex multis, quæ vestras in litteras, de moderni cæsaris æquitate, regalique magnificentia scribere, aut, cum illuc veneritis, referre possitis, gaudeatisque nostra ætate tam pium, divinumque cæsarem cœlitus esse datum. Accepit hic Fridericus, tutelam Ladislai regis, & in hanc usque diem gessit. Pudet dicere quam misere regius sanguis educatus sit; quo cibo, qua veste retentus: castra, & vectigalia pignori concessa, thesauri asportati, hæreditas ejus omnis expilata. Toleravissemus tamen hæc omnia, si non pejora emersissent. Sed audite facinus ingens, & abominabile. Cum statuisset Fridericus Romam petere, ut Augustalem coronam acciperet, rogavimus eum, dominum nostrum apud nos dimitteret, ut ex voluntate paterna gubernaretur, & noluit. Sed puellum tenerum XII. annos natum, delicatissimæ naturæ, ad gravem Italiæ auram secum duxit, ut quem ferro non audet extinguere, cœli mutatio perimat. O nobilissimum sanguinem de Burgundia, & Hollandia derivatum, siccine duceris, ut tua nece locum alteri facias? ecce, qui coronam imperii petit, mirum est, si vos curiales universi non acclamatis. Ut macula quavis careat, sitque virtute præditus omni, oportet, qui Romanæ reipublicæ præficitur imperator. At qui suum sanguinem persequitur, quo pacto dignus imperio videri potest? assurgite, oramus viri prudentes, reclamate, curate, ne tantum dedecus admittatur. Namque, si Fridericus imperio potitur, sceleratis quibuslibet ad honores patebit aditus, nullumque posthac viris bonis in republica refugium patebit. Quod malum ut vestra prudentia totis conatibus avertat, pro communi saltem christiani populi, nostroque speciali commodo iterum, atque iterum obsecramus. „ Ut plenæ erant seditionis, atque calumniarum litteræ, ita bono cæsaris, posteaquam legatus ad eum Senas pervenisset, interceptæ. Sed his postea suus quoque locus erit.

Cæsar cum sponsa Romam pertigit.

Dum hæc in Austria fiunt, Fridericus peragrata jam Italia, ad idus martias Sutrio cum sponsa movens, eodem die Romam contendit. Ut illo perventum est, unde urbs latissime spectari potest, obvios Romanos Principes cum sacro Cardinalium collegio habuit, qui illius salutandi causa extra muros profecti sunt. Acceptis, redditisque officiis, Cardinales pauca privatim cum Friderico collocuti urbem cum Ænea, ex quo hæc depromimus, petiere: cæsar pro more noctem primum, tum, ut apparandis rebus justum spatium daretur, triduum foris cum suo comitatu exegit. Erat hic ex quinque millibus hominum, magnamque partem ex Germaniæ principibus, variarumque gentium nobilibus præcipue conflatus, qui metatis extra muros castris, qua moles Hadriani portæ conjungitur, speciem justi exercitus intuentibus objecere. (1)

Po-

(1) Andr. de LAPITZ consiliarius Friderici, & Burgravius urbis Styræ in Ms. Schallenbergico, ut id habetur apud Ill. lust. comitem A WURMBRANDT in collectaneis hist. genealog, ita de hac re scribit. Da wir gehen Rom einzogen, das war in der ersten Vastwochen, da hetten wir fünf tausend geraisige Pferde, schlugen uns zefeld vor Rom in einer schönen Wiesen, lagen bies an dem dritten Tag da, darnach zogen wir ein, da kamen etlich Cardinal entgegen, und Papst Nicolaus volck gar khostlich, und mit grossen Haufen, all in Harnisch, Papst selber zog uns auch entgegen bis zu der Engel Purckh, da wars gros Gedrang, und vil mancherlei Volck, da geschah, dem Keyser von den Romern, und Papst grosse Ehre. Wir führten mit uns die Keyserin, und Künig Lasslaw, wars ein Künig in Ungerland, und zu Beheim.

Annus Christi 1452.

Ingressus ordo & pompa

Postea, quam rite omnia ex more Romano procurata fuissent, hic in urbem eundi ordo est habitus. *Duo*, ut Sylvius scribit, *cæsaris vexilla fuerunt, alterum quod sancti Georgii vocitant, id veteri more Suevorum custodiæ deberi ajunt, apud quos militia sancti Georgii, robur imperii non parvum ducitur: deinde vexillum aquilæ, quod monstrum ignorantia nostri seculi introduxit, quæ duplex Romanum imperium orientale, atque occidentale duobus designari capitibus pulchrum existimat, neque melius unum toto terrarum orbe diffusum, naturalis aquilæ forma monstrari censet; ingrata res cæsari fuit, consuetudini tamen paruit, & circa ipsum egregii quam plures equites, quorum ductor fuit comes Magdeburgensis - - tum principum, atque civitatum legati.* (1) - - *Præcedentibus ergo, qui signa tulerunt equitibus, nobiles ex Alemania, Hungaria, Bohemia secuti sunt, qui togati aderant: post eos, Italici generis insignes viri: abinde Romani cives, tum Barones, demum legati Lucani, Ferrarienses, Montis ferrati, Senenses, Florentini, Mediolanenses, Veneti, Portugalenses, Arragonenses. Subinde rex Ladislaus venit, suos circa se ministros habens, & aliqui apud eum ex Germania generosi comites fuere.*

Inter ipsum autem, & cæsarem, senatori, & præfecto urbis datus est locus; quippe, quod his ex officio competere ajebant, postquam urbem cæsar intrasset, ejus equum manu regere. Mareschalhus nudatum ensem ante cæsarem tulit: post cæsarem proximi fuere Episcopi, Senensis, Gurcensis, Ratisbonensis, Tergestinus, & reliqui consiliarii, comites, ac barones. Vacuus exinde ad decem passus locus mansit, in quo primo fuere ministri nobiles imperatricis, demum Conimbricensis Episcopus, ac Marchio Valentinus imperatricem proximi antecedebant, & cum his Albertus Pusendorfius magister curiæ. Ipsam vero multi pedites solam ducebant, post plurimæ matronæ, virginesque, non minus facie, quam vestimentorum ornatu demirandæ sequebantur. Novissimus omnium equitatus Apostolicus incedebat. Tubarum clangor multis in locis assiduus exaudiebatur. Ubi ad portam ventum est, Episcopus Spoletanus, vicarius pontificis, ac plurimi coepiscopi, & Abbates infulati, venerabiles sanctorum reliquias in processionem ferentes occurrerunt; cæsaremque sub aureo panno, quem sive umbraculum vocitant, sive baldachinum, introduxere usque ad gradus Basilicæ sancti Petri præcedentes. Ibi Nicolaus pontifex sede sedens eburnea, pontificalibus ornamentis indutus, senatu Cardinalium circumstante, multisque aliis prælatis, ac magnatibus Italiæ coronam facientibus, gratissimo vultu, verbisque paternis, & supra modum benignis Fridericum suscepit.

Qui pedibus ejus, ob reverentiam Salvatoris Christi, beatique Petri memoriam, exosculatis auri massam obtulit. Deinde pauca verba suo nomine Æneam episcopum dicere jussit, ut in congressu duorum orbis capitum convenire videbantur. Tum quoque & rex Ladislaus, & Albertus Austriæ dux, atque ipsa demum imperatrix sacros pontificis pedes, & alii quam plures tum viri, tum mulieres nobiles sunt osculati. Quibus peractis imperatrix in domum sibi præparatam se recepit: papa, & imperator invicem colloquentes, omni turba sequente, usque ad fores Ecclesiæ simul processerunt. Papa deinde cum Cardinalibus palatium ascendit: imperator cum suis comitibus ad aram beati Petri profectus, postquam parumper oravit, templique magnitudinem & ingentium columnarum molem demiratus est, in habitationem, quam sibi pontifex in palatio suo, magnificentissime præparaverat, per noctem, quæ prope aderat, quieturus abiit.

Friderici, & sponsæ coronatio, hujusque ritus.

Hactenus Æneas, qui ejus pompæ pars, & spectator adfuit. Postera ab ingressu die, dum de suscipienda corona cæsar cum pontifice ageret, placuit eandem diem designari, qua Nicolaus olim pontificiam coronam adeptus est, ut qui dies papæ sacer, idem quoque cæsari solemnis deinceps esset. Igitur cum præstitutum tempus appropinquaret, diligentissime omnia, quæ ad augustalem solennitatem attinebant, procurata sunt. Juvat coronationis seriem, quod rari postea exempli fuit, neque antea a nostris, qui illi intererant, oculis usurpata, Æneæ verbis ad posteriorum memoriam referre. *Rebus omnibus*, ait ille, (2) *apparatis*,

N 2 Ro-

(1) In rebus Friderici loco laudato.

(2) In rebus Friderici III. eodem loco.

Annus Christi 1452.

Romanus pontifex ante summam beati Petri aram in sublimi throno consedit, cardinalibus dextram ejus, episcopis, ceterisque prælatis sinistram tenentibus. Extra cancellum duo pulpita fuere: Friderico alterum, Leonoræ alterum deputatum, servatis ostiis, unde introitus ad aram pateret. Et Leonora quidem cum dominabus maturo tempore suum pulpitum ingressa omnium oculos in se convertit, virgo non minus naturæ bonis venusta, quam arte. Fridericus per aliquos cardinales ad capellam ductus, quæ intra turres dicitur. Ibi jusjurandum beato Petro, & Nicolao pontifici, suisque successoribus in ea forma præstitit, qua Ludovicum Caroli magni filium jurasse pontificum decreta confirmant. Ibi quoque & alba indutus, in canonicum sancti Petri receptus, confratribus, qui aderant, canonicis osculum dedit. Nec mora: inter cardinales medius incedens ad præcipuam ecclesiæ portam cum venisset, ibi per Petrum Sancti Marci cardinalem, Eugenii IV. nepotem solemni benedictione coopertus est: deinde capellam sancti Georgii ingressus sandalia tulit, tunicellam induit, & augustale paludamentum accepit. Mox ei in medium Basilicæ profecto per alium cardinalem benedictio superfusa est; tertiam quoque benedictionem apud cancellum sancti Petri suscepit. Exinde ductus ad altare sancti Mauritii per cardinalem Portuensem, tunc vice cancellarium, - - - in scapulis, atque in dextro brachio pro veteri more oleo sacro linitus est: iisdemque locis inuncta est conjux ejus Leonora. Quibus peractis ambo in sua pulpita transierunt: pontifex autem rem divinam incboavit, interque celebrandum diversæ solemnitates a priscis inventæ patribus servatæ sunt. Sceptrum, quo regia potestas indicatur, pomum, quod mundi dominum ostendit, ensis, qui belli jura demonstrat, per varias vices data. Postremo corona aurea insulata, preciosisque cooperta gemmis cæsareo capiti imposita. Imperatrix quoque post cæsarem coronam ex manibus pontificis accepit, quam conjugis Sigismundi fuisse constabat. Cæsar autem, quamvis ornamenta sibi precio incredibili comparasset, in hanc tamen solemnitatem, pallium, ensem, sceptrum, pomum, coronamque Caroli Magni - - ex archivis Norimbergensibus ad se deferri curaverat, hisque usus est. - - - Dum autem cæsareo capiti Nicolaus coronam adjicit, mitra pontificalis ex ejus vertice pene collapsa est: quod sinistrum omen pontifici nonnulli suspicati sunt. - - - Ut autem coronationi, divinisque rebus finis impositus est, Leonora in suas ædes secessit: papa, & imperator ad gradus Basilicæ simul venerunt. Ibi pontifex equum ascendit, eique cæsar ministri ad fræna officium per aliquot passus pedes exhibuit, equoque deinde conscenso usque ad ecclesiam sanctæ Mariæ in Cosmedin, una profecti sunt. Cum ea die aurea rosa de more benedicta esset, eamque manu pontifex gestaret, illic imperatori ipsam tradidit. Papa quidem in palatium rediit, cæsar in pontem Hadriani profectus est, ubi Albertum fratrem, pluresque duces & comites ad militiæ provexit honorem, ter quemque plano gladio verberans. Atque hi fere ritus sunt, quos in coronandis Romæ augustis, observare veteribus in more fuit.

Finita coronatione Ladislaus Hungariæ rex orationem ad papam, & cardinales habet,

Transactis magna pompa solemnibus, quiddam memoriæ proditum comperio, quod non prorsus nihil ad annales nostros attinet, magnumque tum Hungaris nomen apud Italos conciliavit. Imperator cum ab accepta corona Nicolaum, & cardinales prius, quam Neapolim proficisceretur, splendidissimo comitatu adiret, pontifexque, ut honorem haberet cæsari, tam sacri, quam profani ordinis viros principes confertissimo numero sibi præsto esse juberet, Ladislaus postumus, seu imprudente Friderico, sive conscio id patratum sit, ut primum eam virorum coronam ingressus est, ad summum pontificem, nihil id modi suspicantibus ceteris, orationem in hæc verba ex superiore loco habuit. (1)

Quæ hujus modi, fuit.

„ Cum anidmadverto Beatissime Maxime Pontifex, me apud inclitos pedes
„ Sanctitatis tuæ constitutum, quæ inter mortales Dei omnipotentis vicem gerit, co-
„ ram hoc sanctissimo senatu, ad quem illustrissima totius mundi sidera, atque ho-
„ mines doctrina, & sanctitate lectissimi convenerunt, non injuria equidem in
„ tanta rei magnitudine subsistens, unde initium orationis summam, quibus ver-
„ bis te unicum christianorum principem, te regem regum, atque in terris
„ Deum adorem, non facile constituere possum. Hæc enim sancti numinis præ-

sen-

(1) Bzovius Annal. Ecclesi. ad annum præsentem.

„ fentia, hic tam celſus audientium cœtus, eruditiſſimum quoddam, elegans- Annus
„ que dicendi genus exquirit, cui me, & ingenio, & eloquentia longe imparem Chriſti
„ eſſe cognoſco. Quare tacendum exiſtimarem, ne tantam provinciam aggrede- 1451.
„ rer, in qua etiam ipſius Ciceronis, aut Hortenſii robur exſudaret, niſi admi-
„ rabilis tuæ Sanctitatis clementia collapſas ingenii vires, & ſuccumbentis humeros
„ ſublevaret. Quæ cum omnibus ad ſe integra mente converſis, incredibili be-
„ nignitate patere non deſinat, mihi quoque, ut confido, conſuetæ manſuetudinis
„ aditum non præcludet. Te namque beatiſſime pater, non ſine ratione Beatiſſi-
„ mum appellamus, quem admiranda probitatis, omniumque virtutum merita,
„ incorrupta vitæ integritas ad hanc eminentiſſimam ſedem, jure optimo extule-
„ runt. Quis enim in ea dignius potuit collocari, quam ille, quem a primis an-
„ nis cœleſtem vitam ſemper egiſſe conſtat, qui pro chriſtiana religione, per in-
„ numeros caſus, per varia itinera, per diverſas mundi provincias, omnem æta-
„ tem in maximis laboribus, in omni rerum difficultate contrivit, in cujus pe-
„ ctore omnes liberales artes, omnes ſcientiæ, & præſtantiſſima inprimis ſacra-
„ rum litterarum doctrina patrios, ut ita dixerim, penates ſibi a tenera ejus æta-
„ te conſecrarent. Tu inquam digniſſime militantis eccleſiæ es caput, quæ non
„ ſine ratione ad triumphantis exemplar dicitur ordinata. Nam ut in illa unus
„ Deus creator omnium ſceptrum tenet, ita & in hac tibi uni tantum Dei vicario
„ totius orbis imperium delegatum eſſe conſtat. Ut enim ſancta fatetur eccleſia,
„ conſtituit dominus pontificem ſuper gentes & regna, ut evellat, diſſipet, &
„ plantet. Quamquam non ignorem complures hoc in dubium revocare diſſeren-
„ tes, ſolam rerum ſpiritualium curam ſummo pontifici datam eſſe, terreſtre au-
„ tem imperium romano datum imperatori affirmantes. Quid enim aliud creden-
„ dum eſt, Chriſtum ſignificare voluiſſe, dum ad ſe Petrum ſolum ſupra mare vo-
„ cat, dum ei ſupremam ligandi, atque ſolvendi facultatem conceſſit, dum ſibi
„ chariſſimi gregis curam demandavit? unum certe in terris principem conſtitue-
„ re voluit, qui ſummi Dei vice, ac poteſtate inter homines fungeretur. A quo
„ una vera ſapientia, vera fides, ad reliquum humanum genus perveniret. Con-
„ ſiſtit enim in hoc uno chriſtianæ fidei ſacramentum, cui ſcilicet ſoli Dominus di-
„ xit: *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, &c, tu aliquando converſus*
„ *confirma fratres tuos.* Tuam igitur Sanctitatem, atque Domini noſtri locum tenen-
„ tem in terris, & magiſtrum, & ducem univerſalis eccleſiæ recognoſcimus omnes:
„ te certum & indubitatum beati Petri ſucceſſorem, te paſtorem Domini gregis,
„ te ſanctorum evangeliorum verum interpretem, te doctorem ſalutaris vitæ, &
„ denique clavigerum regni cœleſtis profitemur. Quo fit beatiſſime pater, ut mi-
„ hi quidem lætiſſimam omnium hodiernam diem illuxiſſe ſentiam, in qua divini-
„ tus datum eſt, & tantum, & tam præſens numen intueri, colere, & ſaltem
„ integra mente, ac vera fide venerari. Cum enim Sanctitatem inter hos felicif-
„ ſimos, ac cœleſtibus perſimiles aſtantium ordines, in hac ſublimi ſede apoſtoli-
„ ca collocatam ſuſpicio, nihil aliud profecto, quam ſupernam illam in terris
„ majeſtatem videor admirari. Majores etiam mei, qui vel Hungariæ, vel Bo-
„ hemiæ, vel Auſtriæ præfuerunt, hujus diviniſſimæ ſedis præcipui ſemper ama-
„ tores, & cultores fuerunt. Et cum omnes ſacræ litteræ Deum colendum clami-
„ tent, huic me primum dabo, commendaboque. Hic meus eſt auctor, meus
„ dominus, huic omnia debeo. Cumque omnes homines Deo gratias referre de-
„ beant, ego illi majores habere, & ſervire teneor; cujus munere factum eſt,
„ ut ego rex naſcerer. Poteram ergo unus ex plebe, aut unus ex rure naſci;
„ ſed inſcrutabile Dei judicium me collocat in ſublimi ſolio. Non efferri debeo,
„ non tumeſcere, non ſuperbire: quod mihi datum eſt, alteri dari potuit, quan-
„ to major ſum natus, tanto me debeo humilius gerere, & ſubjicere collum re-
„ ligioni, intereſſe divinis officiis, nam cui divinus cultus eſt cordi, reliqua faci-
„ le famulantur. Primum quærite regnum Dei, dicit ſcriptura, poſt hæc omnia
„ adjicientur vobis. Romani quamvis gentiles erant, omnia tamen poſt religio-
„ nem duxerunt, in quibus etiam ſummæ Majeſtatis decus conſpici voluerunt;

Annus Christi 1452.

„ nec dubitarunt facris imperia fervire, - - - Quod nos veri Dei notitiam habentes magis facere decebit. Cavebo igitur, ne mihi religionem putem fubjectam, quamvis magni principis nomine gaudeam. Non dominus, fed filius ecclefiæ, facerdotis imperio in his, quæ Dei funt, fubjectus fum. Theodofius cæfar, quamvis potentiffimus effet, & Romanum gubernaret imperium, Ambrofio tamen Mediolanenfis ecclefiæ præfulatum tenenti collum fubjecit, imperatamque pœnitentiam humiliter peregit. Conftantinus autem maximam reverentiam facerdotio præbuit, nec judicium fuper epifcopis in concilio Nicæno ferre voluit, afleverans, Deos ab hominibus non effe judicandos. Eorundem chriftianorum principum veftigiis inhærendo facerdotium fumma reverentia profequi non poftponam, ad quod natura, & ipfe Dominus omnipotens greffus meos ab ineunte ætate direxerat, ad quod omnes conatus, omnia defideria, omnes cogitationes animi mei femper profpexerunt. Ego tandem me ipfum, dominia, & regna, quæ mihi hæreditario jure debentur, tuæ clementiæ, tuæ fidei, tuæque protectioni commendo, pro cujus tuæ Sanctitatis feliciffimo ftatu nihil unquam arduum, nullum periculi, nullum laboris, & difficultatis genus recufabo.

Ea ab Italis ingenti applaufu accepta, Fridericus reditum apparat.

Accepta eft Ladislai oratio, tametfi a pædagogo pro pueri ingenio, confectam poftea patuit, ingenti omnium acclamatione, & indolis elegantiam, & perfpicaciam mentis vehementer in eo admirantium, fuitque poftea in vulgo, quam rei fama increbuit par populi, Ladislao Hungariæ regi felicitatem precantis, quam haud ita dudum ob coronatum Romanorum imperatorem lætitia. Ceterum Fridericus, quod antea a nobis memoratum eft, cum ad regem Arragonum invifere vellet, accepto a pontifice commeatu, relictoque Romæ Ladislao, Neapolim profectus eft. Ubi exactis verni jejunii diebus, maximisque officiis exceptus Romam magno pontificis gaudio incolumis rediit. Apud quem cum de Auftralium rebus, belloque Turcis inferendo, quod Italiam petiturus Hungaris promiferat, magna induftria per Æneam agit, neque quidquam, præter auxiliorum pollicitationem obtinet, futuro itineri omnia præparari jubet, adiensque poftremum pontificem, Ladislaum quoque, ut papæ honorem haberet, fibi adjunxit: cui cum pontifex ob cardinales, qui plures adhuc audiendi erant, longius colloquium negaret, puer rex in hæc memoratu digna verba erupit: *at cardinales tecum, o maxime pater, femper habebis, me autem femper non habebis.* Quæ vox & admirationem pontifici movit, & magna a Romanis laude celebrata eft. Fridericus poft hæc, actis Nicolao gratiis, datisque muneribus, eo, quo venerat, comitatu ex urbe Florentiam difceffit. (1)

Florentiam tenens ab Hungariæ, Auftriæque legatis convenitur.

Hic ei confœderatorum legati, quod Senis cæfarem adire verebantur, jam multo ante præftolati funt. Nam ubi oratorem, quem cum litteris ad fummum pontificem ab Auftralibus miffum fupra memoravimus, a cæfare interceptum, provinciales comperiffent, alios, qui in eadem caufa ad Nicolaum, & Fridericum adirent, eofque ex Hungaria, & Auftria graviffimos viros miferunt; inter quos Auguftinus Jaurinenfis epifcopus facile primas tenuit. Hi, cum primum cæfarem Florentiam adveniffe intellexerant, ut coram admitterentur, per Palatinales agebant, fed rejecti a Friderico, quod eorum poftulata jam animo præcepiffet, recta ad pontificem Romam contendunt, litterasque Hungarorum, Auftralium, ac Moravorum nomine fcriptas Florentiæ in hanc fententiam relinquunt. (2) *Sæpe*

Non admiffi litteras ordinum nomine ei fcribunt.

tuam majeftatem cæfar oravimus, regem noftrum Ladislaum ad nos ut dimitteres, fua dominia recturum, quod fine ejus præfentia diutius effe non valebamus. Tu vero fpretis precibus noftris, in alienas regiones nobilem fanguinem, fpem, pacem, falutemque noftram abduxifti. Id nobis ægre eft, neque feremus amplius tuam infolentiam. Omnium noftrum una fententia eft, dominum noftrum tuis e manibus vendicare. Si dederis eum bona voluntate, gratias tibi habebimus, curabimusque inter tuam majeftatem, noftrumque

(1) ÆNEAS SYLV. in rebus Frider. III loco fæpe laudato.

(2) Idem. Ibid.

Annus Christi 1452.

que regem stabilem amicitiam, æternumque fœdus esse: si negaveris, faciemus, quæ fidelibus subditis pro suo domino incumbunt. Si bellum sequatur, vastabuntur agri, cædes, incendia fient, earum ex te prodire causam scito, qui justæ petitioni nostræ non annueris. Cetera ex oratoribus nostris intelliges, quibus ut audientiam fidemque præbeas, rogamus. Vale. Intellexit cæsar, quemadmodum postea evenit, sibi bellum indici, nihil tamen ad litteras respondit, ratus ab pontifice, quem de Australium turbis jam prius certiorem reddiderat, provincialium legatos parum humaniter acceptum iri.

Et Romam ad pontificem proficiscuntur: Jaurinensi episcopo ceterorum partes agente.

Illi interea magnis itineribus profecti, Romam haud multos post dies pervenere: ubi cum eis a Nicolao, & cardinalibus palam senatus datus esset, Augustinus Jaurinensium episcopus, legationis causas, modumque in hæc verba explicuit. (1) *Mandatum pridem suscepi laborem, quem hodierna jubet explere dies, tibi scilicet beatissimo patri, reverendorum in Christo patrum archiepiscoporum, episcoporum, singulorumque Prælatorum, nec non & magnificorum Gubernatoris, & spectabilium, ac generosorum, strenuorum, nobiliumque comitum, baronum, militum, ac communitatum amplissimi Hungariæ regni, ducatusque Austriæ clarissimi, illustrium etiam principum Friderici, & Ulrici Ciliæ, Ortenburgæ, Sagoriæque comitum, nec non regni Sclavoniæ banorum, pandendi desideria, qui Sanctitati tuæ per hos celebres suos, & me pusillum, quos cernis, oratores in conspectum humilius comparere, & loqui statuerunt, offerentes devotis cordibus debitam obedientiæ, & reverentiæ puritatem, ac ad devotissima pedum oscula beatorum, rogantesque fidem, sanctitatem tuam reverendis adhibere litteris, mediis credentialibus, sigillis eorum munitis, quas omni cum reverentia legendas exhibeo.* Lectis palam litteris, quibus fidem sibi, & oratoribus conciliaret, ad rem ipsam, cur venisset, dicendam aggressus, multaque de pontificum in christianos auctoritate, tum dissidiis, quibus Austria cum finitimis regnis hactenus conflictata esset, præfatus, dissidiorum causas, ortumque in hanc sententiam explanavit. *Olim namque gloriosæ memoriæ Albertus Romanorum, Hungariæque rex, viam ingressurus universæ carnis, testamento solenni ordinato, ususque facultate, & jure vi concordatorum inter quondam suum, & dicti Romanorum regis avos, & patrem suum, patremque & patruos regis, sibi competente, inter cetera decrevit, quod si Elisabeth uxor sua, quam decedens gravidam relinquebat, filium masculum pareret, illius, & terrarum, & dominiorum suorum cura ad eandem, & seniorem ducem pro tunc Austriæ, & alios per regna, & principatus suos deputandos, cura, & gubernatio pertineret, adjiciens eundem postumum suum in Posonio, tanquam Hungaris, Bohemis, Australibus, & Moravis plurimum accessu commodoso educandum. Præfata autem Elisabeth regina limites facultatis suæ excedens, filium Ladislaum, postea in regno Hungariæ natum, unctum, & coronatum, adhuc infantulum una cum sacra corona Hungariæ ad manus, & terras patrimoniales illustrissimi principis Friderici, contra voluntatem, & absque consilio regnorum, & principatuum suorum, contra præfati testamenti dispositionem tradidit, dicta regna, & principatus plurimis discordiis, & guerris involvendo. Ab eo enim tempore præfatum regnum Hungariæ externis Turcorum bellis miserabiliter devastatum, ac laceratum, intestinas etiam guerras infinitas, ut ita dixerim, perpessum est: &, ut omnes opinantur, nisi magnanimi viri Joannis de Hunnyiad, ejusdem regni magnifici gubernatoris providentia, ac vigilantia conservatum foret, ad ultimum omnium miseriarum perductum crederetur. Ducatus etiam nobilis Austriæ, quantis incendiis, latrociniis, rapinis, ac quarumcunque devastationum, depopulationumque variis generibus dissolutus, & exinanitus existat, verbis nequaquam explicare potero. Quibus omnibus malis, & summis angustiis, absentiam, aut carentiam carissimæ prolis, Ladislai regis, ac ducis sui, dicti patres, & proceres causam, & fomentum dare opinati, sæpe, & repetitis vicibus, summis instantiis, jam litteris, jam nunciis, & solemnibus ambassiatis, jam armata manu, plurimo sumtu dictum illustrissimum regem suum Ladislaum, eorum, ut dixi, in regno conceptum, natum, unctum, & coronatum, e manibus gloriosissimi principis Friderici, tum Romanorum regis eripere conati sunt. Quod e[illegible] majores Bohemiæ, Austriæ, ac Moraviæ pluribus, iteratisque vicibus multa cum [illegible]antia quæsiverunt,*

(1) Ex Cod. MS. Mellic. num. 13. fol. 238.

Annus Christi 1452.

verunt, quæ res hactenus, nescitur quo motivo aut colore, finem minime sortita est effectum. Quin imo Serenitas sua in magnam turbationem, & detrimentum dicti regni Hungariæ, multos regales annuos census, & redditus, & plura ipsius fortalitia occupavit, & adhuc hodie sine omni jure tenet occupata, & nonnulla ipsorum plurimum magnifica, & reddituosa, quantum in se est, quibusdam suis satrapis alienavit, vendidit, & donavit. Nunc autem nostræ mortalitatis supremus moderator, cujus est finaliter non deserere, sed gementes, ac lacrimantes consolari, desperataque, & incredibilia perficere, inspiratione sui divini numinis, inveteratam discordiam ad salutarem unionem, & indissolubilem colligationem reducere dignatus est. Sæpe fati enim magnates, ac proceres, qui hactenus diversis, immo & quasi contrariis votis ducti, hac in re concordare minime valuerunt, jam unanimi, & cælitus inspirata sententia pensantes, nimiam patientiam hactenus adhibitam, sibi in contumeliam, & apud exteras nationes ad infidelitatis notam converti, prædictosque principatus ad irreparabilem lapsum, & extremum omnium malorum vergere, revolventes etiam pius suspiriis beneficia, & amplissima merita divorum principum, Alberti patris, & Sigismundi avi, ceterorumque progenitorum dicti regis Ladislai, videntesque ipsum teneræ adhuc ætatis, & tenerioris utique complexionis, in sui ipsius, principatuum suorum vilipendium, ac plurimam ignominiam, imbribus, & nivibus summo corporis periculo ad latini aeris, sibi inimici intemperiem, contra paterni etiam testamenti ordinationem procul abduci, his proximis diebus in urbe Vienna solenni indicta diæta, interpositione, ac sigillorum roboratione fidelissime colligando convenere, sæpe fatum regem, ac dominum suum Ladislaum e manibus gloriosissimi principis Friderici Romanorum regis, aut cujuscunque alterius, usque ad extremas corporum, & rerum vires, veluti fideles vasalli, & subditi, ut tenentur, liberare, prout in illa salutari, & roboratissima liga plenius dignoscitur contineri. Ut huc oratione delapsus est episcopus simul fœderis tabulas, quas eum in finem attulerat, quarumque ad annum præteritum mentio a nobis facta est, pontifici exhibuit. Qui tametsi eas severo vultu accepisset, orator nihil periculi metu consternatus sermonem porro ita pertexuit. *Et ut præfati gubernator, & majores Hungariæ regis sui debitæ, ad quam jure fidelitatis obligantur, liberationi efficacius, & salubrius intendere queant, bellum, quod Turcis inferebant in sui regni, immo totius christianitatis dedecus, treugi suspendere sunt compulsi. Et licet beatissime pater! dicto illustrissimo principi Romanorum regi absenti, plurima damna inferre, ac fortalitia sua occupare potuissent, ab eo tamen maturi consilii, & processus tramite, hoc usque in tempus observato recedere volentes, non autem quasi majestas sua super prædictis requisita ea adimplere recusaret, vel Sanctitati tuæ res gesta plenius exponeretur, arma movere quoquo modo decreverunt, in hoc præcipue tuam Sanctitatem, illamque sacram imperialem coronam, pro qua suscipienda hanc summam Romanam urbem ille petiit, contemplati, & quantum in eis est, pacem cum omni homine affectantes, quamlibet viam, per quam Sanctitas tua eos materiam, vel occasionem bellis, vel guerris dare poterit, forte suspicati, juxta possibilitatem hucusque excluserunt, & quantum fieri poterit, salva semper honoris, & famæ pudicitia, quam circa regis, & ducis sui liberationem possidere nequeunt, in futurum etiam excludere firmiter proponunt. Nec opinetur Sanctitas tua, prælatos, barones, nobiles, & communitates ducatus Austriæ ab ea obedientia, quam hactenus gloriosissimo principi, Friderico, veluti administratori ducatus illius præstiterunt, cum famæ suæ jactura, aut nota quoquo modo recessisse, cum hoc eis virtute compactatorum, secum ante administrationis suæ ingressum initorum, licuisse clarissime ostendatur. Quibus compactatis sæpe dictus princeps gloriosissimus Fridericus omnia negotia ducatus expedire, & gubernare omnes, etiam officiales, & rectores communi consilio eorum, quos incolæ patriæ in hoc sibi adjunxerunt, instituere, nilque de bonis, clenodiis, aut munimentis patriæ distrahere, aut alienare, fidei, & sigillorum roboratione promiserit. Quibus pactis postea qualitercunque non servatis, facultate sibi competente usi, ducem suum Ladislaum, in unicum, & naturalem dominum suum amplius recognoscere decreverunt, illius nomine omnia incumbentia disponentes. Clementissime igitur pater! sæpe memorati magnates, & proceres, ad tuam Sanctitatem, hancque sacratissimam*

Apo-

Annus Christi 1452.

apostolicam sedem, apud quam veluti potentissimum asylum, oppressis, & gravatis semper consolationem, & relevamen reperire est, summa spe recurrere decreverunt; confidentes, Sanctitatem tuam in hæc ipsa tempora divinitus reservatam, per quam prava ponantur in recta, & aspera in vias planas, constituasque eos in placidam quietem tua præclara benignitate, devotissimo precum interventu humiliter implorant, rogant, & exhortantur, ut Sanctitas tua illustrissimum principem Fridericum docere, informare, & persuadere dignetur, ut clarissimum prolem illam, Ladislaum Hungariæ regem, dominum suum unicum, naturalem, gratiosissimum una cum corona, de aliis, quæ præfatorum regni, & ducatus detinet occupata, e manibus suis dimittere, aut relaxare, & ad eorum manus nomine regni, & ducatus sui restituere, & reponere non protrahat; in altamque mentem reponas, quanta commoditas, quanta utilitas, quantus denique publicus fructus populo tuo christiano ex hoc insurgere, & hoc uno medio omne malum subortæ dissensionis sedari, plenaque pacis, & concordiæ populi requies in terris prædictis oriri, firmiter speretur. Jam enim justus procerum, & populi dolor, dudum intus contentus, efferbuit, gladius micat, lancea vibrat, arcus extenditur, & acerrima bella comitantes clades, multorum, & plurimam humani sanguinis sitiunt effusionem. Et hoc tu Sanctissime, qui custos es gregis dominico sanguine redemti, solus intercipere sufficis, & teneris; quæ omnia, quia multum benignitatis accedunt, eis tua benignitas mundo clarebit, & clara merces tantæ virtutis in immortale testimonium, te a corpore exutum, provehet ad gloriam. ----

Pontifex, postquam orator dicendi finem fecit, legatos non solum gravi oratione correptos ab se dimisit, sed communicato præterea cum cardinalibus consilio, sive causæ æquitatem non penitus inspexit, seu ab Friderico occupatus erat, confœderatos, quorum gratia venisset orator, sacris omnibus interdicere decrevit. Ne tamen tot regna in cæsarem veluti concire videretur, solos Australes, qui eas turbas primi conflaverant, hac sententia perstrinxit. (1)

His a papa illiberaliter acceptis.

Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Seditionis auctores cum sociis Australibus sacrorum communione interdicuntur.

„ Etsi adversus quoslibet, quorum effrenis præsumtio in offensam justitiæ,
„ & exitiale fomentum dissidii, suæ sævitiæ cornua non formidant erigere, apostolica
„ providentia, quæ præcipue justitiæ conservatrix est, & pacis alumna ecclesiasticæ,
„ correctionis censuras, prout demeritorum culpa requirit, non nunquam exa-
„ sperat, quanto magis decet eam, cum subditos in rebellionem sui principis,
„ & præsertim regiæ majestatis, cui fidelitatis homagio sunt adstricti, pernicio-
„ sa conspiratione insurgere, & in hujusmodi majestatis dispendium temere machi-
„ nari cognoscit, eorum reprimenda temeritate, majori animadversione intende-
„ re, & ad hoc extendere rigorem suæ judiciariæ potestatis, ne si quid tantæ
„ insolentiæ sub dissimulationis sibi blandiatur indulgeri velamine, exinde dete-
„ riora succedant, & ea prætendantur in opprobrium, & dedecus, nedum ma-
„ jestatis hujusmodi, sed etiam apostolicæ dignitatis. Cum igitur, sicut ad no-
„ stram audientiam fama referente publica, & rei experientia edocente deve-
„ nit, licet ab olim, inter principes, & duces domus Austriæ laudabiliter in-
„ troductum, & inconcusse etiam a tanto tempore, quod de contrario memoria
„ hominum non existit, observatum fuerit, quod decedente quocunque ex prin-
„ cipibus, & ducibus domus ejusdem, superstite sibi hærede impubere, prin-
„ ceps, & dux major natu ipsius, terras & dominia ejusdem hæredis impuberis
„ regere, & ejus curam, sive tutelam, utpote de jure ad eum delatam, ge-
„ rere cum plena gubernatione, & administratione terrarum, & dominiorum hu-
„ jusmodi, ac omnium jurium, & pertinentiarum earundem, quousque idem
„ hæres pubertatis annos, ac discretionem gubernationis, regiminis, & admi-
„ nistrationis terrarum, & dominiorum hujusmodi, per semetipsum gerendo-
„ rum conscenderet, debeat, & etiam teneatur, ac propterea claræ memoriæ
„ Alberto rege Romanorum, & duce Austriæ vita functo, & sibi carissimo in
„ Chri-

(1) Ex Codic. Ms. Mellicensi Num. 13. fol. 212.

Annus Christi 1452.

„ Christo filio nostro, Ladislao regi Hungariæ illustri ejusdem Alberti nato, in terris, & dominiis, quæ ipse Albertus rex tenuerat, succedente, carissimus in Christo filius noster, Fridericus, tunc Romanorum rex illustris, ac dux, & major natu domus prædictæ, nunc imperator semper Augustus, hæreditatis suæ terrarum, & dominiorum dicti Ladislai regis, qui tunc erat, prout est impubes, & minorennis, ejus curam, & tutelam sibi debitas suscepit, & illa, ac gubernationem, regimen, & administrationem, terrarum, dominiorum, & jurium hujusmodi, ex tunc laudabiliter, & decenter gesserit, ut debeat prædictis annis expletis terras, dominia, regimen, administrationem, & gubernationem prædictas dimittere dispositione liberæ ejusdem Ladislai regis, & consiliariorum suorum, prout utilitati ejusdem regis amplius expediret, nec quisquam alius, quousque idem Ladislaus rex annos prædictos expleverit, præter imperatorem prædictum de regimine, tutela, gubernatione, ac administratione prædictis se ingerere debeat, sive possit, fueritque idem imperator veluti dux & major natu domus prædictæ pro indubitato, legitimo tutore ab omnibus prælatis, nobilibus, vasallis, communitatibus, & universis terrigenis, incolis, & babitatoribus terrarum, & dominiorum dictæ domus, quam aliis, tam ecclesiasticis, quam secularibus personis ubilibet tentus, & reputatus, præstitis sibi etiam a terrigenis, & subditis terrarum, & dominiorum dicti regis Ladislai obedientiæ promissionibus, & juramentis, in similibus tutelarum ministrationibus, juxta morem terrarum ipsarum præstare solitis, & consuetis.

„ Nihilominus Udalricus Eyczinger, Joannes, Wilheimus, & Henricus de Liechtenstain, Fridericus de Hobenberg, Nicolaus Drukses, Wolfgangus Rukendorfer, Georgius de Cunring, Georgius de Ekertsau, Ratoldus de Wahing - - - cum ipsorum complicibus, suorum status, & famæ prodigi, non veriti in offensam regiæ majestatis suos dilatare conatus, & suorum in ea parte complicum conspiratione stipati, dum nuper dictus imperator, tunc rex, propositum suum ad sedem apostolicam pro suscipienda a nobis unctione, & imperiali diademate, ad bonorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sacri imperii decus, veniendi expleturus, de gubernatione fideli ducatus, ac terrarum, & dominiorum prædictorum provide decrevisset disponendum, diversas congregationes, conventicula, & monopolia una cum eisdem conspiratoribus fecerint, quibus Mellicensis in Crembsmunster, Gotvicensis in Zuetel, in Sancta cruce, in Seitensteten, in Campo liliorum, & ad Scotos Viennæ Abbates, in Neuburga claustrali, in Hertzogenburg, in sancto Hypolito, ad sanctam Dorotheam Viennæ, in Thierenstein monasteriorum præpositos, nec non Joannem comitem de Schaunburg, Wolffgangum, & Rupertum de Valse, Pancratium Plankensteiner, & nonnullas alias ecclesiasticas personas, una cum infra scriptis communitatibus, videlicet Viennensi, Neoburgensi, Forensi, & Claustrali, Chrembs, Stain, Lintz, Ybs, Gmunden, Wels, Eggenburg, Laa, & ceteris aliis, qui rebellionem adversus dictam majestatem concitaverunt, ad bujusmodi gerenda, regimen, & tutelam, gubernationem, & administrationem improbe aspirantes, ac malitiose impedire satagentes executionem prædicti imperatoris, tunc regis, & tandem opprobriosis obtrectationibus, & falsis litteris infamiæ notam eidem regiæ majestati improperantes, sub colore improperii hujusmodi regimen, tutelam, gubernationem, & administrationem prædictas, sibi usurparunt, fructus, & redditus levando, & officiales ponendo, & destituendo. Et de his, quæ duntaxat juris sunt ducum Austriæ se ingerendo, a majori interea temeritate una cum eisdem conspirationibus præsumentes astruere, se, & alios terrigenas, & subditos supra dictos ab obedientia, promissionibus, juramentis hujusmodi per eos, ut præfertur, præstitos, fore absolutos, & quod præmissa temere, ac de facto præsumta tam in sedis apostolicæ, cujus consideratione idem imperator implendo proposito prædicto, nullatenus impediendus erat, quam majestatum prædictarum, dictorumque ducum perniciosam vergunt injuriam, & offensam. Nos, quorum est præmissis,

„ &

„ & offensis injuriis intendere salubriter propulsandis, justitiæ debitum tam sedi, „ quam imperatori prædictis, quantum sufficit, ex commisso nobis adstringimur „ officio servitutis, exequi volentes, ut tenemur, ac de prædictis, quantum „ sufficit, certius informati, præsentis nostri edicti publici serie, locis affigendi „ publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad Uldarici, ejusque com„ plicum, & conspiratorum prædictorum, ipsisque faventium, & adhærentium „ notitiam valeat pervenire, & quo eos adhortari volumus, ac si personaliter, „ & præsentialiter intimatum foret, tam Udalricum, quam complices, & con„ spiratores, ac alios quoscunque, cujuscunque nobilitatis, status, gradus, di„ gnitatis, ordinis, vel conditionis fuerint, auctoritate apostolica requirimus, & „ monemus, quatenus infra quadraginta dierum terminum post notificationem „ præsentium, sive earum publicationem modo præmisso eis factam, quam ipsis „ pro peremtorio assignamus, Udalricus videlicet regimen, tutelam, guberna„ tionem, & administrationem prædictam realiter, & omnino dimittat, ac ipse, „ & quicunque alii prædicti, prout ad eos convenerit, ab impedimentis, & per„ turbationibus quibuslibet, quo minus idem imperator tutelam, regimen, ad„ ministrationem prædictam, uti prius, libere & quiete gerere, & exercere va„ leat, prorsus desistant, ac destitutis officialibus, per eos positis, illos, qui per „ imperatorem deputati fuerint, vel deputabuntur, in suorum officiorum pleno „ exercitio sustineant, nec non de receptis, & levatis per eos eidem impera„ tori congruam emendam impendant, statuentes, & dicta authoritate decernen„ tes, quod quicunque ex Uldarico, & complicibus, ac conspiratoribus suis, hu„ jusmodi requisitioni, & monitioni nostris infra terminum prædictum realiter cum „ effectu non paruerint, eo ipso, eodem lapso termino, excommunicationis sen„ tentiam incurrant, a qua non ab alio, quam a romano pontifice, & non nisi „ debitis pœnitentiæ, & satisfactionis præviis, præterquam in mortis articulo, „ possint absolutionis beneficium obtinere, quodque si hujusmodi sententiam per „ alios viginti dies, dictum terminum immediate sequentes, animo, quod absit, „ sustinuerint indurato, ex tunc in hujusmodi aggravationem sententiæ, sine omni „ participationis humanæ solatio, quo nemo illis, sub similis incursu pœnæ, com„ municet, sint penitus destituti. Et nihilominus si ecclesiasticæ personæ, omnium „ suorum beneficiorum ecclesiasticorum, qualitatum, si vero seculares fuerint, „ cujusvis feudi, si quod ab ecclesia obtinuerint, privationis, inhabilitationis „ ad illa, & quævis alia in posterum obtinenda, & veluti se se majestatis criminis „ conscii, infamiæ perpetuæ pœnas, adversus quas etiam per quemquam, quam „ per prædictum pontificem restitui nequeant, incurrant ipso facto.

Annus Christi 1452.

„ Præterea si post decursum dierum prædictorum censuras, & pœnas „ parvi pendentes, easdemque per alios viginti dies in eorum rebellione persi„ sterent, loca sui incolatus, & ad quæ ipsos excommunicatos declinare conti„ gerit, quamdiu in eisdem fuerint, strictissime supposita censeantur ecclesiastico „ interdicto, mandantes insuper universis Archi-Episcopis, Episcopis, Abbati„ bus, ceterisque ecclesiarum, & ecclesiasticorum locorum quorumlibet præ„ latis, nec non quibusvis dignitatibus, vel officiis ecclesiasticis fungentibus, ac „ parochialium ecclesiarum rectoribus, seu curatis, aut loca tenentibus earun„ dem, semper his pro parte prædicti imperatoris requirendis, quatenus quos„ cunque, quos de injuriatorum, & offensorum prædictorum, seu cooperatorum „ ipsorum numero fore, & præsentibus in terminis prædictis non paruisse scive„ rint, seu qui coram eis de paritione sua hujusmodi legitime non docuerint, „ excommunicationis sententiam, & alias censuras, & pœnas eorum ecclesiis, & „ ecclesiasticis locis, diebus dominicis, & festivis, dum major ad illa populi „ convenerit multitudo ad divina, nulla alia super hoc declaratione exspectata, „ publice denuncient, incidisse, & ab aliis denunciari faciant, ac ab omni[illegible] „ arctius evitari, donec præsentibus plene a sede prædicta absolutionis, & „ tutionis hujusmodi beneficium meruerint obtinere, addicantes, quod quic[illegible] „ super hujusmodi denunciatione requisiti, nisi ex tunc infra sex dies huj[illegible]

Annus Christi 1452.

„ requisitioni paruerint, si episcopi, suspensionis a divinis, si vero alii fuerint, „ excommunicationis sententiam: & si ipsi episcopi suspensi a divinis, hujusmodi suspensionem per alios sex dies sustinuerint, illis elapsis etiam eandem excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, non obstantibus quibuscunque „ communiter, vel divisim a sede prædicta indultum existat, quo interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes „ expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli „ ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, requisitionis, „ monitionis, assignationis, statuti, constitutionis, mandati, & additionis infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ ad Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. pridie nonas Apriles, pontificatus nostri „ anno sexto.

Legati hoc fulmine icti, quamquam sæpius aditum ad pontificem quærerent, semper eorum, qui Friderico studebant opera repulsi, ab cardinalium collegio, inter quos haud pauci erant, qui Ladislaum e manibus cæsaris liberari optabant, auxilium, opemque flagitare decreverant. Itaque ordinum Austriæ nominibus litteras ad eos scribunt, quibus eadem fere causæ capita, quæ episcopus Jaurinensis Nicolao exposuerat, comprehendere, multisque questi, se ab adversariis clandestinis molitionibus apud pontificem in suspicionem gravissimorum criminum inductos esse vehementer orabant, ut sua auctoritate aliam pontifici mentem inderent, ac poenarum vincula relaxarent.

Veridicorum, ita scribebant, *testium percepimus relatione sanctissimum dominum Nicolaum, divina providentia universalis ecclesiæ summum pontificem, adversariorum nostrorum falsa suggestione nimis credulum, ad nutum eorum relationi credentem, eundem dominum nostrum imperatorem, prænominati domini nostri Ladislai regis, terrarumque suarum, tamquam majorem natu tutorem, injusteque propterea eadem tutela per nos destitutum, in favorem eorundem nostrorum adversariorum, nobis minime vocatis, nec cognito de negocio, contra nos formidabiles censuras & poenas fulminasse. Nam minime credere debetis, quod semper major natu inter duces Austriæ tutelam gesserit minoris, cum clarissime constet, quod prænominatus rex Albertus duci Friderico senior, duce Austriæ mortuo senior dux erat, tamen tutelam illustris principis ducis Sigismundi, ducis Austriæ ejus filii minime gesserit, sed ipse dominus imperator, ut dux Austriæ se de ejus tutela introduxit, fides, & devotio longa, & diuturna concertatio contra infideles, ac nostrorum, & eorum sanguinis effusio, clare demonstravit, ac demonstrat, totusque mundus proclamat. Si ergo hujusmodi censuræ, & sententiæ e medio non tollerentur, qualem se ostenderet pater erga filios, qui eo suadente, & mandante non parentes corporibus, neque rebus, sed sponte, & devote ea tradiderunt. Quam clementiam & antidotum, quamque daret audaciam, & fiduciam, si similia sanctæ Matri ecclesiæ, catholicæque fidei, quod Deus avertat, futuris incumberent, nobis & posteris nostris? nonne potius averteret animos nostros, & qualia in, & extra terram incommoda fidei orthodoxæ ecclesiæ sanctæ, nobis, & vicinis sequerentur, devotioque laicorum hujus patriæ, quæ magna dignoscitur, deposceret, & contra cultum divinum, & ipsius ecclesias animum elevaret, calamus nequit comprehendere, sed pius animus elicere poterit evidenter. Idcirco ad vestras reverendissimas Paternitates, sacrumque coetum vestrum sincere confugimus, animos nostros devote reclinantes devotissimaque precum instantia, quanto humilius possumus, & debemus, deprecantes; quatenus operam dare velint, & dignentur apud eundem dominum nostrum sanctissimum efficacem, ut sua Sanctitas censuras, & poenas e medio tollat, nobisque, & nobis adhærentibus desuper in appellatione, imo verius supplicatione contentis audientiam dignetur præstare gratiosam. Tunc enim clare audire poterit sua Sanctitas nostram innocentiam, zelumque, & amorem debitos, domino nostro prædicto naturali, juste, & condigne fuimus, & sumus obligati. Ad erga vestras reverendissimas Paternitates devotis volumus obsequiis jugiter remereri. Quas omnipotens Deus ad consolationem ecclesiæ suæ sanctæ fideliter dignetur conservare*

servare

servare in tempora longiora. (1) His minas etiam haud obscure adjecerant, se, nisi ad dicendam causam admitterentur, rejecto pontificis judicio, ad concilium generale controversiæ totius cognitionem delaturos esse: quibus an Nicolaus motus fuerit, an contra, nihil mihi compertum est; tametsi eum in sententia perstitisse ex litteris ad Hungariæ gubernatorem postea datis, utcunque constabit.

Annus Christi 1452.

Jaurinensis episcopus, postquam omnem operam frustra apud Nicolaum locari vidisset, absque mora Florentiam cum sociis revolat, isthicque clam cum Caspare Ladislai pædagogo agit, quem in modum puer cæsaris manus effugere posset. Clandestina machinatione rem adoriri, ingens difficultas erat, quod regem nobiles cum suis clientelaribus nocte, dieque acerrime observarent. Itaque placuit fidem senatus urbici implorare, quod se facturum quidam ex primoribus civium receperat; modo de rationibus sibi constaret, quibus in liberando rege uti vellent. Re deliberata visum est, moneri oportere Ladislaum, ut sequenti die, quo cæsar Florentia excessurus erat, illum ad urbis portas sequeretur, isthicque valere jusso diceret, se se dies aliquot in urbe morari velle. Si annueret cæsar, tum facilem libertati modum fore: sin contra; fidem imploraret urbis, regem se esse diceret, atque ex arbitratu suo deinceps velle vivere: armatos præsto futuros, qui vim arcerent, puerumque tuto loco reconderent. Hæc Ladislaus per pædagogum edoctus, facile in fugam consensit, re enim ipsa dominatum Friderici baud æquo animo jam ferebat. Rebus ita constitutis, prona ad liberandum regem via jam videbatur, cum ex improviso, quem supra memoravimus, civis ab senatu redit, frustraque se apud Florentinos connisum esse affirmabat, quod jura hospitalitatis, quæ Friderico dederant, ea re gravissime lædi putarent. Irrita cum esset proditio, rogavere Casparem legati, ut, quoniam novi ab Australibus ad papam nuncii venirent, scribi ab Ladislao litteras procuret, quibus summum pontificem a gravissimis censuris, queis provinciales perstrinxerat, ad molliorem mentem revocare niteretur. Id, quod postea, quam Fridericus Bononiam venit, ex pædagogi ingenio in hanc fere sententiam factum est. (2) *Ladislaus Hungariæ, & Bohemiæ rex Nicolao papæ V. salutem. Venient ad te legati ex provinciis nostris, viri boni, & nobis fideles, ex quibus accipies, quæ sit subditorum nostrorum pro nostra liberatione vel cura, vel voluntas. Eos ut benigne exauditos remittas, obnixe rogamus. Deinde quia cognovimus relatu vario, tuam Pietatem adversus nostros Austriæ subditos sententiam excommunicationis fulminasse, quia nos e manibus Friderici cæsaris eripere student, petimus, hujusmodi processus revocare non pigeat, qui nobis damno sunt. Quod nisi feceris, dabis nobis causam ad majores judices provocandi. Namque cum scriptum sit, pupillo tu eris adjutor, non cæsari; non est, cur eos insecteris, aut anathemate ferias, qui de salute, & commodo nostro soliciti sunt. vale.* Has litteras Caspar Jaurinensi episcopo tradidit ad pontificem deferendas; ipse cum Ferrariam ventum esset, impetrato a cæsare commeatu, maris intemperiem prætexens, terrestri itinere autem ipsa fugam auspicatus est. Sed perlato mature ad cæsarem indicio, homo retractus ex fuga in carcerem conjectus, vinculisque onustus in Austriam adductus est.

Tum Florentiam reversi clam cum Ladislai pædagogo consilia de liberando rege ineunt, eventu parum secundo.

Pueri regis ad papam in legatorum causa littera.

Ea res a plerisque cardinalibus, qui ipsi Ladislao a cæsare metuebant, graviter accepta est, magnaque isthinc Aeneæ Sylvio conflata invidia, quasi is Friderico auctor fuisset, ut bominem, qui ceteroquin fidem suam hactenus integram præstitisset, tam illiberaliter haberet. Quæ opinio cum inprimis cardinali Firmano insedisset, ac propterea Sylvium etiam litteris convenisset, hic depellendæ ab se calumniæ tempus occupans, rem, quemadmodum gesta esset, conjurationem a principio orsus in hanc sententiam explicuit. (3) *Ceterorum litteræ, quibus dietim visitor, ad respondendum me quidem invitant, tuæ autem, quas nuper accepi, vebementer urgent, atque compellunt, quæ propter captivitatem Casparis, qui illustrissimi regis Hungariæ pædagogus exstitit, æstimationem meam in discrimen adductam*

Pedagogo detecta fraude intercepto.

Aeneas Senensis episcopus ab suspicione se purgat.

(2) AENEAS SYLVIUS in reb. Frid, III. loco cit. (3) Epist. 409.

Annus Christi 1452. Etam esse demonstrant. Nisi enim, quo pacto se se res habeant, meis scriptis ostendero, vereor, ne de me sinistra, quæ concepta est, opinio noxium edat partum, qui me sine culpa & tibi, & ceteris Romanæ ecclesiæ cardinalibus, dominis meis efficiat odiosum. Accipe igitur rem gestam, & an sim culpabilis, tute judica. Caspar, de quo sermo est, humili loco natus, admodum pauper litteras apud Viennam didicit, ut est mos patrius, mendicando se nutriens; emersit non sine labore: vicit fortunam virtus, vocatus est in cancellariam Austriæ. Deinde sibi in aulam sumto credita est Ladislai regis pueritia, cum jus jurandum præstitisset, nihil se contra cæsaris aut honorem, aut utilitatem facturum, &, quod ceteri familiares jurant, avertere, quoad possit, quævis incommoda cæsaris culmini imminentia promisisset. Suscepta pædagogia fuit circa puerum diligens, litteris, & moribus eum pro captu instituit. Factus igitur cæsari, & omni curiæ charus, intravit consilium, sedit cum principibus, in mensa regia cibum suscepit. - - - Erat igitur in curia potens Caspar, nomenque non parvum habebat, & bonitatis, & doctrinæ. Nec dubium putabatur, quin brevi ad episcopalem ostenderet apicem. Laudabilis hucusque hominis vito, dignaque diligi. Sed nescio quomodo posthac mutatus est, quidve homini in mentem venerit, ut majora cupere, & indigna se negotia agitare coeperit. Intelligens enim Australes novandarum rerum cupidos, occulta cum Eyczingero colloquia inivit, qui cæsari capitalis inimicus habebatur. Cumque venisset ex Hungaria episcopus Agriensis, nomine Paulus, multa cum eo apud Græcium de abducendo rege Ladislao clanculum pertractavit. In nova insuper civitate cum barone quodam de alto monte consilium habuit, emittendi per portam pueri, ubi parati essent, qui eum equites abducerent. Cumque nihil horum processisset, litteras puero dictavit, quas scriberet Australibus, mandans eis, ut coeptum propositum contra cæsarem retinerent, invitumque se se Italiam petere scirent. In Roma quoque nonnihil tentasse confessus est. Sed omnia superat, quod Florentiæ aggressus est, facinus. Cum cæsar ex urbe rediens illac transitum faceret, exspectabant ibi cæsarem, Hungarorum, & Australium oratores, inter quos Augustinus episcopus Jaurinensis, hujusmodi cum Caspare apud ecclesiam sanctæ crucis colloquium habuit. Hic, inquit, locus est, in quo nostrum regem libertati reddere possumus. Fides publico data est non cæsari tantum, verum etiam Ladislao. Suade igitur puero, cum cæsar abire voluerit, usque ad portam eum sequatur: eo cum venerit, velle se diebus aliquot Florentiæ immorari dicat, equumque retro vertat. Quod si cæsar ad exitum voluerit eum compellere, præsto erimus, vim regi fieri indignum dicemus: fidem civitatis implorabimus; puer ipse coactum se se vociferans, ad misericordiam populos commovebit. Prius tamen apud senatum urbis dabimus operam, præsto ad portam armatos habeat, quibus cohiberi cæsaris violentia possit. Civis hic est, quem Budæ negotiantem novimus, is se operam senatus impetraturum pollicetur. Tu regis animum præpara; nos hanc provinciam cum magistratibus civitatis suscipiemus. Annuit Caspar, atque ad regem profectus ex condicto cuncta disposuit, fuissetque peractum facinus, nisi apud Florentinos plus quieta consilia, quam seditiosa valuissent. Nam civis ille, de quo pontifex Jaurinensis fecerat mentionem, cum de tali negotio magistratum alloqueretur, gravibus verbis reprehensus, atque correptus, ad episcopum rediens impeditas cogitationes exposuit. Non tamen conquievit Caspar, sed regem cum Bononiam pervenisset, in hanc sententiam summo pontifici propria manu persuasit scribere. Accepi sanctissime pater adversus fideles nostros, qui pro mea in Austria liberatione laborant, Sanctitatem tuam nonnullos processus decrevisse, quæ res mihi adversa est; precor igitur, quidquid contra me actum est, ut revoces. Id enim erit officii tui, cum scriptum sit, pupillo, & orphano adstabis: id nisi feceris, compelles me majores judices appellare. Alia fuerunt epistolæ verba: effectus autem, quem refero. Clausa epistola est, & signata missa est Augustino episcopo. An vero beatissimo papæ Nicolao tradita sit, sua Sanctitas norit, me quidem latet. Hæc omnia suspicante, non tamen sciente cæsare hactenus gesta sunt. Cum essemus Ferrariæ, velletque cæsar navigio Venetias petere, conscius erratorum Caspar eum adit, marinas aquas nauseam sibi movere, ac nocentissimas esse, iturumque terrestri itinere Tervisium, si placeret cæsareo culmini, dicit. Obtenta licentia, & cum Patavium venisset,

nisset, receptis universis, quæ secum attulerat, & quæ in Italia coemerat, bonis, Veronam versus iter festinus direxit, utpote qui per Tridentum, & vallem Athesis ad Inum transire decreverat, unde conscensa navi in Danubium navigans, Viennam denique perveniret. Tenuisset procul dubio propositum, nisi tabellarius quidam cæsaris ex Verona veniens, hunc se obvium habuisse dixisset. Itaque duo post eum equites missi sunt, qui non longe a Tridento ipsum comprehenderunt, vinctumque duxerunt Venetias, ubi omnia, quæ supra memorata sunt, sponte confessus est, suaque manu conscripsit. Annus Christi 1452.

Hunc in modum quamquam se Aeneas satis omnibus purgasset, Nicolaus tamen re intellecta cum videret, quo res apud Australes evasuræ essent, veritus, ne Hungaris, quos Ladislai causa liberalius habere decreverat, conjuncti in proposito persisterent, auctoritatemque suam haberent despicatui, litteras ad Joannem Hunyiadem dedit, quibus & causas affert, cur provinciales sacris interdixerit, & majorem in modum petit, ne eis ope, consiliove adesse vellet. Litteræ in hæc verba scriptæ sunt. (1) *Papa Hunyiadem, ne cum Australibus contra cæsarem sentiat,*

„ Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, nobili viro „ Joanni de Hunyiad, regni Hungariæ gubernatori salutem, & apostolicam be„ nedictionem. Gravis, & intoleranda novitas visa est nobis, quam superiori„ bus diebus, nonnulli barones & incolæ ducatus Austriæ attentarunt. Qui „ licet carissimo in Christo filio nostro Friderico, Romanorum tunc regi illustri, „ nunc vero imperatori augusto, tanquam legitimo, & indubitato tutori, caris„ simi in Christo filii nostri, Ladislai Hungariæ, ac Bohemiæ regis illustris, su„ per regimine, & administratione dicti ducatus, sicut ad eum dictante jure, & „ antiqua suadente consuetudine pertinebat, obedientiam, ac fidelitatem promisis„ sent, & per aliquot annos sine controversia præstitissent, nuper tamen, dum „ rex ipse Romanorum ad nos pro imperiali diademate profecturus, de modo „ regendi terras, & dominia prædicti ducatus in ejus absentia disponeret, conven„ ticula facientes conspirare, ac superba temeritate rebellare sunt ausi, attrahen„ tesque sibi diversis machinationibus plerosque prælatos ecclesiasticos, & op„ pidorum diversorum consulatus, rectores promissionum, & juramentorum suo„ rum contemtores, de gubernatione ducatus antedicti, minime veriti sunt se „ intro mittere & ea facere, quæ ad solos principes Austriæ pertinent, exigen„ tes vectigalia, & officiales pro suo libitu destituentes, & instituentes. Quæ „ res non imperatori præfato solum, cui & homagii, & obedientiæ, & fidei „ jura violata sunt, sed nobis quoque, & apostolicæ sedi injuriosa est, cum eo „ tempore hæc rebellio coeperit, in quo propter transitum ad imperiales insu„ las, de nostris manibus jam suscipiendas institutum, rex idem Romanorum „ sub nostra, & dictæ sedis protectione constitutus noscebatur. Nolentes igitur „ tantam, & tam enormem insolentiam sub dissimulationis pertransire velamine, „ ne deteriora succrescant, omnibus baronibus, & incolis Austriæ, qui præfatæ „ rebellionis aut auctores, aut participes quovis modo noscuntur, sub anathema„ tis, & aliarum censurarum poena mandavimus, ut infra certum assignatum eis „ tempus, a tali novitate desistentes, plenam, & integram imperatori præfato „ obedientiam, & reverentiam, cum omnimoda satisfactione restituerent, sicut „ in aliis litteris nostris, quarum copiam nobilitati tuæ mittimus, cum præsenti„ bus, hæc omnia plenius continentur. Quod idcirco tibi insinuare decrevimus, „ ne verbis illorum circumventus, in periculum incidas, si forsitan, aut favo„ rem, aut assistentiam, aut foedus a te exquirent. Nos enim intelligentes sin„ ceram mentem imperatoris præfati erga regem Ladislaum patruelem suum, quem „ veluti filium diligit, utque regium sanguinem suum decuit, educari curavit, „ suoque bono intentus est, non dubitantes, quia tunc regi Ladislao favemus, „ quando imperatori assistimus, adversus rebelles prædictos, & alios, eis ad„ hærentes, quævis apostolicæ sedis præsidia, donec resipiscant, mandatisque „ nostris obtemperent, non cessabimus impertiri. Datum Romæ apud sanctum „ Petrum, *Per litteras cohortatur.*

(1) Ex cod. Mss. Mellic. Num. 13. fol. 217.

Annus Christi 1452.

„ Petrum, anno incarnationis dominicæ MCCCCLII. Decimo calendas Maji, „ Pontificatus nostri anno VI. „

Is Australes de ea re certos reddit.

Hunyiades, cujus non multum referre videbatur, ad quem Austriæ gubernatio spectaret, magisque liberando regi, quam turbis, quas Australes concitarunt, studeret: præterea meminisset, se ad extorquendum e Friderici manibus regem, foedere cum provincialibus illigatum, ne in utramvis partem aliquid, quod sibi, & dignitati suæ iniquum sit, statueret, connivere interea decrevit, quoad res, partium studiis, odiisque vicissim implicitæ aliquando explicarentur. Litteras tamen pontificis ad Australes misit, ut consilia sua rebus, & tempori commodare ne nescirent. Illi lectis litteris, & oratorum, qui ex Italia redierant, narratione edocti facile intellexerant, papam a Friderico occupatum, non modo placatum non iri, sed abstractis præterea foederum sociis, solos fere se futuros, qui injuriis deinceps prostituti essent. Itaque collatis consiliis, detrectare pontificis judicium, & causæ cognitionem ad universale concilium deferre constituerant, idque decreto publico, tanquam Nicolaus adversariorum machinationibus de re male edoctus esset, in hæc verba significarunt. (1)

Qui ab legatorum reditu ad consilium generale appellant, & quas ob causas.

„ Cum appellationis remedium in subsidium oppressorum, seu verisimi„ liter opprimi se timentium a sanctis patribus salubriter fit adinventum, hinc „ est, quod nos Udalricus Ciliæ, Ortemburgæ, Sagoriæque comes, & Udal„ ricus Eyczinger supremus capitaneus, prælati, barones, milites, militares, accivi„ tatenses, insignem ducatum Austriæ regentes pro nobis, & aliis omnibus præ„ latis, comitibus, militibus, militaribus, civibus, oppidanis, ac generaliter, & „ singuraliter ejusdem ducatus Austriæ incolis, & terrigenis ecclesiasticis, & se„ cularibus, ac singulis nobis adhærentibus, & adhærere volentibus, gravi cum „ querela, animo, & intentione appellandi proponimus, & dicimus: quod cum „ olim illustris princeps, dominus Albertus, dux Austriæ, avus quondam illu„ strissimi principis, & domini nostri gratiosissimi, domini Alberti, Romanorum, „ Hungariæ, Bohemiæ regis, Austriæ ducis, marchionisque Moraviæ felicis re„ cordationis ex una, & avus serenissimi principis, & domini Friderici Roma„ norum imperatoris semper augusti, ducis Austriæ, & Stiriæ, suique fratres, „ partitus ex altera, canonicum de suis ducatibus, & dominiis, titulo, & suc„ cessione hæreditaria duntaxat communitatis fecerint divisionem, & postea pater „ dicti regis Alberti, & patrui dicti imperatoris fecerint renunciationem, ut in „ litteris patentibus hujusmodi divisionis seriem in se continentibus, ac aliis le„ gitimis testimoniis, & documentis plenius continetur, quas hic pro nostræ ap„ pellationis justificatione, & non aliter, neque alio modo, de quo protestamur, „ habere volumus pro insertis. Posteaquam dictus dominus Albertus rex Ro„ manorum & Hungariæ, legitimum, validum, & canonicum condiderat, sicut „ voluit, & potuit, dictæ divisionis vigore testamentum, sive ultimam volunta„ tem, disponens sagaciter, quid, & qualiter de suis regnis, ducatibus, & ter„ ris, ad prolis suæ postumæ, nondum natæ, tamen in utero olim serenissimæ „ reginæ Elisabethæ, suæ dilectæ contheralis, ut sperabatur, inclusæ fieri debe„ ret, ut similiter litteris desuper confectis plenius dignoscitur contineri, quas „ etiam pro nostræ appellationis justificatione, & non aliter, neque alio modo, „ de quo protestamur, habere volumus pro insertis, quodque merito debuis„ set, deberet, ac debet fortiri effectum. Sed imminenti dubio probabili, an „ eadem sua serenissima contheralis, quam, ut præmittitur, ipse rex Albertus „ reliquit imprægnatam, pareret filium, vel filiam, & incumbentibus diversis „ periculis ipsi ducatui Austriæ, & ne hæredibus aliis ipsius domini nostri regis „ Alberti, videlicet, præfato imperatori, ducibus Alberto fratri, & Sigismun„ do patruo suis in successione, si eadem domina Elisabetha regina filium gigne„ ret, præjudicium foret, ac aliis motivis tunc inducentibus, prælati, comites, „ barones, milites, militares, & oppidani ipsius ducatus Austriæ, sive major „ pars existens, volens tutiorem eligere, viam, dictum imperatorem, tunc du„ cem

(1) Ex cod. MC Mellic. Num. 87. & 13. fol. 47.

„ cem feniorem Auftriæ, ante partum ejusdem reginæ Elifabeth, fi filium pareret, ut adminiftrationem - - - ufque ad difcretionis ejusdem filii annos, non ex debito, & jufto, cum dictis divifione, & teftamento obftantibus non potuerint, fed ex caufis præmiffis, quantum eis videbatur expedire, fub certis modis, & pactis nominarunt, & receperunt, prout fimiliter in litteris datis plenius continetur. - - - Sed quia idem dominus nofter imperator contenta in eisdem litteris minime effectui mancipavit, quin potius ducatum Auftriæ in pluribus fuis paffibus, per multos exteros inimicos invadi, devaftari, ignis voragine annihilari, exactionibus, & aliis multimodis damnificari, & perturbari permifit, ac damnificavit, & perturbavit, nullo præftito faltem efficaci fuffragio, oppida, caftra, telonia, & alios redditus, & proventus ipfius ducatus Auftriæ impignoravit, in defenfioneque ipfius, ficuti etiam ducis, five dominii temporalis, feu ejus vices gerentis intereft, plurimum defecit contra litteras præmiffas, five pacta in eis contenta multipliciter veniendo, quod enarrare nimis foret prolixum, tamen tempore fuo, fi neceffarium fuerit, clarius in lucem producetur, de quo etiam proteftamur. Cum autem, fi duo ad invicem aliqua pacti fuerint, & alter eadem non fervaverit, etiam alter non fervare teneatur, ut clari juris, & rationis exiftit, imo etiam fupremus princeps contractum, & per confequens, pactum cum fuis initum fervare fit obnoxius, quod fi non fecerit, nec fubditi teneantur: propterea fua Serenitas fe adminiftratione præmiffa, ut luce clarius ex præmiffis, & tenore litterarum earundem conftat, deftituerit, & privarit. Quare nos omnes fupradicti, & quilibet noftrum, nomine, & vice præmifforum dictis ex caufis, pluribusque aliis, quas nimis longum foret enarrare, fignanter tamen etiam, cum præfatus dominus imperator noftrum naturalem dominum, regem Ladislaum prænominatum, in tenero juventutis fuæ flore conftitutum, non fine magno corporis fui gravamine, & periculo, extra regna, & terras fuas ducere in longum præconcepiffet, prout demum & Romam duxit, ducatumque fuum Auftriæ cum confilio, & affenfu noftri, & incolarum Auftriæ, ut debebat vi pactorum præmemoratorum, minime difpofuiffet, veluti minime difpofuit, humillime & inftantiffime per nos avifatus, & rogatus, quatenus id non faceret, fed potius dominum noftrum naturalem prædictum in fua regna, & terras fituaret, & ipfi ducatui Auftriæ rite in fua abfentia contra fingula adverfantia provideret, nos minime exaudiffet, ab ejus obedientia, ficuti propter præmiffa potuimus, & libitum fuit, imo debuimus, abftraximus, licentiamque ab eodem recepimus. Nos de adminiftratione ducatus prædicti, ad manus dicti domini noftri naturalis, ficuti fideles fubditi, & feudales intromittentes, verum præmiffa gravamina, & fingula plura alia fanctiffimo in Chrifto patri, & domino noftro Nicolao, fummo pontifici, per incliti regni Hungariæ, ac noftros folemnes ambaffiatores, & oratores luculenter manifeftavimus, declaravimus, & demonftravimus, & defiderium noftrum, & fupplicationem rationi, & juri confonam explicavimus. Et licet audientia præftita fit, defiderium autem noftrum, & fupplicatio minime eft exaudita, immo, veluti percepimus veridica relatione eorundem ambaffiatorum, & oratorum, nondum decem diebus elapfis contra nos litteras cenfurarum, & pœnarum formidabilium, nobis minime vocatis, neque auditis, immo omni conditione femotis, ad nudum tantum favorem dicti domini noftri imperatoris, contra Deum, juftitiam, æquitatem, & omnem rationem, ut fupra bene colligitur, fua fanctitate femper falva, minus provide, in quantum cogimur dicere, cum contra inauditam, & non vocatam partem nihil fit definiendum, decrevit, & fecit emanare, executorem, vel executores defuper deputando. Scientes igitur nos, & omnes præmemoratos ex præmiffis multipliciter gravatos, feu gravari, & haud dubie, cum ex præteritis præfumatur de futuris, multipliciter gravandos, feu gravari poffe, idcirco ab omnibus hujusmodi gravaminibus, & quolibet feorfum, ac aliis ex „ eisdem

Annus Chrifti 1452.

Annus Christi 1452.

„ eisdem colligibilibus, ac ab hujusmodi executore, vel executoribus deputa-
„ tis, ac deputandis, ad eundem sanctissimum dominum nostrum Nicolaum pa-
„ pam quintum, adhuc melius informandum, sive sacrum generale concilium, si
„ quod est, aut futurum, quod proxime erit, & in brevi speratur, vel sanctam ca-
„ tholicam Ecclesiam, quæ semper est, in his scriptis omnibus melioribus, mo-
„ do, via, jure, causa & forma, quibus possumus, & valemus, appellamus, & pro-
„ vocamus, petimusque instanter, instantius, & instantissime, primo, secundo,
„ & tertio Apostolicos (1) nobis dari, sive quis sit, aut fuerit, qui dare possit,
„ vel voluerit, præsertim a vobis notariis hic præsentibus, litteras testimonia-
„ les, sive instrumentum publicum hujusmodi nostræ appellationi, ac plura &
„ tot, quot fuerint nobis necessaria, protestamur etiam, quod hujusmodi no-
„ stram appellationem intimare, publicare, insinuare, & prosequi volumus, tem-
„ poribus, & locis opportunis, subjicientes nos, & omnia nostra, ac singulos
„ adhærentes, & adhærere volentes, cujuscunque status, aut conditionis sint,
„ aut fuerint, tuitioni, protectioni, & defensioni sedis apostolicæ, ac sanctæ matri Ec-
„ clesiæ catholicæ prælibatis, salvo nihilominus jure addendi, minuendi, mutan-
„ di, corrigendi, aliam, seu alias, appellationem, seu appellationes interponen-
„ di, ac alias, prout est moris, & styli.

Cæsar ex Italia Neostadium redux

Sub hæc cæsar missa Italia Villacum, unde anno priori iter auspicatus est, pervenit, animi pendens, Græciumne Stiriæ, an Neostadium petendum esset. Æneas Sylvius itineris comes, postquam bærere Fridericum intellexit, hanc, præ illa, ut urbem peteret, suasit. Nisi enim illo rediretur, Australes viso cæsaris metu, animum sumturos, eosque, qui hactenus in fide perstitissent, ad eorum partes itidem defecturos. Tum facilius ex propinquo hostium consilia speculari posse, locumque aptissimum videri, ex quo & bellum trahi, & agi etiam de pace posset, sive ex Hungaria, seu Bobemia, aliisque provinciis legati propterea mitterentur. Placuit Æneæ sententia, quamquam multi, ne se periculo seditiosorum objiceret, auctores fuissent. Itaque Neostadium cum Leonora, ac reliquo comitatu contendit. Quo ut ventum est, atque ab itineris molestia tantisper respiratum, visum plerisque fuit, ut imperator scriptis ad provincialium primipilos litteris, Australium animos pertentaret, num objectis Nicolai comminationibus ad fidem, & obedientiam revocari possent. Litterarum ad singulos hic tenor fuit. (2) *Magnifice, sincere, dilecte! non dubitamus, quin aliquorum ex ducatu Austriæ rebellionem adversus nos pridie practicatam, & attentatam intellexeris. Cujus rei occasione sanctissimus dominus noster papa, tibi ad partem, & Prælatis, Baronibus, Nobilibus, & inbabitatoribus regni Hungariæ -- litteras cum inclusione copiæ bullæ contra perfatos rebelles exmissæ transmisit, per latorem præsentium præsentandas, quibus perlectis seriem rerum clare cognosces. Te igitur sincero rogamus affectu, quatenus Sanctitatis suæ voluntati, atque scriptis etiam nostri intuitu pareas realiter cum effectu, auxilium, favorem, & assistentiam rebellibus prætactis, adversus nos minime præbendo, sed potius nobis, & parti nostræ in eo negotio, justitia, & ratione id exigentibus media auxilii, & favoris ad coercitionem prætactorum rebellium opportuna studeas impertiri, præfato sanctissimo domino nostro, nec non nobis ad complacentiam bene gratam erga te, filiosque tuos, suis loco & tempore gratiose prosequendam. Datum in nova civitate, VII. die mensis Julii, sub nostro sigillo, quo ante susceptas infulas usi sumus, & adhuc utimur. Anno Domini MCCCCLII. regni nostri anno XIII. Imperii vero primo.* Simul pontificis bullas Salisburgum, Passavium, & Olomucium per nuncios miserat, ut foribus templi præfixæ Australes finitimorum invidiæ objicerent. Sed ea in re se insigniter falsum, ex eventu patuit. Salisburgensis enim Antistes, quod pacificatoris nomen, laudemque ex componendis utrinque dissidiis speraret, in neutram partem vehementior videri voluit, Passavienses fœdera cum provincialibus, & Hungaris sancita prætexebant, Olomucenses autem litterarum bajulos ne in urbem quidem immisere.

Seditiosos frustra ad obedientiam revocat.

(1) An hoc nomine litteras, ut vocant, *dimissorias*, vel *provocatorias* intelligant, quod DU FRESNII lexicon mediæ, & infimæ latinitatis mihi ad manum non est, haud satis assequor. In

(2) Ex cod. Ms. Mellic. num 13. fol. 219.

Annus Christi. 1452.

In tam ambiguo rerum ſtatu, Auſtrales veriti, ne ſociorum pars Friderici litteris a communione fœderis abalienata ſeceſſionem ad cæſarem faceret, alias litteras per Auſtriam ſpargendas, in hæc verba vulgavere. (1) *Magnifici, amici noſtri chariſſimi! conſtare vobis clariſſime credimus, nos cum omnibus Prælatis, Baronibus, Nobilibus, ac regnicolis incliti regni Hungariæ, ac dominis Baronibus, Nobilibus, militibus, regnicolis Bohemiæ, Auſtriæ, Moraviæ regionum, & terrarum talem feciſſe ligam, fœdus, & unionem cum utilitate ſereniſſimi domini noſtri naturalis, regis Ladislai, ac omnium regnorum ſuorum, & terrarum, ut debitæ fidelitatis aſſiſtentiam in obſequendo exhibere debeamus, ſicut & tenemur. Idcirco requirimus veſtram amicitiam, & diligenter conſulimus eisdem, quatenus ſpiritu ſanioris conſilii reſumto, domino noſtro, ac veſtro naturali præfato Ladislao regi, a cujus genitore, ejusque progenitoribus multos honores, ac benevolentias ſuſcepiſtis, adhærere, & ſine mora aſſiſtere velitis, ne fragmentis extrinſecis, vel alienis reductio regis, optataque pax turbetur, ſed verius totalitate naturali, & corporali, pro virili parte veſtra vos reintegrare contemini, omnique ſtudio, cura, & vigilantia ad id inſiſtere velitis. Noſtis enim, quod turpis ſit pars, ſuo non congruens univerſo, & naturalis dictat ratio, ſanctionesque canonicæ, & civiles idem ſentiunt, quod res facile redit in ſui naturam. Quæ cum ita ſint, pro eo vobis amicabiliter ſcribimus, nec minus honori veſtro, quam commoditati domini noſtri Ladislai regis quidquam damni vel emolumenti fuerit allatum, providere tenemur, ac liga, fœdere, unione præfatis requirentibus, regna, ac dominia prætacta quieti, & tranquillitati reſtituere, conatus quorumcunque unionem, fœdus, & ligam, ac quietem unitorum perturbantium omnibus modis, & viis opportunis refrænare, ita ut cognoſcere poterint univerſi, quod damna, quæ domino noſtro regi in ſuis regnis, & dominiis & ſubditis illata ſunt & inferuntur, nos cordi habeamus & quidem taliter, ut ad eorum damnorum, & injuriarum repulſionem tota vigilantia nobis poſſibili inſudare non deſiſtemus - - - quemadmodum Prælati, ac Barones regni Hungariæ vos per litteras ſuas admonuerint, & requiſiverint, ut ab illatione damnorum, & nocumentorum, atque deprædationum ſereniſſimo domino noſtro naturali, regi Ladislao, & ſuo ducatui Auſtriæ illatorum, vel inferendorum abſtinere, & potius vos nobiſcum, & ceteris Prælatis, Baronibus, nobilibus regnorum, & terrarum ipſius domini noſtri tam Hungariæ, Bohemiæ, quam Auſtriæ, & Moraviæ fœdere, & liga unitis, velletis conformare, ita & nos requirimus veſtram amicitiam, & ſuademus, quatenus id ipſum facere velitis, ne, quod abſit, ſi aliud feceritis, quod non ſperamus, nos cum aliis prædictis dominis prætactorum regnorum conamine, tale remedium opponere cogamur, quod cunctis fidelibus dicti domini noſtri, ſed & vobis manifeſte appareat, nos omnia damna illa, quæ dicto domino noſtro regi, & ſuis regnis, terris, ac dominiis, fidelibusque, & inhabitatoribus taliter illata ſint, ex corde condoluiſſe, nobisque multiplici ratione diſplicuiſſe.*

Hi viciſſim fœderis ſocios per publicas litteras in fide confirmant.

Sed hæc verius minas, quam quidvis aliud fuiſſe patuit, quod Auſtrales nondum ita a milite comparati eſſent, ut, ſi cæſar vim admoviſſet, eam propulſare poſſent. Neque ab Hungaris, etſi fœdere cum provincialibus illigati erant, quidquam, ſi bellum res ſpectaret, auxilii ante elapſum induciarum tempus affuturum videbatur. Quæ res neſcio, qua fide, ab Ænea Sylvio illorum temporum accurato ceteroquin ſcriptore in malignam partem ita accepta eſt, ut Hunyiadem affectati regni ſuſpicione aſpergeret; quaſi eam ob cauſam ita ſomnolenter Auſtralium res adjutum iret, ut retento apud Fridericum Ladislao, ipſe deinceps regno, ut prius auctoritate, potiretur: ſed Æneam nimis eatenus credulum fuiſſe conſtat, tum, quod in comperto erat, inducias biennales, quas antea Hungari cum cæſare pepigiſſent, nondum elapſas eſſe, tum, quod ipſe diſertis verbis fatetur, Auſtrales, quibus data fide pollicitus ſit, ſe, cum primum induciarum finis adeſſet, cum exercitu ad liberandum regem præſto futurum, tantum operam darent, ut eouſque belli apparatum protelarent. Quæ profecto ab affectata, quod Sylvius exiſtimabat, tyrannide vehementer abhorrent. (2)

Hunyiades propterea apud nonnullos invidia laborat.

P 2 Fri-

(1) Ex cod. Ms. Mellic. num. 13. fol. 219. (2) In rebus Friderici III. eodem loco.

Annus Christi 1452.

Bellum utrinque apparatur.

Fridericus postquam spem, quam in execratione pontificia collocarat, supervacaneam vidisset, tametsi, quam oportebat, serius, diligenter tamen animum ad belli apparatus intendit. Habito per provincias delectu quatuor equitum millia, pedites numero pauciores collegit, priorque in armis exercitum, quam Australes, babuit. Quem si Viennensibus confestim objecisset, multorum opinio fuit, bellum, quod deinde obortum est, in ipso semine præfocari potuisse. Sed cæsar more suo lentus, nihil prius tentandum arbitrabatur, quam subsidia, quæ a Georgio Podiebradio Bohemiæ gubernatore stipendio conduxerat, adessent: interea haud meliore usus consilio copias hunc in modum dispertiit: duo equitum millia Rudigero Starenbergio traderet, qui Austriam trans Danubium infestam haberet, reliquis per præsidia dispersis, ipse octingentos solum equites ad defendendum Neostadium sibi servaret. Quo cognito Australes quoque nihil morandum rati militem veteranum cogunt, novisque supplementis augent, quibus haud multo post Henricus de Rosis, Bohemorum procerum facile potentissimus, octingentos pedites, cum manipulo ducentorum equitum suppetias adduxit: quo factum, ut Australium exercitus, si Hungaros demas, quorum nemo, ob inducias, nisi privato nomine adfuit, ex decem, & sex pugnatorum millibus conflaretur. (1)

Australes adversus cæsarem Neostadium movent.

Datis tamen induciis a pace non abhorrent.

His copiis, postquam cæsarianos, qui manipulatim sparsi erant, maximam partem dissipassent, oppugnandum Neostadii Fridericum censuere. Ad quem ne indicium, quid animo volverent, afferri posset, Heimburgum versus, est id ad Hungariæ limites nobile oppidum, dedita opera contenderant, tum, converso repente dextrorsum itinere, Neostadiensem agrum infestis signis tenuere. Hic obvios principum, qui apud cæsarem erant, legatos habent, quorum auctoritate, & pollicitationibus effectum est, ut paucorum dierum induciæ Friderico concederentur, quibus ad reddendum Ladislaum uti posset, sin renueret, bellum præ foribus esse sciret. Cæsar cognita provincialium mente, rem omnem eorum, quos a consiliis babuit, arbitrio reliquerat. Inter quos primus omnium Æneas Sylvius Senensium jam tum episcopus sententiam jussus dicere; *ego si tuo loco sim cæsar, inquiebat, dicam, me Ladislaum pupillum in banc usque diem gubernasse, educasseque, ut consanguineum, instruxisse ut filium, quod si nunc subditis ejus videatur, jam tempus esse, ut ad regendum vel in Austriam, vel cetera dominia dimittatur, non resistam. Verum quia puer adbuc est, & instructore indiget, petam fieri conventum ad certam diem subditorum ejus, & Principum, qui sibi sanguine proximant, ut quo pacto deinceps ætas pueri dirigi debeat, in conventu definiatur, &, quidquid illic decretum fuerit, exequar. Non spoliabit te conventus administratione pueri, quem videbunt ad regendum ineptum; non solus in conventu Eyczingerus audietur. Quod si omnes dimittendum regem decreverint, impetuoso flumini minime te oppones: facies ante diem, quod post diem omnino es facturus. Neque enim tu is es, qui perpetuo puerum bunc in potestate babere debeas; evitabisque meo consilio impetum belli, quem supra te, parum modo provisum, bostes adducunt.* (2) Facile bellum in principio sopiri potuit, si huic cæsar consilio auscultasset.

Sed cognitorem non serio agi, ad urbem appropinquant.

Et pene primo impetu capiunt.

Sed ab Neipergio, tum Ungnadio, quorum fere opera uti solebat, in transversum actus, bellum præ pace maluit. Itaque principum legati ad Australes remittuntur, qui inducias prorogari orarent, non tam spe conciliandæ pacis, quam ut spatium, tempusque augendi exercitus cæsar haberet. Intellectum nullo negotio a provincialibus est, quid Fridericus ea machinatione moliretur. Quare rejectis legatorum postulatis, accelerato itinere, Neostadium appropinquant, & *quinto calendas septembres in conspectum urbis, cum omni exercitu, ab ea parte, quæ Viennam respicit, venientes, structis aciebus, clamore bominum maximo, tubisque sine modo clangentibus, insultum faciunt: adortique cæsarianos, qui loci angustias ante oppidum tenere confidebant, sine mora proturbant? tantusque fuit bostium impetus, ut neque gladiis, neque sagitis, neque lapidibus bombardarum, neque aliis quibuscumque tormentis probiberi potu-*

(1) AENEAS SYLVIUS in rebus Friderici III. & DE ROO Hist. Aust. Lib. VI.

(2) AENEAS SYLVIUS in rebus Frid. III.

Annus Christi 1452

potuerint, quin ad portam suburbii, per viam arctam, atque aquosam progrederentur, ægreque porta ipsa defenderetur. Nam & ingredi hostes, insequendo fugientes, conati sunt, & fecissent, nisi conversi quidam robustiores, in ipsius portæ limine pro vallo se objecissent. Ibi aliquamdiu acriter pugnatum est, cum Australes ingressum animosissime peterent, cæsariani fortissime probiberent. Inter quos Paumkircherus, nobilis ex Stiria, quam vasto corpore, tam viribus validissimis, clara virtutis suæ documenta demonstravit; qui hostis impetum retinens, occludendæ portæ præbuit facultatem - - - probibiti autem hostes intrare suburbium, molendino quodam portæ propinquo, negligentius custodito potiti sunt. (1) In eo loco, quod ad quatiendos muros opportunus videbatur, prægrandes machinas, quas Vienna advexerant, posuere, castris, ut extra periculum essent, mille passuum intervallo ab urbe discretis, & communitis. Ex his nocte dieque missilibus agere, totamque vallare urbem, ut commeatu interclusa deditionem faceret. Quæ cum Viennensibus per nuncios ab Eyczingero significata essent, tantum inter cives pro convehenda annona, ceterisque, studium exarsit, ut provincialium castra omnibus rebus affluerent, urbs contra incredibili penuria laboraret.

Obsidionem molientes.

Atque id in causa fuit cur Fridericus posito belli studio animum ad pacem appelleret, modo citra honoris, ac dignitatis jacturam posset confieri. Id cum se operam daturum Salisburgensium Archi-Episcopus reciperet, ad hostes extra urbem progressus diei unius moram impetravit. *In hac factum est, ut cæsar ad colloquium exiret, petente comite Ciliæ. Itum est extra portam, quæ opposita est Hungariæ: ibi occurrentes hostium duces, præter Eyczingerum, qui remanserat in castris, ut in conspectu cæsaris fuere, desilientes ab equis, mox ad genua ejus se dederunt: quibus data dextra, & ascendere equos jussis, Imperator, & comes Ciliæ in agrum seorsim egressi, ad horam, & dimidiam collocuti sunt. Imperatori præsidium erat urbis porta, in propinquo armatis munita: comitem tuebatur equitatus hostium ad jactum sagittæ dispositus; comitis verba (ut Fridericus Æneæ postea retulit) in hanc sententiam sonuere, non esse gratum sibi adversus imperatorem arma ferre, sed coactum status retinendi causa. Posse tamen & armatum prodesse, si cæsar sibi auscultaret. Imminere cæsari grave bellum Australium. Hungarorum, Moravorum: id posse declinari, si testamento Alberti satisfieret, mittereturque Ladislaus ad Posonium, juxta patris voluntatem nutriendus, donec adolesceret. Hæc si cæsar faceret, discessuros e castris Australes, Moravos quieturos, & Hungaros. cæsar incusare comitis infidelitatem, monere, ut rediret in viam, futurum apud se magno loco, si hoc agat? scire injustam Australium causam: testamentum, cujus fecisset mentionem, nunquam fuisse ostensum, nunc demum post annos duodecim fingi, iniquum esse, se privari tutela, quam sibi jus patriæ, atque imperatorium, gentiumque omnium crederet.* (2) Quæ cum comes partim inficiaretur, partim quoque refelleret, cæsar autem, quid animo constituendum esset, nihil certi haberet, infecto negotio discessum est. In eo tamen utrique convenerat, ut postridie legati utrinque coirent, qui de conciliandæ amicitiæ capitibus communi consilio agant.

Legati a cæsare missi conveniunt.

Non faciam præter rationem Annalium, si quemadmodum pacis tractatio cœperit, quibus postea molitionibus propemodum interrupta, secundoque demum fine conclusa fuerit, Æneæ Sylvii narratione complectar: quod & rebus gestis ipse interfuit, & nonnulla in litteras retulit creditu ardua, quæ illius malim, quam meis verbis referri. *Sequenti die cæsar*, ita scribit Sylvius, *sex consiliarios ad colloquium misit, ab exercitu sex ipsi principes multitudinis venerunt. Ibi ad meridiem coram episcopis protracta res est, meditataque sunt nonnulla pacis capitula. Placitum quoque, uti cæsar rursus extra oppidum egrederetur, ac præsentibus hostibus capitula confirmaret. Egressus cæsar ad hostes duabus horis ante solis occasum, rursusque duces hostium, ad pedes cæsaris se dederunt, inter quos etiam motor rerum Eyczingerus fuit. Quibus iterum jussis equo insidere, corona facta est utriusque partis armatorum equitum: in medio cæsar ex una parte cum consilio suo fuit,*

Rursum de conflanda pace agitur.

(1) Idem ibid. (2) Idem ibid.

Annus Christi 1452.

fuit, ab altera sex duces hostium steterunt, penes quos belli gerendi arbitrium erat, & pacis. Ibi cum leges concordiæ exponerentur, visæ sunt omnes secundum hostium desideria compositæ. Tempus erat ad deliberandum breve, neque enim ultra solis occasum, qui jam instabat, induciæ protendebantur: quas cum episcopi ad proximam diem extendi petivissent, minime obtinuerunt. Sed aderant forte Carolus, marchio Badensis, sororius imperatoris, præstabilis virtute adolescens, dignaque patre soboles. Is ubi turbatas ab invicem partes discedere cognovit, apud Australes remansit, sequentemque diem, ad pacem tractandam, quietum impetravit; cumque novæ in horas orirentur difficultates usque ad meridiem sabbathi, quod proxima luce sequebatur, induciæ promotæ sunt, atque in his per marchionem, & episcopos, pacis leges in hunc modum dictæ sunt. „ Obsidio e vestigio solvatur, dimittaturque totus exercitus: tertia post illam die rex Ladislaus extra oppidum missus, comiti Ciliæ gubernandus tradatur, donec per conventum subditorum ejus, & utriusque partis consanguineorum, unanimi consensu simul cum cæsare decretum fuerit, ubi teneri & per quos regi debeat. In festo Martini proximo, Hungari, Bohemi, Moravi, Australes apud Viennam conveniant, ibique, aut cæsar adsit, aut legatos habeat, & de gubernatione, & collocatione regis nondum puberis apud conventum agant tres episcopi, duo Bajoariæ duces, duo marchiones, alter Badensis, & alter Brandeburgensis, aut adsint, aut mandatarios mittant, & auditis utriusque partis contentionibus, amicabili tractatu lites definiant, pacem ex integro reformantes. Captivi utrinque liberi dimittantur: quæ bello rapta sunt, si exstant, restituantur: injuriarum omnis memoria deleatur. At si concordia in conventu Viennensi facta non fuerit, nihil actionum suarum cæsari depereat.

Pacis conditiones, ab Australibus Friderico propositæ

Hæc cum in consilio cæsaris legerentur, peterenturque sententiæ senatorum, fuerunt, qui in hunc tenorem verba fecerunt. „ Jurati sumus tuæ mansuetudini cæsar, neque consulere possumus, quod in rem tuam esse non credimus. Perniciosa est, & plena captionis, quæ tibi pax promittitur. Nemo nisi victus, coactusque, hanc pacem accipiat: regem, cujus tutor es, extra manum dabis, de tutela postmodum disputabis. At fiet conventus apud Viennam: principes illic omnia disponent, facient quidem, si potuerint, si partis utriusque voluntatem habebunt. Verum quis Hungaros, aliosque regis subditos ad res æquas adducet? si non erit concordia, salvæ sunt tibi actiones, inquiunt: fatemur, sed non sunt salva castella, quæ hostes diripuerunt, neque tutela regis tibi salva est, quem comiti tradis, homini fallaci, & perfido. Quis agrum possidet, ac de illo litigaturus adversario tradit? omnes possessioni incumbunt, quoad possunt: tu te ipsum indicta, incognita causa spoliabis? si placet regem dimittere, disponito prius, quæ damnorum compensatio fiat, quæ præmia fideles, quæ pœnæ sequantur injurios, quæ retineas, quæ restituas oppida. Cuncta melius retento, quam dimisso rege, compones. Necesse est, ajunt plerique, amplecti pacem, quæ datur. Cincta est obsidione civitas, quatiuntur muri undique, victui necessaria desunt, auxilii spes nulla est; trepidat populus, hostis indies augetur, magnum dedecus, majus damnum, si capta civitate, & regem, & nos ipsos amittamus. O imperitas voces! o inexpertos homines! timerene hic capturam oportet, ubi oppidum forti milite plenum, alto muro, & fossa profunda circumdatum, & aquis munitum est perpetuo scaturientibus? octingenti milites, absque civibus, in urbe sunt, qui non solum hujus oppidi, sed urbis Romæ tueri possent mœnia: frumenti magna vis apud cives habetur, quamvis multi suum obtegant. Frangemus manu triticum, si molæ defuerint: absumtis aliis carnibus, equos vorabimus, non deerunt in quatuor mensibus cibaria, nequeunt hostes tamdin obsidionem tenere; abibunt quam primum nostros animos intellexerint obstinatos. Nec nobis, ut quidam putant, auxilia desunt. Scit tua Sublimitas Georgium Bohemiæ gubernatorem jam exercitum instruxisse, quem tibi adducat, ante decimum diem ad Danubium veniet. Stirienses ante octo dies cum quatuordecim millibus aderunt, Georgius de Puchaim,

Varia de his Palatinalium sententia: ac in primis dissuadentium.

„ chaim, Rogerius Stahrenberger, & qui tuas partes juvant, fine mora fuccurrent. Annus
„ Quid deinde facturum credis Albertum germanum tuum, cum te clau- Christi
„ fum audierit? an non ille cum Suevis defcendet? Quid infuper ceteri faciant 1452.
„ imperii facri principes? Credifne, te Dominum fuum per injuriam obfideri per-
„ mittent? Expelletur, ne dubita, perfida manus hoftium, aut in campo, quod
„ magis optandum, trucidabitur. Quod fi omnia hæc defuerint, non auferetur
„ fugiendi facultas: quid magni facimus hoftes, unam folummodo portam obfi-
„ dent, tres nobis ad exitum patent, invitis hoftibus cum rege Stiriam petere
„ poffumus, atque illinc prælium inftaurare. Quamquam etfi omnes portas ini-
„ mici cuftodirent, irruptionem noctu facientes, fi viri effemus, falvis liceret abi-
„ re. Alius quippe, fi hoc modo tuo loco claufus effet, in quemcumque locum
„ bombardæ hoftium dirigerentur, ibi Ladislaum inermem collocaret, ictus la-
„ pidum excepturum: fic enim aut omitteretur oppugnatio, aut, qui caufa
„ belli effet, in eum pœna rediret. Magnum quidem, atque horribile facimus, fed
„ fcelus fcelere vincitur. Perjuri homines Auftriæ ducem infequuntur, imperato-
„ rem obfident, papæ illudunt, divina, & humana jura pervertunt, & non omni
„ adverfus eos arte utemur? at puer innocens confervandus eft; immo vere no-
„ centiffimus, qui fuis fcriptis aufus eft hos modo, modo illos incitare, & ante
„ annos imperium affectare; propter eum hæc tempeftas orta eft; pereat ipfe
„ potius, quam dignitas imperii, & apoftolicæ fedis majeftas intereat. Tu fi fa-
„ pis has pacis leges, nulla ratione fufcipies.

Hæc cum duo, trefve dixiffent, haberentque non paucos fequaces, qui, etfi de *Suaden-*
Ladislao miffilibus hoftium objiciendo diffentiebant, pacem tamen improbantes, refiften- *tium con-*
dum inimicis fummo conatu fuadebant. Alii abominantes illorum verba, fententiamque *tra ratio-*
damnantes, in hunc modum confulebant. „ Si pergis, ut nonnulli fuadent, inclite *nes, &*
„ cæfar, pacem fugere, bellumque gerere, neceffe eft, fumtus quam maximos *momenta.*
„ fubeas. Nemo tibi auxilium præbebit, qui non abs te præmium petat. Inte-
„ rea, ut eft fors belli, caput tuum, & animas noftras objectabis periculo: ter-
„ ram Auftriæ tibi hæreditariam incendio dabis. Si vinceris, & rem fimul, &
„ nomen amittis: fi victor evadis, paras tibi aliquid laudis, at emolumenti nihil,
„ neque enim vivente Ladislao tuam facere provinciam potes. Tutoris fortaffis
„ nomine ad biennium, trienniumve dominaberis; quid tum? nunquid plus bel-
„ lum exhauriet, quam tutela tibi præftare poffit, nemo, qui fapit, cum pace
„ frui valeat, ei fe prælio immifcebit, cujus expenfas majores intelligat effe, quam
„ prædas. Age, quid mali fub promiffa pace continetur? nempe quod ante diem
„ tutelam remittere juberis: tutelam majores noftri onus effe, non honorem du-
„ xerunt. Levaris igitur, pace data, non gravaris, quin tu hodie facias, quod
„ poft biennium facere penitus oportebit: remitte puerum iftum, qui cum ve-
„ nerit in manus hoftium, non fecus Hungariam, Bohemiam, & Auftriam, quam
„ Junonem, Venerem, ac Palladem exitiale pomum, in contentionem adducet.
„ Tua Sublimitas domi quiefcens vindictam inimicorum videbit, cum illi propter
„ regem fe fe invicem laniabunt. Quod autem puerum morti offers, non crude-
„ le, fed horridum, abominabile penitus, execrandumque tua pietas judicabit
„ fcelus. (1)

Hæ in utramvis partem fententiæ dictæ funt, quarum poftrema, quod plus *Statur*
utilitatis, quam laudis, magisque ad Friderici ingenium accommodata effet, præ *primis*
alia placuit. Itaque ut conftitutum cæfar habebat, pacem fcriptis antea conditio- *conditio-*
nibus conficere, miffi ultro, citroque funt nuncii, qui provincialium animos rur- *nibus*
fum explorarent. Non abhorrebant hi a fœderibus, quorum conditiones fibi plu-
rimum proficuæ effent, volebant tamen, ne qua fraus, dolusque obreperet, ut
cæfar urbe exiret, & pacis capita præfens confirmaret. Quibus auditis, *placuit,* *Cæfare*
iterum, ut rurfus fcribit Æneas, *imperatorem ad hoftes exire, atque ipfis præfenti-* *in caftris*
bus firmare pacem: neque in ea re defuit labor: namque cum hoftes jam defiliiffent ab *Auftra-*
equis, & ad manum imperatoris recepti, rurfus equos confcendiffent, in colloquium *lium eas*
venien- *firman-*
te.

(1) Æneas Sylvius in rebus Frid. III.

Annus Christi 1452.

venientes, immutare pacis capitula nitebantur; parumque abfuit, quin ex colloquio rebus infectis difcederetur. Sed auctori pacis gratior pax, quam bellum fuit. Quippe laborantibus epifcopis, & adnitente omnibus ftudiis marchione, conditiones, quas fupra commemoravimus in concordia receptæ funt, datisque dextris confirmatæ. Promiferunt quoque fex hoftium duces intra dies octo pacis capitula, in fcriptis redacta, munire figillis: Idem cæfar cum epifcopis, & marchione bona fide facturum fe ait. Parfum eft humano fanguini, & ruri confultum. Hinc orta undique lætitia, & ingens gaudium, cum frater fratrem, & amicus amicum alloqui poffet, tum cæfarianis Auftrales mifcentur, atque ex duobus exercitibus unus efficitur. Omnes in cæfaris gratiam recipiuntur, duobus tamen dure refponfum eft: comiti juniori de Schaumberg improperatum, quod compater adverfus compatrem arma fumfiffet, neque maximæ in fe cæfaris beneficentiæ memor fuiffet; Eyczingerus autem cum cæfarem ad urbis portam fequeretur, veniam petens, crimenque fuum attenuans, nihil aliud audire potuit: feciſti, quæ libuit, judicet inter nos Deus. Atque finito colloquio cæfar in urbem rediit, Auftrales relictis caftris ad octavum ufque lapidem abierunt.

Ladislaus rex libertati reſtitutus ad vicum D. Bertholdi ducitur.

Die lunæ, quæ fuit quarta feptembris, comes Ciliæ, ceterique duces hoftium cum ingenti equitatu ad crucem lapideam extra portam, quæ Viennam refpicit, in confpectu urbis conftiterunt; eo namque, ut condictum erat, ad eos duci rex novellus debuit. Imperator igitur accerfito puero, atque epifcopis affignato, quatuor cum eo ex confilio mifit; Æneam epifcopum, Joannem Neipergium, & duos Ulricos. Hora itaque nona more Teutonico ante meridiem extra urbem miffus eft, ac comiti Ciliæ apud crucem exfpectanti commendatus. Eo in loco plurima verba, quæ ad pacem tenderent, facta funt; plures captivi libertati redditi, multæ injuriæ remiffæ. Incredibile dictu eft, quo gaudio fuum regem Auftrales acceperint; Eyczingerus uberes præ lætitia lacrimas emittebat. Hic Bohemi puerum, ibi Moravi confalutabant, ac veluti ex carcere miffum amplexabantur. Neque fatis vidiffe cuiquam fuit, quem mox inter fe recipientes clamoribus hominum, atque tubarum clangoribus undique perftrepentibus, ad balnea eo die, ut fi quid Stiriacum adhuc fupereffet, deponeret: exinde ad villam, quam Bertholdi vocitant, ubi & arx eft, quam comiti Ciliæ imperator crediderat, diebus aliquot manfurum deducunt. (1)

Bohemorum, & Stiriorum fera auxilia

Confecta hunc in modum pace, Georgius Podiebradius feptemdecim militum veteranorum millia fuppetias cæfari adducere ferebatur, jamque Auftriæ appropinquabat, cum ex nunciis conciliatam inter partes amicitiam, regemque Ladislaum Auftralibus redditum intellexit. Indigne eam famam accepit homo prædarum non minus, quam laudis cupidus, qui, & Auftriam fuis pro fpolio defignabat, & præclarum apud exteros nomen ob defenfum imperatorem fe obtenturum fperaverat. Itaque irarum in eos, qui cæfari pacem fuafiffent, plenus in Bohemiam rediit. Ipfi etiam Stiriaci cum fex pugnatorum millibus prope Neoftadium trans montes, qui Auftriam a Stiria dividunt, caftra metari nunciabantur, propeque Friderico auxilio affuturi. Qua re cognita ferunt cæfarem deproperata fua confilia vehementer damnaffe, qui tanto fuffultus exercitu, fi obfidio tantifper protracta fuiffet, Auftrales aut aperto prælio profligare, aut ab urbe nullo negotio removere potuiffet. Sed fera fuit ea pœnitentia, quod Ladislaus, cujus caufa bellum obortum eft, jam in manibus provincialium effet, neque tutum, & dignitati etiam fuæ indecorum videretur, fi refciffis fœderibus novum rurfus bellum inftauraret.

Rex Viennæ appropinquans ab fororе, & Viennenfibus fplendide acceptus eft.

Interea Ciliæ comes, cujus curæ Ladislaum ab cæfare creditum narravimus, veritus, ut is fatis ad Neoftadium ab cæfarianis tutus effet, puerum, communicato cum ceteris confilio Viennam indncere conftituit, tametfi id Fridericus diferte vetuiffet, metuens, ne fi illo puer duceretur in conventu, ad quem proceres omnium regnorum venire oportuerat, pacis conditiones variis hoftium machinationibus irritarentur. Auftrales tamen rege in poteftate fua conftituto, nihil fe cæfari obnoxios rati, motis ex villa Bertholdi caftris puerum, fuapte urbis vifendæ cupidum, Viennam deducunt. Cognito regis adventu, urbs tota

(1) Idem. ibidem,

extra

Annus Christi 1452.

extra muros effusa, venienti Ladislao ad montem viennensem obviam facta est, primique pueri ad quatuor mille fuere, qui singuli vexilla, in quibus gentilitia principis insignia depicta erant, deferentes, festivis cantibus regem acciperent. Ex monte in planiciem descendenti, Elisabetha soror, cum numerosa lectissimarum virginum, & aulicarum matronarum comitatu occurrit. Ladislaus, ut commonefactus est, sororem adesse, neque enim abhinc, quam postremum Viennæ fuit, illam viderat, equo desiliens, Elisabetham inter lacrimas complexus, tensum isthic tentorium ingreditur: ubi tenui paulisper cibo refectus cum porro progrederetur, viennensium civium uxores fertum perelegans ex unionibus magni pretii concinnatum, ei obtulere. Has academici cum capite suo, immistis ex ecclesiastico ordine viris, & incredibilis hominum multitudo, consecuti magna lætitiæ significatione Ladislaum salutarunt. Ita inter faustas, inconditasque gratulantium voces per mediam urbem ad divi Stephani deducitur, ubi ob liberatum ex cæsaris manibus regem Deo optimo maximo gratiæ habitæ, votisque pro ejus salute palam nuncupatis, in paternas ædes delatus est, civibus in lætitiam, ludosque præ solatii magnitudine propemodum intemperanter effusis. (1)

Mira hujus in puerili ætate temperantia.

Ceterum Ulricus Ciliæ comes, haud multo post luculenter prodidit, quorsum tot annorum consiliis, ac conatibus, quos liberando Ladislao impenderat, evaderet, neque tam regem ex Friderici manibus eripere, quam eo in potestate habito, auctoritate regia pro puero uti voluisse, satis constat ex vivendi norma, quam ei ad omnem mollitiem, qua ad corrumpendos principum animos nihil magis accommodatum est, præscripserat. Vita enim illius, ut primum ædes paternas incoluit, in hunc modum, Ænea teste (2), instituta est. *Mane, cum primum e plumis assurrexit, confectæ nuces, & Græci vini veteris, quod malvaticum appellant, ei pocula deferuntur; quibus prælibatis divina officia petit, missas publice audit, it, reditque per medias hominum catervas, ne cæsareæ cultor solitudinis videatur. Reverso assatas aviculas, & aliquid pulmentarii, regnicolaque vina apponunt, quæ ille prorsus evitat, ne potus consilium ingrediatur. Interea apparatur unctum, & copiosum prandium, nec minus, quam duodecim fercula exponuntur, & Australia vina, quæ plus habere spiritus videantur: admittuntur parasiti, scurræ, psaltriæ, cantatrices: qui plurimum placere cupiunt, aut cæsari detrahunt, aut regem laudant, & comitis magnifica gesta prædicant. Postquam cantibus, & saltationi satis factum est, meridianus somnus excipitur: exinde surgenti potus affertur, qui sopitam excitet animam & aliquid manducandum porrigitur, aut pomorum aut confectionum. Paulo post aut consilium petitur, aut in urbem equitatur; visunturque virgines, & nuptæ, quarum species egregia judicatur, ubi domum reventum est, apponitur cœna dubia, & in partem noctis producitur. Nec dormitum eunti vina, pomaque desunt, ac non petenti quidem, sed recusanti, & fastidienti cibaria ingeruntur. Ita dies pulchro distinguitur ordine rerum, quidam hæc magnopere damnant, altoremque comitem arguunt; quidam adeo cæsarem oderunt, ut omnia probent, quæ sunt ejus adversa moribus. At natura pueri bona, etiam inter has illecebras non corrumpitur; virilem gravitatem in puerili pectore gerit; neque vini, neque cibi plus, quam satis est, assumit, pauca loquitur, turpia detestatur, obloquentes cæsari coarguit, bene sibi apud eum fuisse affirmat, castissimum, & sanctissimum patruelem prædicat, cunctisque in rebus ita se gerit, ut prudentissimi principis speciem promittat. Qui congressus, & tanquam in acie quadam cum voluptuariis rebus, cumque vini, & cibi licentia cominus decertans adversus eas non fuga, neque absentia, aut timore magistri, sed vigore animi, & constanti præsentia supra quam pueri vires ferant, usu moderatissimo tutum se præstat.* Hæc propterea commemorare visum est, ut sciretur, quid castigata principum educatio ad regnorum felicitatem referre soleat, & qualem in Ladislao regem olim habituri fuerimus, si eum immatura mors rebus humanis non exemisset.

Hun-

(1) DE ROO hist. Aust. lib. VI, & ÆNEAS SYLVIUS in rebus Friderici III.

(2) Idem ibid.

Annus Christi 1452.

Oborta inter Hungaros, & Australes de rege jurgia.

Hungari, ut primum regem liberatum, & Viennæ apud Auſtrales commorari acceperant, Auguſtinum Jaurinenſem epiſcopum miſere, qui eum regni nomine interea ſalutaret, quoad proceres urbem peterent, Ladislaum veneraturi. Nec diu poſt Dionyſius Archiepiſcopus Strigonienſis, cum Varadienſi, & Vacienſi, epiſcopis, Ladislaus Palatinus, Nicolaus Tranſylvaniæ Vayvoda, & Ladislaus gubernatoris filius, nam ipſe reipublicæ cauſa in regno reſtiterat, ceterique optimates, ac civitatum legati cum duobus equitum millibus aderant. Admiſſi ad regem ſplendidiſſima dona obtulere, adjectis precibus, ne proximo quovis tempore in Hungariam concedere gravaretur, tum ut regni poſſeſſionem, poſt tam longam apud cæſarem commorationem adiret, tum ut reipublicæ, quæ per ejus abſentiam labem ſecerat, ex communi ordinum ſcito conſuleret. Auſtrales veriti, ne Ladislaus Hungarorum votis ſubſcriberet, itaque fructu laborum, quos regis cauſa exantlaverant, ipſis carendum eſſet, ſummis viribus contra nitebantur, ne avitam ſuorum provinciam deſereret: cumque res utrinque ad verborum jurgia venire videretur, ac Ladislaus ad palatii feneſtram ſeceſſiſſet, paululum meditatus, utri parti ſe jungeret, ad Hungaros denique declinavit, ac ſuopte ingenio, *mihi*, inquit, *quia ſum Hungarus, apud vos eſt manendum.* (1) Quæ vox ut non ex alterius ingenio, ſed ſponte ex puerili ore prolapſa eſt, ita incredibili Hungarorum gaudio accepta & creberrimis poſtea epiſtolis per regnum vulgata eſt: idque Dionyſius Strigonienſis Æneæ Sylvio, qui geſtæ rei interfuit, ter renarravit, veritus, ut ſatis ab eo rex, cum hæc dixerat, intellectus eſſet. Tum magna clementiæ ſignificatione habiti a rege proceres, in regnum remiſſi, ac ut conventui Viennenſi ad divi Martini lucem cogendo intereſſent, mandatum. Abhinc Auſtrales partium ſtudiis bifariam diviſi ſunt: Ciliæ comiti, qui Hungaris ſtudere videbatur, principes cujusvis ordinis viri, optimatesque favebant: Eyczingerus plerasque urbes in obſequio habuit, Bohemorum parti, conjunctus, ut adeo regis libertas ſeminarium diſcordiarum, quæ poſtea inter Auſtrales obortæ ſunt, non de nihilo videretur fuiſſe.

Ipſe memorabili dicto dirimit.

Hunyiadi apud Ladislaum invidia conflatur.

Quamquam ne in Hungaria quidem res ſatis pacatæ erant, plerisque tam diuturnæ dominationis, qua Hunyiades ad regni commodum utebatur, jam pertæſis. Multa adverſus illum a quibusdam procerum, qui regem Viennæ ſalutarant, Ladislao dicta: eum magis regni proditorem, quam gubernatorem videri, qui duos exercitus, maximamque Hungarorum nobilitatem Turcis prodiderit, regemque Wladislaum de induſtria triſtiſſimæ neci objecerit. Nunc regnum ab eo premi potius, quam vicaria poteſtate adminiſtrari, neque jus ex legum norma, ſed ex ejus libidine, eorumque, quorum conſiliis uteretur, avaritiæ pronunciari. Hæc, ut poſtea ex eventu patuit, Ulrici Cilejenſis comitis ſtudio, arteque adverſus Hunyiadem vulgata, quod eo ex gubernatione regni dejecto, primum ab rege locum, ut erat omnino ambitioſus, ſe ſe occupaturum ſperaret. Quæ ubi gubernator intellexit, Giſcram, cui hoſtis ante fuerat, miſſis clam nunciis ſibi conciliat, cujus ope & Cilejenſis inſidias eluderet, & inteſtinas factiones, ſi quas oboriri contingat, prius ſopiret, quam regnum paucorum maleficio novis turbis implicaretur. (2)

Legatorum Bohemiæ ad regem venientium poſtulata.

Hæc inter Bohemi quoque, ne parum officioſi viderentur, celebrato Pragæ conventu, legatos, qui regem ſalutarent, Viennam mittendos cenſuere. Erant inter hos præcipui proceres, de monte ſtellarum, & de roſis, nobiliſſima urſinæ Romanorum gentis ſoboles, tum qui de lepore, ac cygno familiarum nomina adepti ſunt. Hi cum Ladislaum Viennæ conveniſſent, *non ceterarum gentium more, ſuo principi munera porrexerunt, qui ſoliti ſunt ex regibus dona ſuſcipere. Salutarunt autem Majeſtatem ejus, ſibique verbis pluribus gratulati ſunt, qui jam tutela depoſita, regnorum ſuorum ſuſcipere curam vellet: terram Bohemiæ, quæ diu jam rege caruiſſet, multis ſubjectam calamitatibus, cupide ſuum adventum expectare; voluntarios eſſe Bohemos regni coronam ſibi tradere, ſi modo capitula quædam pro pace regni eis promittat, & ne differat ad ſe proficiſci: niſi cito iret, timendum eſſe,*

(1) ÆNEAS SYLVIUS in rebus Friderici III. (2) Idem Ibid.

Annus Christi 1452.

esse, ne regem alium sibi plebs adsisceret, verum cum pleraque peterent, quæ neganda videbantur, sæpe interrupti tractatus, rursus integrati fuerunt. Cumque aliquando coram rege mentio de Bohemis fieret, tamquam aliqua peterent non consona fidei, at si me, inquit Ladislaus regem habere cupiunt, christiani sint oportet, & quam ego teneo fidem, teneant. Quæ vox plures ex consilio fecit attonitos, cum regem, quamvis parvulum, zelum intelligerent fidei habere. Comes autem de pulchro monte, cui nunquam religio cordi fuit, ubi advertit, mutare consiliarios, & quid vos, inquit, ea curatis, quæ Romanam sedem respiciunt: quid nostra interest, quo modo Bohemi cum papa se habeant, ubi archiepiscopum accipiant, quo jure teneant ecclesias, quo ritu celebrent; curent sacerdotes, quæ sua sunt, nos de regno cogitemus, ne regi pereat. Sive christiani fuerint Bohemi, sive pagani, nostri sunt, dum regi tributa pendant, quam velint sectam sequantur. Denique in has leges conventum est: quæ sigismundus avus, & Albertus Ladislai pater, Bohemis promisere, ea immota esse: inter Bohemos, & Basileense concilium pactiones habitas, inviolatas manere, Joannem Rochezanam in archiepiscopum gentis petendum, neque fidem novam, neque alium præsulem in regnum, dum is vixerit, inducendum. Quæ regni nomine per barones post mortem Alberti gesta sunt, rata consistere; regnicolis, quæ occuparint feuda, non auferri, quæ Fridericus cæsar de regno donaverit, irrita esse. Ladislaum in festo Joannis Baptistæ Iglaviam petere, ibique per Bohemos susceptum duci Pragam, in festo Bartholomæi coronam suscepturum. Sic rex animo bonus, consilio malus inventus est, qui vel invitus ea pacta signavit. (1)

Celebrato Viennæ conventu.

Legatis in Bohemiam reversis, dies conventui viennensi præstitutus appropinquabat, ad quem multo ante episcopi Frisinganus, Ratisbonensis, & Eichstetensis, tum Ludovicus, & Otto Bavariæ duces, cum Alberto Brandeburgico, & Carolo Badensi advenerant, ut inter Fridericum, & Ladislaum, illustrata lite, amicitiam conflarent: pro cæsare Aeneas Sylvius cum aliis aderat, & cardinali sancti Angeli legato apostolico, cum principibus imperii, arbitrium pacis mandatum est. Non multo post Joannes Hunyiades, & cum eo Dionysius Strigoniensis præsul, Colocensis, Varadiensis, Jaurinensis, Transylvanus, & Agriensis episcopi, ex profano autem ordine Ladislaus de Gara regni palatinus, Nicolaus Transylvaniæ Vayvoda, tum legati civitatum viri graves, & aspectu venerabiles Viennam venere. Hos Aeneas prius, quam cum Australibus cæsaris nomine ageret, adeundos censuit, brevique oratione causas conventus explicat, quæ cæsar peteret, aperit, obtestaturque, ut operam ad tollenda dissidia conferrent, hæc se cum ab eorum in regem benevolentia, tum auctoritate in Australes omnino sperare. Videbant Hungari, Aeneam id in primis agere, ut divisis sensim animis sententiæ quoque in conventu dividerentur, atque eum in modum pax Friderico utilis, Ladislao iniqua conficeretur. Itaque omnia se ea voluntate Ladislai, & Australium consilio acturos spoponderunt, communem causam, communi itidem voluntate dirimendam esse: principes pacis arbitros omnium consensione constitutos, horum judicio, quidvis, re deliberata, decrevissent, stari oportere. Itaque in principum, in quos omnes prius conspirassent, senatu, ac consessu, res agi coepta est. (2) *Petitio cæsaris fuit: resarciri damna, quæ passus esset, administrationem tutelæ recipi, atque in poenam rapi nocentes. Australes conjuncti Hungaris, oppida, quæ cæsar aut in Austria, aut in Hungaria occupasset, & regni coronam repetebant. Id cum legati cæsaris ex principibus cognovissent, ac respondere juberentur; in corona, inquiunt, non facturum cæsarem controversiam, si cetera componantur. oppida Hungariæ partim jure pignoris teneri, partim emtione, partim justo bello quæsita: Australia vero, aut Albertum, aut Elisabeth, Ladislai parentes, vel sibi, vel Friderico patruo suo, accepta pecunia pignori tradidisse. Indignum esse, ea repeti ære non reddito. Quæ jure tutelæ tenerentur, resarcitis belli damnis, non negaturum cæsarem, quamvis adhuc tutela regis, nondum puberis, ad se pertineret; quem dum bene nutrirent, pacis causa apud comitem, ceterosque non invitus dimitteret. Australes & alia castella esse dicebant, quæ Cæsar recepta pe-*

Lites inter cæsaris & foederatorum legatos obortæ.

(1) Idem ibidem.

(2) Idem ibidem.

Annus Christi 1450.

cunia plerisque nobilibus pignori adscripsisset, debere cæsarem illa redimere, qui supra decies quinquies centena aureorum millium numum ex Australibus hausisset. Legati subridentes, facile, inquiunt, multa millia verbo colligimus, cum manum apponimus, vix centena in dena redeunt, – – Hungari, quantum ad se pertineret, negabant, reginam, quæ coronæ oppida fuissent, pignori obligare potuisse, aut ullum extraneum coemere castra in Hungaria, quamvis agri, & vineæ cunctis essent venales. Quæ bello quæsita narrarentur, nobilium fuisse, & baronum ajebant, nisi his restituerentur, aut armis tuenda, quibus obtenta fuerant, aut amittenda. Nec justum fuisse bellum affirmabant, quo se cæsar lucratum illa referret. Legati ad hæc Wladislai regis Poloniæ, qui tempore belli, de quo est sermo, rerum in Hungaria potiebatur, induciarum cum cæsare factarum litteras proferebant; quibus cavebatur, qui ex Hungaria in Austriam, aut Stiriam rapinas ageret, aut ex Austrio, sive Stiria in Hungaria prædaretur, eum licere parti læsæ, quamvis non requisita altera parte, compescere dicebant. Ex oppidis, quæ repetebantur, sæpe in Austria, & Stiria rapinas, & cædes admissas: petivisse cæsarem, ut malefactores suos Hungari punirent, illosque respondisse, implicitos se bello Turcico, non posse latrones corripere, neque scribendum his esse, qui parituri dicto non forent. Cæsarem, si velit, aut possit, auctoritatem habere, qua illos coerceret. Congregasse cæsarem exercitum, expugnasse munitissimas arces, supplicio latrones affecisse, indignum esse, costello sine satisfactione sumtuum reddi. Super pignoribus, & emtionibus jure discuti litem petebant. Hungari, cum hæc inficiari nequirent, aliud refugium quærunt. Ladislaum, inquiunt, banum, cujus castra fuerunt, sub fide publica ad se venientem, a cæsare in carcere fuisse conjectum: hinc latrones patrimonium ejus occupasse; ab his Austria, & Stiria vexata, originem malorum ex cæsare profectam, qui virum bonum sine culpa comprehendit.

Variisque sententiis agitatæ.

His ultro citroque magna verborum, & animorum contentione jactatis, cum pacis arbitri viderent, convenire partibus non posse, clam primum cum Hungaris, tum Australibus egere; quos ubi propositis in medium conditionibus proclives ad pacem habuissent, Friderici legatis seorsim vocatis aperte edixerant, *se se viam æquitatis Australibus, & Hungaris magnopere suasisse, istosque tandem in hunc modum respondisse: quæcunque castra jure pignoris, sive in Hungaria, sive in Austria cæsar occuparat, ea pro chirographorum sententia servet: reliqua cum corona Hungariæ restituat: quæ sua Majestas inscripsit aliis, ære suo redimat. Ad eam rem auri octoginta millia numum ex Australibus accipiat, eo pacto quinquaginta millia lucri facturum cæsarem, nam pignora facto computo triginta millium reperiri. Suadebant igitur has conditiones recipi, quando aliud obtineri non possit; alioquin videre se bellum ajebant, timere cæsari, quem licet justum intelligerent, tamen inermem viderent. Cumque legati cuncta refutarent, ituros se ad cæsarem dicunt, secumque rem tractaturos, utque Senensis episcopus, & Ulricus Riderer eo proficiscantur, relictis Viennæ ceteris, orant. Geritur principibus mos. In præsentia cæsaris Albertus Marchio res Viennæ gestas, & pacis leges exponit. Ac cum Cæsarem majora petentem cerneret, nos, inquit, Marchio res ad calcem deduximus, nihil est, quod amplius extorqueri possit. Aut has pacis conditiones, aut bellum amplecti oportet: quamvis tua Majestas sponte ingenio, quid horum sit antiquius, novit, neque nostro consilio egeat.* (1)

Aegre arbitrorum studio sopiuntur.

Fridericus, qui & a bello abhorrebat, neque pacem tam iniquis, ut putabat, conditionibus oblatam amplecti, e re sua existimaret, fidissimos sibi ex palatinatibus præsto esse jubet, ac, quid de foedere illis videretur, in medium proferre. Plerique, ac inter hos præcipue Aeneas, non aspernari oportere conditiones, quas adversarii offerrent, contendebat, quod bello gerendo plus sumtuum esset faciendum, quam, quod ea pace perditurus erat. Utendum tempore etiam esse, ne rescissa foederum tractatione, principes factiosorum partes amplectantur: quod si fieret, difficultates maximas oborituras, ex quibus an sese, destitutus ab omnibus, extricare posset, ipsum optime videre, cui rationes do-

(1) Idem ibidem.

mesticæ

Annus Christi 1452.

mesticæ præ ceteris perspicuæ essent. Idem ab reliquis suasum: parum tamen proficua futura erat adhortatio, nisi Albertus cæsaris frater, Fridericum emollivisset. Itaque ex hujus consilio sic utrisque convenerat: ut imperator oppida, paucis demtis, Ladislao restitueret: imperatori contra septuaginta aureorum nummum millia penderentur. Quominus tamen tabulæ in hunc modum confectæ publica autoritate firmarentur, Cilejensis in causa fuit, per cujus absentiam nihil constituere Ladislao visum est. Ita pacis leges ex anno in annum tractæ, neque unquam seria inter cæsarem, & Hungariæ regem amicitia stabilita est. (1)

Ladislaus Hunyadem ob præclare administratam rem publicam, comitem Bistricensem creat.

Ladislaus in anni exitu Joannem Hunyiadem, quamquam multi eum apud se invidiosissime criminati essent, prius in Hungariam, quam reverterat, summa benevolentiæ testificatione excoluit, actisque pro adhibita regno cura gratiis, in dignitate porro confirmavit. Adjecerat clementiæ beneficium quoque, & bene de republica meritum, in foro carmelitarum, erecto ad id suggestu, sedeque sedens aurea, ac regali ornatus paludamento provinciam Bistricensem in Transilvania Moldaviæ ad septemtrionem objectam, donum dedit, ejusque regionis comitem publico edicto creavit. (2)

Et singulari laudum testimonio publicis litteris postea confirmat.

Quod etsi serius postea, primumque, cum rex Hungariam petierat, vulgatum fuit, tamen quoniam & rerum series, & illustrata regio testimonio Hunyiadis vita id postulare videntur, hoc loco, tametsi mancum, posterorum memoriæ prodendum est. (3) In eo itaque Ladislaus, ducto a primis fere incunabulis exordio, fatetur; *quod ipse Joannes regnante quondam gloriosissimo principe Sigismundo* (sunt verba diplomatis) *tunc rege avo nostro beatæ memoriæ, annos juveniles laudabili indole exegit, in quibus præmaturum sensum, & adultam semper gravitatem præfferens, studuit, ut quo plurimi aliena ope, & suorum majorum titulis irrumperent, eo suis sudoribus, virtute, ingenio, vigiliis ascenderet, pulchrum gloriæ genus existimans, producere posteris, & nascendis, nominis decus, & dignitatis initium afferre. Adolescentia vero egregie traducta, corpus ad tolerandos labores, & militarium exercitiorum actus assuefaciens, & habile reddens, futurorum inclitorum operum suorum fundamenta certis præsagiis jecit, & ingenuis moribus, quasi quibusdam gradibus ad dignitates, honores, & gloriosam nominis famam liberos sibi ascensus comparavit? præclaræ enim indolis miles, & imperiali obsequio dignus, tunc primum regiis militibus connumeratus, & successive consiliis admissus, integra fide devotisque obsequiis præfato avo nostro, sive pro susceptione imperialium, infularum seu recuperandis juribus regni sui Bohemiæ procedenti servivit. In aliis cunctis negotiis gerendis, & rebus bellicis ad tempora vitæ suæ fideli semper solicitudinis diligentia inseparabiliter adhæsit, pro cujus eadem honoris amplitudine sæpius capitis periculum bello, & armis adiit, adeoque se ei in omnibus reddidit acceptum, ut singulari quodam amore regio dignus habitus, & notatus, ac per eum prima dignitate in hoc regno nostro donatus fuerit, altioribus eo tunc sublimandus honoribus, nisi ipse avus noster vita excessisset. Succedente tamen excellentissimo principe domino Alberto, similiter Romanorum, & Hungariæ rege, & genitore nostro felicis recordationis, præfatus Joannes coeptæ jam dudum felicitatis opera continuo incremento augens, & in ipsius genitoris nostri obsequiis, ac expeditionibus bellicis, quas sive adversus aliquos rebelles regni sui Bohemiæ, sive contra Turcos laudabili semper exitu confecit, nunc prudentis consiliarii, nunc vero strenuissimi militis agens officium, adeo fuit continuus, & utilis, ut ab eodem genitore nostro primum de milite ad numerum baronum regni, banatus Zewerimiensis, qui clarus baronis titulus est, insignibus meritis creatus sit, ubi & gloriosa tandem adversus Turcos, eo tunc illis partibus oppido infestos, prælia ipse, & egregius alter Joannes de ipsa Hunyiad, miles sibi sanguine frater, fortissimaque* *stre-*

(1) Idem ibidem.

(2) AENEAS SYLVIUS in hist. Europ. cap. XXII.

(3) Communicavit id mecum ex autographo depromtum FRANC. PALMA S. I. Sacerdos, qui id a P. WAGNER ejusdem Soc. accepit: quorum ille rem Hungariæ scutariam, hic res Scepusiacas in lucem proxime vulgabit. Opto ut plures idem litterarum amor incessat, quo historiam patriam undequaque illustratam habeamus.

Annus Christi 1452.

strenuitate par, & socius, victorioso semper sine sæpius confecerint, consequenterque ipso etiam domino genitore licet satis præmature, ut tamen domino placuit, vita functo, dum regnum nostrum Hungariæ, nobis eo tunc apud incunabula, & alienam educationem ætatem agentibus, idoneo tutore orbatum, & intus gravissimis discordiis exortum fluctuaret, & foris grassante Turcorum tyrannide innumeris affligeretur malis, utpote cum ipsi Turci vastare agros, diripere villas, homines sine discretione sexus, & ætatis vel trucidare, vel abducere impune consueverint, & pene inferiores ipsius regni nostri Hungariæ partes usque ad fluvium Titiæ, & item ex altera parte, usque ad interiora loca regni nostri Sclavoniæ vel miserabiliter evastarant, vel occuparant, adeoque gravissimo motu jam totum regnum concusserant, ut - - - solam restare putarent occupationem, præfatus Joannes de Hunyiad medio tempore Wayvoda Transilvanus, & comes Themesiensis creatus, factus etiam capitaneus Nandor Albensis, & aliarum inferiorum partium, eis titulis non minus, quam acceperat, dignitatis, & gloriæ restituit, illiusque suæ sublimitatis primordia quibusdam victoriæ generibus consecravit. Cum enim in primis victrici bello in terras Serviæ prope castrum Nandor Albense - - - Vayvodam Teucrorum, qui eo tunc castrum Zendrew cum tota ipsa terra Serviæ occupatum tenebat, consequenter vero, cum paucis post diebus alter Teucrorum exercitus ob non nullas jam pridem de nostris acceptas victorias amplo milite superbus, & gloriæ cupidus, partes nostras Transilvanas solita ferocia, ac hominum, & rerum prædam acturus subintrasset, memoratus Joannes Vayvoda cum illarum partium gentibus pro fortissimi ducis officio strenue illi congressus, ubi dum collatis signis, & consertis manibus mors utrinque crudesceret, adeo laudabiliter cum hoste conflixit, ut ipse adversi exercitus dux, qui Mizethegh vocabatur, una cum filio suo vice capitaneo occisus, refusam prædam proprio, & filii casu suppleverit, suis omnibus complicibus vel fusis, vel captis, vel paucissimis fuga salvatis: ex quo opere huic regno ea accessit utilitas, ut partium Transalpinarum, & Moldaviæ Vayvodæ, qui adhuc progenitorum nostrorum temporibus sacræ hujus regni coronæ rebellando Turcis se subjecerant, ipsius Joannis Vayvodæ tum consilio inducti, tum metu concussi, rursum huic regno cum tota sua terra se restituerint, pristina fidelitatis obsequia nobis usque in hunc diem exhibendo. Quibus peractis exstante adhuc satis recenti hujusmodi felicium rerum fama, huic viro meritissimo ex his illustribus principiis gloriosior, & longe excellentior digna laude, per omne ævum celebrandus alter victoriæ titulus accessit. Dum enim Teucrorum dominus, hunc supra attactum suorum interitum indigne ferens, & totis viribus ulcisci desiderans, magnum suæ coactæ potentiæ robur, numero octoginta millia hominum, prout de hoc certa relatione edocti sumus, sub ductu Bassæ sui, videlicet principalis vice-gerentis, armis, & numero instruxisset, ipseque Bassa in Transalpinas ductaret, ea quoque fere tota vastata amplissimam hominum, & rerum prædam referret, intentus dehinc e vestigio in novas prædictas partes Transilvanas vastandas succedere, præfatus Joannes Vayvoda, aggregatis quibus potuit gentibus, inimicam multitudinem, longe ei impar numero, ad usque illarum partium extra persecutus, vel vincendum, vel moriendum statuit. Hic vero suas artes, fortitudinem, & bellicam industriam cernere erat: invadere enim hostem, quam invadi satius ducens, arduum, & magnum, ac suorum viribus longe impar, bellum fortiter suscepit. Quo prudenter administrato, felicissimeque gesto, & confecto æterna laude memorabilem victoriam reportavit, in qua re & antiqua gentis Hungariæ gloria, famaque reddita est, & suum nomen omnibus in locis eo facto maxime celebratum, eximii cujusdam triumphi specimen exhibuit. Fusa enim innumerabilis multitudo hostium, moribundis longe, lateque cadaveribus amplissimum certaminis campum patefecit, indelebilem cunctis miserandæ suæ cladis historiam derelinquens, innumerabilibus hostium majoribus in captivitatem redactis, amplissimisque thesauris, & omni pretio exercitus supellectili in prædam nostram deventis & divisis. Tot felicibus autem vir magnificus animatus victoriis, alios aliis insignes actus, grandem & sumtuosissimam tandem egregiorum militum expeditionem coegit, cum quo regnum Serviæ, seu Rasciæ, & Bulgariæ transgressus, & usque ad oram Romaniæ penetrans, quæ omnia Teucrorum dominus antiquis ab annis occupa-

ta

ta tenebat, civitatem Sophiam, & quam plures alias civitates, oppida, castra, totasque fere terras illas, fædæ gentis domicilia, igne & gladio vastavit. Annus Christi 1452.

In quo quidem progressu crebris, præcipue vero sex prælis continuas adeptus victorias, ingenti hostium, & hominum, & rerum præda onustum salvum reduxit exercitum, infinitis hostium captis banderiis, quæ in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis Budensis in sui æternam laudem per futuro secula pendebunt, utpote tot triumphorum illustrium pulcherrima, & præclara monumenta. Ex quibus secutum est, ut ipse Teucrorum princeps tremefactus, totum regnum Rasciæ, cum ejusdem terræ castris, quæ antiquitus occupata, quasi regni hujus membri claves tenebat, manibus illustrissimi principis Georgii, Despoti Rasciæ, hujus regni membri fidelis, nomine, & ex mandato regni Hungariæ recipienti, restituit, quæ per eum usque ad hæc nostræ ætatis tempora pacifice, & fideliter possidentur. Rex etiam Bosniæ eo respectu ad pristinæ obedientiæ, quam negaverat, rediit gremium, in quo hucusque perseverot. Quid multa? horum gloria meritorum, harum fama virtutum, cum præfatus Joannes Vayvoda non solum regnicolis gratissimus, verum etiam remotis, & externis notus esset, brevi altioris dignitatis sedem ascendit, & quod laudum suarum cumulus est, una cum omnium prælatorum, & baronum, & procerum regni consensu & singulari amore in nostra absentia, & sub nostro nomine totius regni Hungariæ præses factus exstitit, & gubernator: in quo quidem officio quam juste, integre, fortiterque regnum illud nostro nomine administraverit, tenuerit, quantaque diligentia in tanto regno versatus fuerit, fidem faciunt fortia sua acta, & facta tam adversus Turcos, quam intrinsecæ guerræ - - - sopitos autores, & præsertim duo alia quædam fortissima prælia, quæ tandem grandi gentium numero, sumtuosissima impensa coacta cum ipsius Teucrorum principis persona, & tota sua potentia, in propria quoque ipsius terra media, magnanima strenuitate peregit. In quibus etsi occulto Dei judicio, qui solus facit, ut persæpe fideles suos in conculcationem blasphemorum nominis sancti sui exponat, fortunæ suæ parti novercata exstiterit, & plurimi egregii milites occubuerint, duplum tamen damni semper refudit hostibus, qui pœnitendas sortiti sunt exequias. - - - Laudibus etiam hujus viri non immerito adjici potest, quod his adversorum casuum vicibus, ipsoque discrimine, in quibus non solum charissimos plures & fratres & amicos & familiares sibi, bellica calamitate raptos amisit, sed etiam proprii sanguinis multum effudit, sibi animum defuisse, aut fortitudinem lassatam esse, nunquam fuit visum. Quin imo vir fortissimus magnanimum, excelsumque quam maxime conservans vigorem, sua prudentia de captivitate, in quam in ultimo dictorum duorum præliorum inciderat, libertati restitutus, patriæ secum salutem restituit. Nec solum externis malis hoc regnum eripuit, sed & interna quiete composita effecit, ut tota natio, & respublica regni nostri Hungariæ, submotis, sublatisque civilibus bellis, & internis turbinibus, qui paulo ante & voluntates, & mentes hujus generis a se distraxerunt, una invicem nos dominum suum - - - - naturalem, & - - successorem regiminis, & hæredem declaraverit, susceperit, & recognoverit. Sic præfatus Joannes gubernator regnum illud nobis, & sub nomine nostro constanti fidelitate tenuit, atque in hac constantia, etiam innumeris bellorum motibus adversantibus perseveravit, postremo ipsum regnum Hungariæ confinibus suis dudum amissis, recuperatis magis auctum, magisque a parte infidelium Teucrorum, quam temporibus dictorum avi, & patris nostrorum, regnum tenebatur, dilatatum majestati nostræ fideliter restituit, votiva pacis tranquillitate gubernandum, quod quidem ut apertius confiteamur, vel sola, vel maxima ejus industria, sollicitudine, & bellicis artibus servatum est. Ut igitur vir tot inclitorum operum numero præstantissimus, cui nullus honor, nisi meritus referri potest, & qui in tot præclaris actibus multum sui, & suorum sanguinis effudit, gratam sibi majestatem nostram persentiat, & ex nunc benevolentiæ nostræ aliquos videat favores, in futurum majores experturus, ad omnium prælatorum, baronum, & nobilium regni nostri Hungariæ nunc hic Pestini congregatorum, totum regnum Hungariæ præsentantium instantiam, nobis pro ipso viro expressis tot meritis suis, factam, ac de consilio maturo, consensu, deliberatione, collaudationeque, nulla

la

Annus Christi 1452.

la discrepantia facta, volentes dignitatem illam gubernationis temporaiem, quam hactenus dignis meritis ad præfinitum tempus (gessit) *in aliam perpetuo commutare, ipsum Joannem de Hunyiad, ac filios, hæredesque eorum universos super civitate Bistricensi, & districtu ac ejus pertinentiis, in partibus Transilvanicis habitis, in perpetuos liberos comites majores, dictum vero districtum in comitatum perpetuum, sicuti pridem in civitate nostra Viennensi, in sede, & habitu Majestatis regalis sublimi constituti, assistentibus nobis quam plurimis ducibus, & marchionibus - - nostris, & toto consilio nostro, observatis omnibus illis ceremoniis, quæ in talibus observandæ sunt, solenniter nominavimus, præfecimus, & creavimus, ita & nunc de novo intra metas regni nostri Hungariæ constituti, de plenitudine nostræ regiæ potestatis, nominamus, præficimus & creamus, eumdemque comitem Joannem ac filios, & hæredes suos, sed & comitatum prædictum ab Vayvodarum, & quorumlibet judicum, & justitiariorum illarum partium judicatu, & a jurisdictione eximendo, solius nostræ præsentiæ, aut palatinali, & judicis curiæ nostræ judicio reservamus, decernentes, ut ipse comes Joannes, ac filii, & hæredes universi cera rubea, quo ad sigillum in signum excellentiæ comitatus, ac aliis omnibus illis gratiis, honoribus, prærogativis, & privilegiis, quibus ceteri majores comites liberi, & perpetui, de jure, vel consuetudine utuntur, gaudeant, utantur, & fruantur perpetuis semper temporibus universis: recepto ab eodem comite Joanne in persona sua, & hæredum suorum firmissimo in talibus præstari solito, nobis, & successoribus nostris regibus Hungariæ fidelitatis, & obedientiæ juramento. - - - -*

Ex quibus, de hujus ortu probabilis conjectura conficitur.

Hactenus rex in diplomate, quo ad illustrandas Hunyiadis res gestas nihil magis appositum dici, nec honorificentius de ejus fide testimonium præberi potuit: tametsi Ladislaus Ulrici Cilejensis comitis criminatione circumventus, multum de suo judicio haud multo post tempore detraxisse videri possit. Ceterum satis, ut reor, his litteris conficitur, eorum opinionem, qui Hunyiadem Sigismundi regis filium, ex concubina procreatum prodidere, a fundo penitus convelli. Sed de hoc alias, quid nobis veri videatur simile, & sententiam nostram promemus.

LADISLAUS POSTHUMUS.

Annus Christi 1453.

Rex Posonium in Hungariam contendens.

Vix annus se se explicuerat, cum sub principium sequentis rex promissi memor, Posonium cum Ciliæ comite, & primis Australium viris Vienna descendit, quo jam dudum Hunyiadis jussu regni ordines convenerant. Acceptus est incredibili omnium lætitia, magnaque ex toto regno facta est hominum concursatio, regem post tam longam Hungariæ orbitatem videre, salutareque cupientium. Ferunt liberali adolescentis specie adeo plerosque perstrictos esse, ut eorum, qui illum solio excluserant, studia, conatusque palam, & manifestis vocibus damnarent. Quæ res, ubi conventus haberi cœptus est, cunctorum voluntates Ladislao mirifice conciliavit. Dicto enim pro more regni ordinibus sacramento, non solum electio novi regis probata, sed coronationis etiam solennitas, quadrimestri olim infanti Albæ regiæ exhibita, tacita omnium consensione rata est habita. Ex quo in more Ladislao fuit, ut annos regiminis eosdem prorsus, quos nativitatis censeret, ut diplomata ejus nomine signata, apertam fidem faciunt. Abhinc collato cum proceribus consilio, saluberrimas toti regno sanctiones vulgavit: earum fere hæc capita fuere. Rex ordinibus, hi vicissim regi fidem jurejurando obstringerent: illis, qui civitatis jure non gauderent, ut ne regni munera crederentur: quæcunque Wladislaus Polonus, tum Elisabetha regis mater donum aliis dedissent, pro antiquatis ut habeantur: solo æquarentur munimenta, quæ per factiones structa essent: rapinis poneretur modus, suumque cuivis, quod per nefas ablatum sit, restitueretur: Joanni Hunyiadio, ob conservatam rempublicam gubernatoris potestas prorogaretur, denique tributa, quæ præter morem essent, citra ordinum consensionem non imperaren-

Chattoque isthic ordinum conventu.

rarentur, ſed præſtat in exterorum gratiam ipſas litteras publica regis, optimatumque autoritate firmatas, ex quibus hæc depromſimus, in lucem afferre. (1)

Annus Chriſti 1453.

Publicas leges ex Patrum ſcito ſancit.

„ Nos Ladiſlaus Dei gratia rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Auſtriæque, & Stiriæ dux, necnon Marchio Moraviæ &c. memoriæ commendamus per præſentes. Quod cum nobis noviſſime de manu, poteſtate, & educatione domini Friderici imperatoris Romanorum exeuntibus, prælati, barones, & nobiles regni noſtri Hungariæ generali conventione, primum nuper Viennæ ad nos congregati, relictis omnibus diſſenſionibus, nos verum, & naturalem eorum regem, & dominum, devota fidelitatis oblatione, concordi animo honoraſſent, recognoviſſent, & ſuſcepiſſent, conſequenterque poſſeſſionem hujus regni, nobis grata oblatione reddentes, invitaſſent nos, & conduxiſſent in hanc civitatem noſtram Poſonienſem, pro faciendis ordinationibus, quæ pro conſervando ſtatu, & pace ipſius regni opportunæ videbantur. Tandem inter alia, quæ hinc inde concorditer expedita ſunt, prælati, barones, & nobiles univerſi exhibuerunt nobis concorditer, & præſentaveruut articulos infra ſcriptos, deſiderantes, & ſupplicantes, ut eos, & in eis contenta, rata habere, admittere, & nos obſervaturos promittere dignaremur; quorum quidem articulorum tenor ſequitur in hæc verba.

„ Primo. Dominus rex jurabit, quod regnum ſuum Hungariæ, cum ſuis regnicolis, in omnibus, & ſingulis juribus, libertatibus, ac legibus, & approbatis conſuetudinibus inviolabiliter conſervabit, in quibus prædeceſſores ſui, puta dominus Sigismundus imperator avus, & dominus Albertus pater, idem regnum & ejus regnicolas tenuerunt, & conſervaverunt: & quod metas regni Hungariæ non alienabit. E converſo domini prælati, barones, ac proceres, & nobiles, ceterique fideles regni ſui Hungariæ univerſæ, ſed & deputati nobiles hic Poſonii exiſtentes, juramentum præſtare debeant, & teneantur eidem domino noſtro regi ſuper obſervanda fidelitate, & obedientia. Præterea concluſum eſt, quod dominus noſter rex, extraneis dignitates eccleſiaſticas, & ſeculares, ac honores, & officialatus, vel perpetuitates conferre non debeat, uſque ad diætam Albæ regalis; quam idem Dominus rex, cum celebrare voluerit, quadraginta diebus prius, litteris ſuis mediantibus, ipſis regnicolis promulgare teneatur, ut ipſi in eadem diæta Albenſi poſſint, & valeant intereſſe. Et tandem ea, quæ in hac parte, in ipſa congregatione prælatorum, & baronum, ac regnicolarum deliberata fuerint, & concluſa, firmiter obſervabit.

„ Dominus noſter rex omnibus, & ſingulis regnicolis, ac aliis cujusvis ſtatus, & conditionis hominibus, ad coronam regni Hungariæ pertinentibus, his videlicet, qui præſentes ſunt, & abſentes, ſuper omnibus & cunctis offenſis, & exceſſibus, qualitercunque, & quibuſcunque modis contra ſuam ſerenitatem, & ejus coronam, a tempore obitus quondam domini Alberti regis felicis recordationis, uſque ad præſentem diem illatis, & perpetratis, plenam gratiam facere dignetur, & modis omnibus indulgere: ita tamen, ut neque in præſenti, neque in poſterum, quocunque temporum in proceſſu, idem dominus noſter rex de eisdem reminiſci velit, neque imputare, & neque poſſit modis quibuscunque, & ſuper his litteras ſuas gratioſas, ſingulis, qui voluerint dare dignetur.

„ Idem dominus rex, omnes donationes quondam ſereniſſimæ dominæ Eliſabeth reginæ, matris ſuæ, & etiam quondam domini regis Poloniæ, pro quorumcunque parte, & quibuſcunque, & quavis ratione factas, revocabit, & caſſabit, & committit omnino viribus carituras: excepta duntaxat per eandem dominam reginam eccleſiæ Albenſi facta. Quod omnia caſtella in his partibus ſuperioribus erecta, & habita a die præſenti uſque quindecim dies, immediate ſequentes, in partibus autem inferioribus exiſtentia uſque ad octavum diem mediæ quadrageſimæ, ſub pœna infidelitatis deponantur, & deponi teneantur: demtis illis, quæ ſunt erecta ex indulto regum, ac ſub ſigillo regnicolarum: qui ſi ſic ſecerint, bene quidem: alioquin contra eos, qui non fecerint, de-

(1) Extat in corp. juris Hung. tom. 1. pag. 207.

Annus Christi 1453.

„ detur ſententia in Alba regali. Caſtra, caſtella, poſſeſſiones, & portiones poſ-
„ ſeſſionarias, ac terras, & alia jura eccleſiaſtica videlicet, & ſecularia, per
„ quoſcunque abſque rationabili cauſa occupata, uſque prædictum octavum diem
„ mediæ quadrageſimæ, pœna ſub præmiſſa remittantur, per eorum detentores:
„ donationes per dominum gubernatorem juxta vigorem decreti ſactæ, in ſuis
„ vigoribus confirmentur; quod inſinuationes in ſuis vigoribus remaneant, taxæ
„ inconſuetæ ulterius non fiant, quovis modo, aut quacunque ratione.

„ Nos igitur acceptis articulis prænotatis, maturaque ſuper eis delibera-
„ tione præhabita, eosdem admiſimus; atque ſuper primo eorundem, ſolito mo-
„ re, regale corporaliter præſtitimus juramentum: quoad ſecundum vero, e
„ converſo, nos ab eisdem omnibus, ſimile juramentum ſuſcepimus, ſuper fide-
„ litate, & obedientia nobis obſervari debentibus. Ceteros autem omnes ſupra
„ deſcriptos articulos, & ſingulum eorum inviolabiliter obſervari, complere,
„ & exequi promittimus, & volumus cum effectu. In quorum omnium teſti-
„ monium præſentes litteras noſtras eidem univerſitati duximus concedendas.
„ Datum Poſonii, in feſto beatæ Dorotheæ virginis, & martyris anno Domini
„ MCCCCLIII. regni autem noſtri tredecimo.

Recepta ab Roſzgoniis arce Poſonienſi

Eodem tempore arx Poſonienſis, quam Roſzgonii abbinc, quam Eliſabetha rerum in Hungaria potita eſt, conſtanti in reginam fide, adverſus Wladiſlaum Polonum tenebant, regi in ſolidum reſtituta eſt: quo obſequii genere ita ſibi Ladislaum obſtrinxere, ut non modo Joannem Roſzgonium, poſtquam Nicolaum de Ujlak ad Machoviæ, & Sclavoniæ magiſtratum traduxiſſet, Tranſilvaniæ Vayvodam juberet, ſed reliquos etiam, qui illi neceſſitudine ſanguinis conjuncti eſſent, ob præclara in matrem Eliſabetbam, & regnum univerſum fidei, & fortitudinis facinora ampliſſimis latiſundiis vulgato diplomate donaret. Operæ pretium arbitror, id ad illuſtrandam eorum temporum hiſtoriam, quantum ad rempublicam, non item privatam attinet, quod id ordo, & data a nobis alias fides poſtulare videntur, annalibus inſerere. (1)

Iſtorum fidem donis, præmiisque affiſit.

Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ rex, ac Auſtriæ & Stiriæ dux, nec non Marchio Moraviæ, ad perpetuam rei memoriam. Poteſtas principum ad hoc divinitus in his terris erecta eſt, ut ſubjectum ſibi fidelis populi cœtum regat benevolentia, liberalitate attrahat, dignaque merita dignis retributionibus proſequatur: quod etſi ex quodam publici officii debito, & quadam generali regula principum fieri ſoleat, illi tamen amplioribus exaltandi ſunt honoribus, & clarioribus magnificandi titulis, qui illuſtriores actus, & clariora facinora pro augmento regii honoris peregerint, quatenus hoc exemplo fides, & devotio accendatur in ſubditis, & alter alterum fide, & virtutibus præcedere contendat. Hoc ergo ducti reſpectu conſideramus præclaram fidem, inclitas virtutes, multimodaque obſequiorum genera fidelium noſtrorum, magnificorum Joannis de Roſzgon Vayvodæ Tranſilvanienſis, & Raynaldi, ac Oſwaldi de eadem, comitis Siculorum, ut & quondam Laurentii fratris eorundem de eadem Roſzgon, quorum quilibet tam progenitoribus noſtris, quam ex poſt etiam nobis indefeſſa ſollicitudine fidelis obſequii ſe reddiderunt ſumme gratos, ex quibus pauca pro futura ſuorum omnium laude præſentibus duximus inſerenda. Et inprimis referenda occurrunt; quanta diligentia, & ſollicitudine, viri præfati, dum adhuc paucos annos haberent, in ſervitiis quondam ſereniſſimorum principum Dominorum Sigismundi imperatoris Romanorum, avi noſtri, & Alberti, regum Hungariæ, genitoris noſtri, tam in regno Bohemiæ, quam aliis in multis exercitationibus, expeditionibus, & rebus gerendis, & ad vitæ eorum tempora, continua, & conſtanti fidelitate perſeveraverunt; non pepercerunt etiam labori, vel ſumtibus, quin pro honoris regii augmento omnia ſua exponerent, &, quod amplius eſt, vitam exponere caſibus fortunæ, dum neceſſitas ingrueret, non formidarent, pro quibus regiis favoribus digni habiti, & facti ſunt. - - - Decedentibus tandem, ut Domino placuit, præfatis avo, & genitore noſtris, ſereniſſimaque principe, ac domina Eliſabeth regina,

geni-

(1) Ex Mſ. Heveneſſianis, & Archivo capituli Budenſis depromptum.

Annus Christi 1453.

genitrice nostra, vidua prædicta, dum regnum nostrum Hungariæ foris grassantibus Turcis, intus vero gravissimis parricidiis, & civilibus bellis exortis fluctuaret, præfatus Joannes de Roszgon, persona, & cuncto patrimonio suo fortunæ casibus submissis, in acerbissimis guerris, quæ multos etiam fideles perterritos, ab ipsius genitricis nostræ latere surripuerat, constantissima longanimitate, finaliter integer in ipsius genitricis nostræ obsequiis perseveravit. Nec illud prætereundum censuimus, quod præfatus Raynaldus, similiter in ipsius matris nostræ obsequiis, post multa gesta insignia, quibus honorem ejusdem dominæ reginæ, & nostrum impugnantibus obvius fuit, captivitatem personæ, duraque vulnera passus est, & suscepit. Porro, dum partes nostræ Scepusienses, & Cassovienses, & circumvicinæ multiplicatis nonnullis latrunculis, qui eas non solum vastaverant, sed quasi domicilia in eis fixerant, nonnullis ibidem erectis fortalitiis, immensis malis premerentur, præfatus quondam Laurentius de Roszgon, inter ceteros tot malorum fortis ultor fuit. Aggregatus enim gentibus pariter in exercitu fidelis nostri magnifici domini Joannis gubernatoris, cujus tunc capitaneus factus fuerat, contra, & adversus ipsos latrunculos procedens, fortalitium eorum in Zets erectum, ipsorum tunc principale domicilium, potenti manu pluribus mensibus obsedit; sub quo quotidie habitis conflictibus, & exercitiis militaribus hostes oppressit, fecitque, ut licet ipse casualiter ibidem interierit, paratam tamen in deditionem hostes cum fortalitio deduxit, morteque sua mortem multorum innocentium fugavit, & terris in illis gloriosæ mortis precio pacem comparavit. Quid plura, in omnibus actibus, qui honori, & statui nostro, ac regno nostro Hungariæ conferebantur, sed & cunctis exercitualibus expeditionibus, quas præfatus Joannes gubernator regni nostri Hungariæ, seu foris contra Turcos, seu intus contra latrunculos, & civilis belli auctores crebris vicibus confecit, & pene semper continuas habuit, ipsi, Joannes Vayvoda, ac Raynaldus, & Oswaldus de Roszgon, nunc simul, nunc vero unus, vel duo illorum semper cum ampla gentium suarum comitiva, cum præfato gubernatore interfuerunt, adeoque eidem cooperati sunt, ut inter ceteros nostros fideles ipsorum prudentia, & auxilio regnum illud non solum externis malis ereptum, sed & sedatis internis turbinibus tranquillæ paci redditum est; ex quo secutum est, ut præfati gubernatoris, ac ipsorum, Joannis Vayvodæ, Raynaldi, & Oswaldi prudentia, inductione, sinceritate, & viribus plenissima jam ipsius regni nostri nobis obedientia reddita est, nec solum præparati regni ipsis adjutoribus nobis reddita est possessio, sed & auctum regnum illud, dilatatis undique confinibus, fractis, pulsis, dejectis, & dissipatis hostibus, malorumque auctoribus, rebellibus, & tyrannis. Volentes igitur eisdem viris tot inclitorum operum, nec non præstantissimis, in quibus non solum multum virium, sed & sanguinis sui, & suorum, per eos expositum est, aliquam hac vice gratitudinis vicem rependere, cum in futurum amplius intendamus, omne jus regium, si quod in castro (1) Chokakew, ac possessionibus - - - - in comitatu Albensi existentibus - - - qualitercunque haberemus, simul cum cunctis ipsius, & earum utilitatibus, & pertinentiis - - - quovis nominis vocabulo vocitatis - - - sic, ut præfertur, se habentibus, prænotatis Joanni Vayvodæ, ac Raynaldo, & Oswaldo comiti Siculorum, ipsorumque heredibus, & posteritatibus universis dedimus, donavimus, & contulimus, imo damus, donamus, & conferimus jure perpetuo, & irrevocabiliter possidendi, tenendi pariter, & habendi juribus alienis, & proventibus lucri cameræ nostræ semper salvis, harum nostrarum vigore, & testimonio litterarum mediante, quas in formam nostri privilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatæ. Datum Posonii in festo purificationis virginis gloriosæ, anno Domini MCCCCLIII. regni autem nostri tredecimo. Quæ tanto libentius in medium protulimus, quanto clariora nobis argumenta exhibent, Joannem Hunyiadem a coævis etiam scriptoribus attentatæ tyrannidis male insimulatum esse, quem regium testimonium ab suspicione affectati regni diserte, & palam absolvit.

(1) Nunc *Csókahegy*, quasi Monedularum montem dices, audit: estque rudus tribus stadiis ab urbe Alba dissitum, juribus Illust. comit. A LAMBERG obnoxium.

Annus Christi 1453.

Conventu nondum soluto repente nuncii ab Scepusiensibus advolant, qui Axamithum quemdam ex Hussitarum colluvie novas res isthic moliri; jamque tredecim latronum potius, quam pugnatorum millia eum in exercitu censere referebant.

Novarum turbarum a Bohemo Axamitho metus.

Homo obscura domo, vilibusque parentibus ortus, sed audax manu, & ingenio promptus, *qui cum sericeam diploidem domino, cui serviebat, olim furatus esset, cognomento Axamith appellatus est, quod latine villosum sericum notat. Hic postquam Giscram Scepusio amotum audivit, terramque milite vacuam agnovit, congregata non parva latronum manu, quasi in ejus locum suffectus, regionem invasit, duabusque arcibus natura, & arte munitis, partim vi, partim dolo receptis, mox ruriculas in apertis villis commorantes, ferro, atque igne deterritos ministrare victui necessaria, pecunias dare menstruas, ad omnemque nutum præsto esse coegit. Cumque munitiones aliquot locis opportunis construxisset, atque in his præsidia collocasset, civitates quoque munitas sibi tributarias reddit. Deinde astutus homo, quia in patenti regno diu grassari sine magnis copiis se non posse intellexit, ad ingenium Bohemicum rediens, pulchram fallaciam commentus est, qua latrones universos ex proximis regionibus ad se traheret. Omnibus enim, qui sub eo militare vellent, stipendia publicavit, homini equestri in hebdomadam aureum nummum, pedestri mediam partem, ac tributorum, & spoliorum omnium æquam cuique distributionem.* (1)

Quis, qualisve hic fuerit.

Quid in hunc, aliosque decretum.

Indigna res visa est, ab hominibus, quibus præteritorum venia tam liberaliter oblata fuisset, tranquillitatem reipublicæ turbari: itaque bellum in eos decretum est, dataque gubernatori mandata, ut eam colluviem illatis armis castigaret. Aliis quoque nunciis allatum est, Valachos arma corripuisse, quam rem Hunyiadis adversarii in malam partem accepere, quasi dominatus, & potentiæ gubernatoris pertæsi bellum meditentur. Tum de fœderibus cum Friderico cæsare sanciendis actum: placuitque, nisi conditionibus, quas pacis arbitri anno priore præscripsissent, staretur, pacem omnino recusare. In Turcos prius, quam rex bohemica corona incingeretur, quod eos arma in orientem convertisse certum erat, nihil constituere visum est, quemadmodum Æneas ad amicum in hæc verba scribit: *In Hungaria, ut alias Apostolico culmini scripsi, surrexit quidam latro nomine Axamith, qui cum magna prædonum manu regnum vexat, - - - ob eam causam habet per hos dies rex Ladislaus omnes regni proceres apud Posonium congregatos, cumque his consultat, quonam pacto regnum expiare latronibus possit. Valachi quoque contra gubernatorem arma moverunt, quem dominari sibi ægre ferebant. Est etiam, quod de Turcis in eo conventu cogitet, quos proximos habet. Quæ res compulsura Hungaros creditur, ut pacem, quam diu cum cæsare refutarunt, ultro deposcant, nisi malitia hominum magis, ac magis excreverit.* (2)

Ladislaus Viennam redux arma in Axamithum parat.

Ut comitiis finis impositus est, Ladislaus, agente inprimis Cilejensi comite, tametsi invitis Hungaris, non diu Posonii commoratus Viennam reversus est. Hic delectus per Austriam, ac Moraviam, maximos fieri, tum quæ diuturno etiam bello satis & necessaria essent, curari imperat, palam dictitans, se adversus Axamithum, qui Hungariam infestaret, suo auspicio moturum. *Persuaderi tamen populo non potuit, regem puerum adversus latronem ductare exercitum, sed opinabantur nonnulli hanc esse comitis Ciliæ, & Joannis gubernatoris Hungariæ techmam, qui pacem cum cæsare tractatam, habere ratam nequaquam volunt, nec militem congregare possunt cupientibus otium Australibus: ideo quasi Axamithum exterminaturi, ingentes habere copias studebant, quas congregatas in cæsarem verterent. Quidam vero altiori consilio rem pensitantes, in caput Joannis gubernatoris cudendam fabam existimabant, qui parum regi pareat, nec amplius quam viginti quatuor millia florenorum, in annos singulos regali ærario contribuit, quod superest, sibi retineat, regnumque pro suo arbitratu gubernet, hunc extollens, illum humilians, ut imperium apud eum, regni titulus apud Ladislaum esse videatur. Judicabant igitur aliqui comitem Ciliæ locum ejus appetere, neque posse ad eum pervenire, nisi Joan-*

Obortæ hinc suspiciones.

(1) ÆNEAS SYLVIUS epist. 162. ad Nicolaum pontif.

(2) ÆNEAS SYLVIUS epist. 151.

Annus Christi 1453.

Joannem fraude circumveniat. Eum igitur commentum esse, ut convocentur omnes ex Hungaria, Austria, Moraviaque Barones in exercitum ad præsentiam regis: caussam convocationis Axamithum abunde præbere non posse: Joannem non comparere; comparentem autem in vincula recipi, compellique, regni quæcunque bona sibi usurpaverit, regi tradere, tumque comitem voti compotem fieri. Hæc Æneas: (1) dubium non est hos rumores ab Cilejensi de industria sparsos, ut Hunyiadem Viennam evocatum, in Hungaria enim nihil ausus est, fraude circumveniret, ut ex rebus, quas postea narrabimus, vero fiet simillimum. Ceterum, quid Axamitho factum sit, compertum non babeo. Credibile est, latronum more justum bellum vitasse, atque latibulis, profundisque saltibus latitantem, prædas, ac latrocinia exercuisse, quando ad Mathiæ quoque Corvini tempora illius memoria occurrit.

Indicto ad forum tritici conventu,

Sed id utcunque sit, Ladislaus, ut Viennam ex Hungaria rediit, de suo in Bohemiam transitu diligenter cœpit agere, quod novæ indies litteræ Praga afferrentur, quarum sententia erat, nisi rex ad præstitutum diem adesset, futurum, ut Bohemi de alio capite sibi providerent. Videbantur minæ periculo non carere: igitur decreta ad Bohemos profectio est; cui cum argentum deesset, ex Cilejensis comitis consilio tantum Austriæ civitatibus imperatum est, quantum non modo ad iter necessarium, sed regiæ quoque dignitati decorum esset. Eo cognito Eyczingerus, qui Cilejensem dudum infestus observaverat, neque enim potentiam ejus, qua apud regem valuit, æquanimiter ferebat, tempore ad præcipitandum e dignitate bominem usus, clam Australes admonet, ut se in præbendo argento difficiles præberent, diserteque abnuerent, nisi conventus ordinibus indiceretur, quorum consensu de impendiis transigi oporteret. Senserat Ulricus se, potentiamque suam ab æmulis peti, negare tamen, quod petebatur, quia res pecuniaria urgebat, non potuit: itaque dies conventui apud Forum Tritici, vulgus Corneuburgum vocat, haud procul Vienna dictus est. (2) *Hic cum rex, & provinciales simul convenissent, solicitus comes, ne quid in se statueretur, nunquam relinquere solum regem; interesse sermonibus, qui fierent omnibus, explorare consilia procerum, plebisque animos solerter investigare, & cum ingrata cuncta offendere, diligentius regi adbærere, ab ejusque latere nunquam discedere, nisi alium suo loco suffecisset, cujus sibi fides cognita esset. Præterierunt igitur nonnulli dies frustra, cum dicendi, quæ vellent, libertas provincialibus ademta videretur: postremo, nullo audente alio, surgens Eyczingerus in concione: tui provinciales, inquit, rex, qui te vita sua chariorem babent, pleraque tibi semotis arbitris, de rebus Austriæ referre cupiunt, magna quidem, &, quæ te audisse, utile sit: tu ergo, si lubet, jube binc omnes abire non natos in Austria. Ad quam vocem cum Australes cuncti surgentes idem petivissent, jussit rex comitem, & alienigenas, qui curiam sequebantur omnes exire, &, quid sibi vellent, provinciales interrogavit.* Tum Eyczingerus campum loquendi nactus, quid Australes, quantumque laborum regis causa, cum apud Fridericum teneretur, exhausissent, prolixa oratione explicat: neque ullum esse, qui propterea pœnitentia duceretur, modone laborum fructu per comitis nequitiam, injuriasque carendum ipsis esset. Regis nomen quidem Ladislao tribui, potestatem autem regiam penes eum reipsa esse, qui proventus ex provinciis suo arbitratu non ad reipublicæ commodum conferret, sed ad libidinum suarum, quibus turpissime irretitus esset, fomenta abliguriret. Atque id in causa videri, cur provinciales in præbendo, quod ad iter Bohemicum petebat, argento difficiliores essent, quando minima illius pars regi ob bominis nequissimi avaritiam obventura esset. Isthinc arrepta criminandi occasione, Hungaros quoque, ac Hunyiadem inprimis, quasi dignitatem suam XII. aureorum numum millibus turpi nundinatione mercatus esset, in suspicionem adducens, *tibi*, inquiebat, *ex Hungaria quatuor, & viginti millia aureorum quotannis promissa sunt, ea comes accipit, quibus te, seque alit: supra bæc duodecim millia ei cedunt, quæ sibi retinet. Bobemi & Australes ei vectigales sunt, nemo securus rebus suis utitur, nisi comitis favores emat: ditiores, ornatioresque & longe arrogantiores*

Diffidia inter Ulricum Ciliæ comitem, & Eyczingerum oriuntur.

Istoque apud regem agente.

(1) Epist. 162.

(2) ÆNEAS SYLVIUS in rebus Friderici III.

Annus Christi 1453

tiores comitis famulos, quam tuos cernimus. Uxores nostræ, nisi concubinam ejus venerentur, periculum famæ, vitæque subeunt. Non sunt hi mores, quos populi non ignavi ferre possint: non ita tuus se genitor habuit. Quod si regnare apud nos volueris, paternos mores imiteris necesse est, & hunc abs te repellas, qui nobis tanquam mancipiis utens, tibi subditorum odium parat, sibi divitias congregat. Quibus verbis commotus Ladislaus, ex Australibus percontatur, quonam pacto comes expelli posset. Illi petendam esse Viennam ajunt, ibique rem maturandam ante, quam in Bohemiam eatur, & quibus artibus utendum, quibus verbis alloquendus sit comes ostendunt. Ex invocato comite, quibus modis haberi argentum, ad iter necessarium, possit, quomodo gubernanda sit Austria in absentia regis, edocent. Rebus compositis veritus comes, ne quid insidiarum apud Viennenses sibi paratum esset, vitare eam urbem voluit, regemque Bertholsdorfium, qua eum custodire solebat, adducere nisus est: tum rex, ut erat edoctus, at, inquit, comes prius, quam Bohemiam peto, e re mea est, consulatui Viennensi valedicere, populumque mihi fidelissimum salutare. Itum est igitur in urbem, cum comiti animus regius haudquam immutatus videretur. (1)

Ciliæ comes ex aula, & urbe exesse jubetur.

Re autem vera Ladislaus, qui se non deseruisse, sed mutasse duntaxat carcerem vidit, dolorem animi vultu dissimulans, nihil pensi habuit, comitem ex aula & dignitatis gradu deturbari, seu vera esse, quæ Eyczingerus in illum dixerat, credidit, seu potius juvenili animo in utramvis partem facile, ut postea patuit, versatilis erat. Eyczingerus contra, ut Viennam circiter diei crepusculum ex Corneuburgo ventum est, totam noctem consules, ac urbis primores captare, hortarique, ut comitis tyrannidem ab suis cervicibus amolirentur; quos ubi pronos nactus est, mille armatos cives ad sancti Augustini ædem, quæ regiæ proxima est, & occulta porticu a palatinatibus adiri potest, in insidiis collocat, isthic, quoad, ut præsto essent, vocarentur, interea latere jussit. Ipse ut primum illuxit, palatium cum fretissimis suorum ingressus, donec rex thalamo exsurgeret, venturo comiti præstolatur. Neque ille multis moratus, ut consuetudini suæ serviret, ad regem adibat, qui cum præcipuis procerum in interiori thalamo jam consederat. Ut clausas fores Ulricus reperit, neque pulsato ostio aperirentur, parum reverentiæ, quam regi debebat, memor, portam pedibus quatere cœpit. *Jussit rex comitem introduci: jam consiliarii fere omnes aderant, qui viso comite alter alterum respicientes silentium tenebant. Comes, quid hæc matutina consilii convocatio sibi vellet, mirabundus rogavit: cui Eyczingerus: hactenus magnifice, & illustris comes! consiliarius primus regis nostri fuisti, & capitaneus, & gubernator: nunc hæc tibi officia interdicuntur, jubetque Majestas regia, e sua ut abiens curia, ante oculos ejus posthac ne compareas, neque te vel familiarem appelles. His dictis ubi circumspiciens comes tacere omnes animadvertit, ut erat animi præsentis, & facundiæ præcipitis in hunc modum locutus fertur.* (2) „ Æmulorum suorum ea esse, non regis: solere principes, qui de se bene meriti essent, his meliora referre: se patri Alberto, se matri Elisabethæ, se ipsi Ladislao summa fide servivisse, pro eo prius fudisse sanguinem, quam nasceretur: bella ejus tam difficillima confecisse, fuisse in carceribus, patrimonium fudisse, imperatoris odium incidisse, ut regnum ei conservaret, scire se benignum regem habere, & accepti beneficii memorem. Quæ dicta essent verba, moribus suis non convenire: Eyczingerum ea excogitasse, qui jam pridem sibi fuisset infensus, quoniam pro sua libidine expilare regis bona non potuisset. Orare, ne plus inimicorum odia, quam sua merita valerent, ne bonitatem regiam adversariorum malignitas vinceret. „ Fit silentium locuto comite; non satis certo sentitur, an rex in sententia persisteret, & mutatum ejus animum ratione comitis verebantur, inclinaturi, quo ille se verteret, ex cujus nutu pendere victoriam norunt. Eyczingerus de statu suo sollicitus, nihil cunctandum ratus, priusquam rex comiti responderet: „ ita, inquit, ego mandante rege verba feci, nihil de meo locutus sum: ipse adest, ipse me judicet; dabo merito pœnas, si meam tibi comes, non regis voluntatem exposui.

Inanes comitis contra æmulum conatus.

(1) Idem ibid.

(2) Idem ibid.

„ fui. Effare tandem rex optime, nec nos ultra suspensos teneto. Tum rex „ placide, ut consuevit, ex mea, inquit, intentione, ac voluntate locutus est „ Eyczingerus, atque his dictis subticuit. Vidisset erectas Australium mentes, „ & jam comiti, tanquam victo, ejectoque insultantes: ille ad proceres exiens „ ... ejectionis suæ contumeliam expofuit, consilium, atque auxilium expetens: „ quibus in voluntate regis omnia sita respondentibus, ad fororem regiam se „ contulit: ab ea præter lacbrimas, & muliebrem ejulatum nihil extorquet. Et „ jam undique per palatium ire armatos animadvertit: cedendum itaque poten- „ ti invidiæ censuit, neque parum putavit, ex inimica civitate salvum corpus „ educere. Clientes ejus, audita rei novitate, sibi quisque fuga consuluerant. „ Tacitus igitur, & confuso similis, cum quatuor tantum militibus, ex aula di- „ scedens, in patriam suam concessit. Albertus marchio Brandeburgensis, „ ne populares saxa in eum jacerent, ad portam usque tutum iter fugienti præ- „ buit. (1)

Hic exitus hominis in aula potentissimi erat; feruntque haud sine numine tam turpi nota aspersum fuisse, qui per summum nefas confictis criminationibus Hunyadis famam, nomenque non modo apud regem, sed ceteros quoque christianos principes elevare connisus sit. Receptus tamen postea in aulam, pristinum bonoris gradum obtinuit, sed odia in Hunyiadem, ut deinceps narrabimus, minime posuit.

Smirifcii Bohemi ad Ladislaum litteræ.

Ubi adventuri in Bohemiam regis fama percrebuit, Smirifcius inter proceres divitiis, & potentia haud postremus, regio capiti magnopere metuebat. Sive Hussitis non undequaque fidendum censeret, sive, ut erat hominum, voluntatumque non indiligens scrutator, occulta in Podiebradio indicia comperit, ex quibus eum ad dignitatem regiam aspirare arbitratus fuerit. Quidvis sit, regem, ut sibi ab insidiis caveret, scriptis in banc sententiam litteris admonuit. *Joannes Smirifcius Ladislao Bohemiæ regi salutem. Rumor est, te brevi ad nos esse venturum. Probo, si ita venis, ut imperandi apud te auctoritas, apud Bohemos parendi necessitas sit: si minus, domi melius manebis: nisi fortasse biceps fueris, ut unum caput Viennæ relinquere, & aliud ad nos possis afferre. Vale.* (2) Litteræ pessimo Smirifcii fato in Podiebradii manus venerant: quibus lectis, cum baud obscure se peti intelligeret, convocatis Pragam optimatibus, inter quos Smirifcius quoque fuit, percontatus est, qua pœna plectendus esset, qui regem in Bohemiam proficisci volentem per litteras absterruisset, quasi periculum suo isthic capiti immineret? cumque unanimi consensu respondissent, quisquis fuisset, reum mortis videri, protractis e sinu litteris, Smirifcium innuit, quas cum ille suas esse non inficiaretur, concesso duarum horarum spatio, ut rebus domesticis, ac animæ consuleret, hominem obtruncari jussit. Acceptum est facinus haud æquis ubique animis, & abhinc major potentiæ, quam dignitatis Podiebradii metus fuit.

Illi mortem consciscunt.

Rex in Bohemiam ad coronationem profectus.

Interea cum ad iter Bohemum omnia jam comparata essent, Ladislaus ingenti comitatu, ad quatuor enim hominum millia fuisse perhibent, ex Austria in Moraviam contendit. Sequuti regem sunt Dionysius Strigoniensis cardinalis, ac non pauci ex Hungariæ optimatibus. Iglaviam venienti Georgius Podiebradius cum Bohemis proceribus, ac civitatum consulibus, magnaque populi confluentis frequentia occurrit: ubi prius, limites Bohemiæ quam ingrederetur, rex flagitantibus ita regni ordinibus, sacramentum in bæc verba dicit: (3) *Nos Ladislaus Dei gratia electus Bohemiæ rex, ingressuri, a quo suscepti sumus, Bohemiæ regnum, juramus, & pollicemur, primo, Deo omnipotenti simul, ac omnibus regni Bohemiæ incolis, curam nos babituros, tutaturosque utrumque, tam ecclesiasticum, quam politicum statum, universamque regni communitatem; ipsosque in libertatibus, juribus, rescriptionibus, privilegiis, statutis, consuetudinibus conservaturos. Neque*

In regni limitibus jusjurandum ordinibus dicit.

ullo

(1) Æneas Sylvius hist. Bohem. cap 61. ex quo hiatum, qui in rebus Friderici III. est, supplevi.

(2) Idem in rebus Frid. III. ex quo Bonfinius accepit, variata tamen sententia: nos ex opere recens ex Ms. edito sumsimus.

(3) Goldastus in append. docum. ad an. Chr. 1453.

Annus Christi 1453.

ullo pacto regni limites, una cum pertinentibus non attenuaturos, & quidquid insuper acturi simus, omne in honorem, & bonum publicum regni promoturos, prædecessorum nostrorum regum Bohemiæ, in omnibus regno profuturis vestigiis inhæsuri. In quibus nos adjuvet Deus trinus cum omnibus sanctis. Dicto sacramento Bohemiam ingressus, Pragamque maxima pompa inductus est: ubi paulum post V. nimirum calendas Novembres in summo templo, quod in monte divi Wenceslai visitur, ab Dionysio Strigoniensi, ut Dubravius scribit, ut Cochlæus vero, ab Joanne Olomucensi episcopo, incredibili bonorum, casteque de religione sentientium lætitiæ coronam accepit. Non idem Hussitarum sensus, quorum ut sacris interesset, adduci rex nunquam poterat, evenitque ut *presbyter quidam ex factione Rochezanæ in sacello arcis rem divinam facturus, sacertotali veste ornatus ad altare conscenderet: rex eo in loco sacra, quibus interesset, celebrari jusserat: at ubi hæreticum id muneris occupasse, nec velle alteri locum facere didicit, misso magistro militum, profanum sacerdotem, nisi abiret, rapi extra sacellum, & de proxima rupe præcipitari jussit: illi charior vita, quam contumacia fuit. - - - Itaque jam gravis hæreticæ factioni mora regis in Bohemia esse cœperat, cujus sacra ab eo, & a ceteris principibus dictim confluentibus, contemnebantur, - - - ob quam rem cupientem in Austriam reverti regem, nullus hæreticorum est adversatus: prius tamen, quam rediret, Wradislaviam nobilem urbem, ac Silesiarum caput revisit.* (1)

Et corona paulum post redimitur.

Pragam ingressus Hussitas aversatur.

Ex Bohemia Wradislaviam profectus,

Hic ei Polonorum legati a Casimiro rege missi Nicolaus Sarlejus Bresensis Palatinus, ac Derslaus Sendomiriensis præfectus præstolabantur, qui ad Ladislaum adducti legationis capita breviter, & concinna oratione explicantes, eam præcipue ob causam se venire jussos ajebant, ut rex Elisabetham, sororem suam, Casimiro conjugem dare ne gravaretur: id eum cum ob necessitudinis vincula, quibus Hungariæ regibus conjunctus esset, tum amicitiæ studio, quo in Ladislaum ferretur, vehementer cupere, sperareque prorsus, Ladislaum operam daturum, ut votis suis eatenus compos fieret. Audivit rex legatos perlibenter, reque cum suis deliberata, sororem cum dote ducentorum millium aureorum nummum Casimiro addixit. Quæ sequenti anno primum nuptui collocata, prolium foecunditate, quod reliquum fuit, Hungarici regum sanguinis in varias propagines felicissima mater divisit. (2)

Sororem suam Casimiro Poloniæ regi despondet,

Urbemque adversus Hussitarum virus munit.

Legatis, re feliciter confecta, in Poloniam reversis, Ladislaus novis institutis magistratibus urbi Wradislaviensi, quam ipsam quoque Hussitarum labes immodice affecerat, cavere voluit: qua re hæreticis spes, quam in tenera regis ætate ad propagandum virus collocarant, penitus ademta videri poterat. In primis Podiebradius, qui regem ex Bohemia Wradislaviam comitatus est, haud obscure intellexit, se, & qui secum ejusdem sectæ essent, ubi rex virilem ætatem attigisset, in eo, quem occuparat, dignitatis gradu ob religionis discrimen difficulter constiturum. Cui ea in urbe rem relatu non indignam evenisse, Aeneas memoriæ prodidit. Nam dum Ladislaus, ut pro more suo diligenter solebat, sacris in frequenti principum corona interesset, *Podiebradius quoque proximus regi adstaret, fama est, eaque vulgata, Chilianum quemdam parasitum ex his,*

Podiebradii de religione sensus & opinio.

qui

(1) AENEAS SYLVIUS hist. Bohem. cap. 61.

(2) CROMERUS hist. Polon. lib. XXII. HENNEL. ab Henefeld annal. Siles. Tom. II. CL. SAMERSBERGII, libet hic mihi prolium, quæ ex hoc connubio procreatæ sunt, in aliorum gratiam, ex LUDOVICI DECII, qui Sigismundo regi ab secretis erat, vetustatibus Polonorum Cracoviæ A. C. 1521. impressis attexere; secundum annorum, & dierum seriem, quibus natæ sunt.

WLADISLAUS anno	„1456.	1. Martii.	SIGISMUNDUS anno	„1467.	1. Januar.
HEDWIGIS	„1457.	27. Sept.	FRIDERICUS	„1468.	27. April.
CASIMIRUS	„1458.	3. Octob.	ELISABETHA	„1472.	13. May.
JO. ALBERTUS	„1460.	27. Decemb.	ANNA	„1476.	12. Martii.
ALEXANDER	„1469.	5. Aug.	BARBARA	„1478.	15. Julii.
SOPHIA	„1464.	6. May.	ELISABETHA	„——	13. Novemb.
ELISABETHA	„1465.	9. May.			

qui stultitiam simulantes, alios stultos faciunt, Podiebradium his verbis compellasse. Quo vultu sacra nostra respicias, plane adverto; animum non intueor. Fare obsecro, nonne satis nitida tibi videtur nostra religio? viden quam multi, & magni principes, & ipse rex noster unum virum sequantur? cur non his potius, quam Rochezanæ consentis? an plus sapere paucos Bohemos, quam reliquam Christi ecclesiam censes? quin relicta incondita plebe, nobilitati te jungis nobiliter? At Podiebradius, si tua hæc sunt verba, inquit, non es, quem simulas, tibi tanquam prudenti respondeo; sin aliena, satisfacere me illis oportet: audi ergo. Ecclesiasticas ceremonias sua quisque pro fide gerit; sacrificia ea facimus, quæ credimus Deo grata; neque nostri arbitrii est, credere, quod velimus, victa magnis rationibus mens humana volens, nolensque capitur, utque natura instituta est, altera facile trahitur, altera elabitur. Mihi persuasa est meorum sacerdotum religio: si tuam sequor, homines fortasse fallam animæ meæ contrarius, Deum, qui corda inspicit, nequeo fallere. Neque me tui similem esse decet: aliud histrioni, aliud nobili convenit. Hæc vel tibi habeto, si sapis, vel his referto, qui te submisere. (1) Ita tum quidem Podiebradius: nutare postea tamen visus, cum spem adipiscendæ in Bohemia coronæ habuit, religionem pro temporum habitu venalem in animo circumferens. Annus Christi 1453.

Ladislaus constitutis in Silesia rebus Viennam redux, legatos ex Hungaria cum tristissimo nuncio occupatæ ab Turcis Constantinopolitanæ urbis accepit. Quæ fama etsi multo ante invaluerat, ob varios tamen, incertosque rumores a paucis credita est, donec & certis ex Hungaria nunciis, & a Venetiarum duce scriptis ad Fridericum litteris, seriusque, quam oportebat, redditis dubitari de infelici vrbis casu minime poterat. Rem quemadmodum gesta sit, universe in hæc verba dux significat. (2) *Serenissimo, & Excellentissimo domino, domino Friderico divina favente clementia Romanorum imperatori semper augusto, ac Austriæ, Stiriæque, Carinthiæ, & Carniolæ duci illustrissimo, Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum. Nihil nobis attulerunt novi, Serenissime princeps, litteræ vestræ cæsareæ Majestatis, si quemadmodum ipsa scribit, gravi molestia, ac moerore commota perstiterit, cum primum sibi innotuerit acerbum, & horrendum novum urbis Constantinopolis, quam perfidissimi Turci magna christianorum strage suo imperio submiserunt. Est siquidem casus iste infelix tantum magni faciendus, ut nil supra temporibus nostris contingere potuisset. At quoniam vestra Serenitas, neque etiam indigne, cupere videtur, ejusce nefandæ rei seriem a nobis rectius, ac particularius intelligere, & si hæc referentes dolorem, & amaritudinem renovemus, vt tamen Majestati vestræ morem geramus, nunciamus eidem, imperatorem Turcorum, qui cum maxima potentia, incredibilique apparatu terra, marique contra urbem Constantinopolitanam castra metatus erat die XXIX. Maji præteriti, civitati ipsi, quam circumquaque obsessam tenebat, omnique tormentorum bellicorum genere debellaverat, maximum & acerrimum bellum intulit, tandemque eam die ipsa inenumerabili christianorum clade subegit, rem utique obscuram, calamitosam, ac christiano nomini summum in modum periculosam. Hæc siquidem nova utinam tam falsa essent, quam nimium vera sunt. Nam ea accepimus a capitaneo galearum nostrarum nuper huc regresso, qui ad illud viagium Constantinopolis, & Romaniæ, cum nonnullis nostris triremibus more mercatoris profectus erat; quive cum eisdem galeis ad tutandam urbem illam usque ad ultimum ejus excidium constans permansit, ita ut magna pars hominum triremium earundem male perierit. Nam partim trucidati, partim in miserabilem captivitatem adducti sunt: multi quoque nobiles cives, & mercatores nostri, qui in ea urbe aderant, cum facultatibus, & bonis suis magni valoris aut gladio perierunt, aut ad servitutem ipsam crudelissimam devenerunt, nec absque magno ære redimi poterunt. Præterea subinde nunciatum est, Turcum ipsum occupasse civitatem Peræ, & quædam alia loca finitima cum magno christianorum excidio. De hac tamen re aliam certiorem notitiam nondum accepimus. Enimvero princeps excellentissime! hostis truculentissimus adeptus est urbem præcipuam, Constantinopolim nobilissimam, &* tam

In Austriam redux Ladislaus occupatam a Turcis Constantinopolim comperit.

Miserabilis urbis casus.

(1) AENEAS SYLVIUS Epist. 159. (2) Hist. Boh, cap. 62.

Annus Christi 1453. *tam ratione situs, quam ex aliis dignis conditionibus aptissimam, & mirum in modum accommodatam, & ad potentiam suam augendam, ita, ut ubique terra, & mari de hoc potentissimo hoste sit plurimum dubitandum. Et profecto nisi potentiæ christianæ aliter excitentur, ut huic morbo validis provisionibus occurrant, antequam ulterius prolabatur, videre videmur magna pericula incumbere toti christianæ religioni, quibus non facile erit christianis principibus resistere posse. Datum in nostro ducali palatio Die XXVII. Mensis Julii, indictione prima, Anno MCCCCLIII.* (1)

Ingens propterea metus Hungarorum. Excidium potentissimæ urbis orbem christianum universe, Hungaros vero in primis consternavit, non de nihilo veritos, ne barbari occupato Græcanico imperio, nobilissimum regnum, cui sæpe alias inhiaverant, ad ictum destinarent, quo sub jugum misso clades ad ceteros quoque christianos principes pertineret. Itaque ab rege per nuncios magnopere petebant, ut in Hungariam veniret, ac de iis, quæ ad propulsandum periculum facerent, cum proceribus consulere vellet. Sed is domesticis Australium turbis sedandis occupatior erat, quam ut Hungaris hoc quidem anno morem gereret. *Ac Friderici cæsaris.* Ipse adeo Fridericus eo casu vehementer commotus, discrimen, quod isthinc Europæ christianæ a barbaris instaret, animo præcipiens, de rationibus cogitare cœpit, quibus Germaniæ principes, partium studiis fere implicitos, ad propulsandum commune periculum conjungeret. Scripsit eam ob rem ad Nicolaum pontificem, quem, exposita breviter urbis clade, obtestatur, ut pro sua in christianos auctoritate, & pietate instanti malo modum ponere niteretur, se, quod suarum partium esset, non modo facturum diligenter, sed consilia quoque, & operam sociaturum. Litteræ in hæc verba habent. (2)

Qui ad cavendum periculum pontificem litteris convenit. „ Beatissime pater, & domine reverendissime! cum nobis renunciatum „ esset his diebus, Constantinopolim Græciæ caput, & orientalis quondam impe„ rii sedem per Turcorum dominum expugnatam, & in servitutem redactam, „ multumque ibi christiani sanguinis fusum esse, graviter quidem, ut debuimus, „ & molestissime tulimus communem christianæ religionis calamitatem, atque „ jacturam, intelligentes non de præterito solum, quod doleamus, sed de fu„ turo quoque, quod timeamus, tantæ urbis amissionem fidelibus christianis abun„ de præbere. Namque si verus est rumor ad nos delatus, hominum quadra„ ginta millia cæsa sunt; animæ plures in miserabile servitium ductæ: templa „ divino nomini dedicata, funditus diruta, naves non paucæ captæ; amissa ci„ vitas formosissima; & ratione situs, & aliis conditionibus ad tutelam christia„ nitatis admodum necessaria; in qua per multa sæcula & patriarchalis dignitas „ claruit, & imperialis majestatis insignia floruerunt, ut taceamus de litteris, „ ac bonarum omnium artium studiis, quæ velut domicilium proprium ex tota „ Græcia Constantinopolim habuere. Quibus modo cum civitate cadentibus, „ nullum profecto credimus esse christiano nomine insignitum, qui de tantæ ur„ bis ruina supra modum non angatur, & doleat. Maximum certe, atque „ horribile vulnus illatum est ecclesiæ catholicæ nostro tempore, ac majus, „ quam scriptis possit, aut verbis exprimi. At cum potentissimus hostis, crude„ lissimus, immanissimusque, in manu victoriam hanc, locumque nactus sit, ex „ quo fidei christianæ, quam persequitur, pro sua libidine possit officere, quis „ non eum indies plura conaturum existimet, quibus christianorum gentem in „ perniciem, desolationemque ducat? Quippe victoria sui natura insolens, „ etiam si ad mites venerit, feroces eos, impudentesque reddit; quid cum his „ agat, qui suopte ingenio soliti sunt sævire? an putare quisquam potest, ira„ torum hominum, cupidorum, atque acerbissimorum quieturam esse victo„ riam?

(1) Lis est de tempore captæ urbis inter chronologos. ONUPHRIUS, BEUTHERUS, & ipse adeo SCALIGER, eam ad An. Chri. 1452. rejiciunt. Quam recte autem, alii viderint. Certe 29. Maji, qua capta urbs est, & Feria III. fuit, non potuit, ut liquet, esse Feria III. Anni 1453. Et Venetiarum dux hac epistola aperte designat captam esse 29 Maji proxime præteriti; data autem epistola est, XXVII. Julii, Anni 1453. itaque hoc anno captam urbem oportuit.

(2) AENEAS SYLVIUS Epist. 163.

„ riam? Enim vero, qui ex illis partibus ad nos veniunt, & Peram ajunt christianis perditam, & alia pleraque loca vicina Constantinopoli per Turcos occupata, qui proximam quamque victoriam non desidiæ, aut socordiæ ducunt, sed instrumentum sequentis habent, studiisque omnibus enituntur, ut christianum nomen ad internecionem redigant. Nescimus, an vera sint, quæ auctore non certo dicuntur, timere tamen magis, quam sperare multæ nos urgent rationes: Fama, quæ de venturis Turcorum exercitibus erat, civitas regia pro magnitudine sua parum populosa, hostium propinquitas, auxilii spes remotior, & infelix, ac dolorosum nuncium optato, & fausto semper credibilius. Quibus ex rebus etsi non dubitemus Sanctitatem vestram his cognitis excitatam esse, ad cogitandum, inveniendumque modos, quibus tam periculoso, & potenti hosti, ne amplius noceat, opportune resistatur, tamen quia nos quoque, velut imperatorem, & advocatum ecclesiæ res ista concernit, haud abs re credimus esse, si clementiam vestram, pro communi fidelium salute accensam, magis, ac magis inflammare nitamur. Neque enim res est, quæ vel negligi debeat, vel differri: occurrere oportet prius, quam vulnus altius insligatur, aut veneni labes in corda decedat. Ceterum cum tanto negotio non unius provinciæ, aut paucorum principum, sed omnium christianorum regum, seu certe magnæ partis eorum necessariæ vires existant, dicemus confidenter, quod nobis ex usu videtur, neque dubitamus, quin dicta nostra Sanctitas vestra in partem accipiat meliorem. Sane pro tanto, & tam necessario opere optimum factu censemus, clementiam vestram, quæ locum tenet in terris Salvatoris nostri JEsu Christi, cujus res agitur, nunc exsurgere, scribere regibus, legatos mittere, monere, hortari principes, ac communitates in aliquem communem locum, ut aut veniant, aut mittant. Nunc, aut inducias inter socios fidei componant, atque junctis viribus adversus salutiferæ crucis inimicos arma promoveant. Quod si vestra Sanctitas toto pectore, suoque more ad rem hanc, tam piam, & utilem intenderit, non est nobis dubium, quin plures & reges, & principes, in quibus zelus domus Dei, & ardor fidei orthodoxæ non est exstinctus, ad mandatum vestrum voluntarios, & obsequentes se præbeant. Nos certe pietati vestræ, ut libuerit, & assistere, & cooperari pro nostri officii debito minime omittemus. Solum precamur, ut vestrum in hoc negotio consilium, & intentum communicare dignemini. Namque si fuerit opus nostræ nationis, & imperii sacri principes ad hoc ipsum convocare, & alia, quæ juxta consilium vestrum putaverimus opportuna, implere non negligemus. Quia vero ad hujusmodi negotium maxime conducere arbitramur, Italica bella quam primum sopiri, quamvis Beatitudinem vestram ad hoc conari, & per se sufficere non ambigamus, tamen, quia anno proxime decurso & Romæ, & Neapoli, & Ferrariæ, & Venetiis de hoc plurimum egimus, licet frustra, si pietati vestræ in præsentiarum quovis modo expedire videtur, quod oratores aut ad Sanctitatem vestram, aut partes contendentes mittamus, sive alio modo pro pace celerius conficienda laboremus, ut vestræ Sanctitati fuerit visum, eo modo faciemus, omnique cura, & studio proni erimus ad ea intendere, per quæ pace tam Italis, quam ceteris christianis data, & furori Turcorum resistatur, & christiana religio in suo statu conquiescere possit, & debito sub splendore foveri. Ex Græcio Stiriensi. (1) Quantopere ex iis litteris christianorum universe, tum imperii præcipue principum adversus barbaros studia in principio exarserint, quo deinceps modo, & quas ob causas refrixerint, ad annum sequentem memorabitur.

Annus Christi 1453. *Annus Christi 1454.*

Interea Hungari tam vicino periculo sibi tanto magis metuentes, quanto ferocius alias barbaros regno suo inhiasse noverant, Ladislaum per oratores rogarunt, ut Budam venire ne gravaretur; isthic omnium provinciarum legatos affuturos, cum quibus de propulsando, quod a Turcis instabat, discrimine, consule- *Ladislaus de vicino periculo admonitus.*

(1) Dies consignata non est, verisimile mihi tamen fit, litteras in anni exitu scriptas esse.

Annus Christi 1454. fuleret, ac depromtis in medium rationibus Hungariæ suæ curam gerere ne omitteret. Precibus suorum, ac christianorum principum, qui magnos terra, marique in Turcos apparatus facere ferebantur, exemplo motus, Budam in anni principio tenuit. Ibi habita cum proceribus consultatione belli leges, si quod gerendum in barbaros, aut propulsandum esset, singilatim pro fortunarum, fundorumve rationibus explicatæ sunt, publicoque patrum scito a rege in hunc modum vulgatæ. (1)

Indicto Budam conventu

Belli rationes, ac leges militiæ publico diplomate comprehendit.

„ Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex, Austriæque, Slesiæ, & Stiriæ dux, nec non marchio Moraviæ, Lusatiæ &c. fidelibus nostris universis, prælatis, baronibus, nobilibus, & alterius cujusvis status, & conditionis hominibus possessionatis in comitatu constitutis, & existentibus salutem, & gratiam. Crebrarum, ac dudum invalescentium novitatum notabilium omnium fide dignorum hujus regni nostri Hungariæ pericula formidantium patefactione edocti sumus luculenter: quomodo perfidissimus imperator Turcarum potentissima paganorum coadunatione, solito multiplicata, magis in finale exterminium firma intentione machinetur hoc regnum nostrum Hungariæ subintrare. Proinde nos vigili advertentia in animo revolventes, ne, velut olim hoc regnum nostrum Hungariæ ex Tartarorum invasione improvisa, inadvertentia regnicolarum in flebilem ruinam fuerat positum, & in præsentiarum inevitabili cursu dicti imperatoris Turcarum, & campestri conflictu indispositos, quod Deus avertat, nos contingat periclitari, &, totius hujus regni machina, sacra religione christiana imbuta, penitus diruatur, quemadmodum etiam in proximis diebus evolutis, exemplari intuitu civitati Constantinopolitanæ per eundem imperatorem Turcarum illatum fore, jam experti sumus manifeste: eapropter prædicti fideles nostri, prælati, barones, nobiles, & proceres dicti regni nostri Hungariæ, una cum certis electis nobilibus hominibus singulorum comitatuum ejusdem regni nostri, quibus per alias litteras nostras nuper superinde dederamus in mandatis, in hac civitate nostra Budensi undecim his diebus congregati, super eo, qualiter hujusmodi ipsius imperatoris Turcarum invasio præstolanda, valeret tutius evitari, uniformem habentes tractatum, & deliberationem, nos cum eisdem validam expeditionem exercitualem ad natalem patriam nostram, altissimo propitio, defendendam, adversus paganorum insultus exercitum decrevimus instaurandum; quod præsentibus litteris nostris, sub certorum articulorum inclusionibus subnotandis, vestris fidelitatibus notificandum duximus, videlicet.

„ Quod primum, spectabilem, & magnificum Joannem de Hunyiad, perpetuum comitem Bistricensem infra præsentis integri revolutionem anni, capitaneum generalem instituimus hujus exercitus nostri instaurandi. Item disposuimus, quod e medio dictorum prælatorum, & baronum, nec non etiam nobilium, & procerum regni nostri, certi eligantur, qui videre debeant, quot banderia nostra regalia de proventibus nostris regalibus poterunt elevari. Qui & ulterius provideant, qualiter ipsi proventus nostri regales ad cameram nostram regalem administrentur? & qualiter e camera nostra iidem proventus dispensentur; quodque honores baronatuum tenentes, qui scilicet more alias consueto, ipsorum banderia exercitualiter soliti fuerunt elevare, de iisdem nostris proventibus regalibus, eorum stipendia extra dentur, & cum eorum banderiis prompti sint exercituari. Item domini archiepiscopi, episcopi, præpositi, & capitula, ac abbates & alias dignitates, & honores ecclesiasticos majores tenentes, quemadmodum tempore quondam domini Sigismundi imperatoris, & regis, avi nostri, consueti fuerunt, cum ipsorum banderiis, ac numero lancearum exercituare teneantur: ita videlicet, quod quantumcunque ecclesiarum, seu personarum ecclesiasticarum proventus, per inimicos extitissent minorati, juxta limitationem electorum hominum prædictorum, etiam hujusmo- „ di

(1) In corpore Juris hungar. Tom. I. pag 209.

„ di exercituatio earundem ecclesiarum, seu personarum ecclesiasticarum cum „ tanto defectu minoretur. Quod etiam aliæ personæ ecclesiasticæ, dignitates, „ & honores ecclesiasticos minores tenentes, quorum nomina in regesto nostro „ exercituationis scripta non existunt, secundum conscientiosam limitationem ele- „ ctorum hominum prædictorum, juxta quantitatem proventuum earundem per- „ sonarum ecclesiasticarum exercituare teneantur. Annus Christi 1454.

„ Item in quibuslibet comitatibus tot probi, & fide digni homines po- „ tiores per communitatem nobilium eorundem comitatuum eligantur, quot in „ eisdem comitatibus judices nobilium habentur: qui una cum eisdem judicibus „ nobilium comitatus, in quo connumeratio fieri debebit, præstitis juramentis „ per eosdem connumeratisque portis jobagionalibus ad rationem, & numerum „ lucri cameræ faciendum, de centum portis jobagionalibus tam ecclesiastica- „ rum, quam secularium personarum, quatuor equos pharetrarios, & duos pe- „ dites, similiter pharetras, ac clipeos, & cuspides habentes ad exercituandum, „ hac vice tantum, & usque ad metas, & terminos regni nostri Hungariæ, & „ non ulterius, disponant. Ac in quolibet comitatu per eandem universitatem „ nobilium e medio ipsorum unus idoneus conductor belli illius comitatus eliga- „ tur, qui cum eisdem hominibus exercituantium connumerati, penes capita- „ neum exercitus tempore debito accedere teneantur. Universi etiam nobiles „ regni nostri Jobagiones non habentes, per singula capita, aut cum dominis „ ipsorum juxta limitationem dictorum electorum hominum teneantur exercituare. „ Et qui equestres, vel pedestres proficisci debeant, vel qui propter pauper- „ tatem, senium, vel infirmitatem exercituare non possent, iidem electi homi- „ nes discernant, & disponant. Pro personis vero filiorum magnatum parvu- „ lorum homines armati; pro aliis vero pueris, & orphanis, juxta eorum fa- „ cultatem, consimiliter homines exercituantes transmittantur.

„ Universi autem magnates, barones, milites, nobiles & proceres dicti regni „ nostri, majores scilicet, & minores per singula capita propria hac vice exer- „ cituare teneantur. In castris autem ex pluribus castellanis sufficiat unum re- „ manere, cum tot personis, quot pro conservatione talis castri sufficientes fo- „ re judicaverint electi homines deputati: alii personaliter debebunt exercituare. „ Item in domibus notabilium nobilium unus nobilis pro provisore curiæ possit „ remanere, ita tamen, quod, quicunque modo præmisso remanserint, tenean- „ tur homines suos exercituantes connumeratos transmittere. Ex nobilibus ve- „ ro, & aliis minoribus, filios, aut fratres indivisos habentes, sufficiat unum „ ad exercitum proficisci antiqua consuetudine observata. Item, quod Joba- „ giones exercituantes nobilium in pluribus comitatibus possessiones habentium, „ electi homines, connumeratores talium comitatuum, erga, & penes dominos „ ipsorum in illum comitatum, ubi tales domini eorum residentiam fecerint per- „ sonalem, transmittant. Qui quidem nobiles seu domini cum talibus homini- „ bus eorum exercituare, si noluerint sub banderio dominorum ipsorum, acce- „ dant, & profiteantur: qui etiam rationem de numero, & personis talium suorum ex- „ ercituantium generali capitaneo dare, & de eisdem respondere tenebuntur.

„ Item quilibet exercituans, tam major, quam minor, teneantur in pro- „ priis expensis tum in eundo, quam stando, & redeundo proficisci; nullusque „ audeat aliquas res, vel victualia absque competenti solutione recipere. Si qui „ autem violenter in aliquibus locis aliquas res, vel victualia receperint, ductor „ exercitus talis comitatus ex parte damnificantis teneatur impendere satisfactio- „ nem indilatam. Et si ipse damnificans, unde satisfaceret, non haberet, ca- „ put ejusdem in manus damnificati debeat assignari per ductorem belli comitatus „ prænotati. Quod si talis ductor belli facere non posset, propter personæ ta- „ lis damnificantis majoritatem, avisetsuperinde capitaneum generalem, qui te- „ neatur damnificato satisfacere: alioquin damnum passus valeat damna sua ju- „ re mediante aquirere, secundum contenta decreti dominorum prælatorum, & „ baronum.

Annus Christi 1454.

„ Item omnes liberæ civitates, tam nostræ regales, & reginales, quam „ dominorum despoti, & comitis Ciliæ, aut aliorum magnatum, nec non totum regnum nostrum Sclavoniæ, de quibus lucrum cameræ nostræ solvi non „ consuevisset, modo præmisso connumerari debeant. Et similiter Philistæi, Cumani, Valachi, & Tartari connumerati (1) debeant exercituare. - - - Disposuimus insuper, quod quicunque tum prælatorum, ac baronum, virorumque „ ecclesiasticorum, & magnatum, nec non nobilium, & possessionatorum hominum prædictam dispositionem, & ordinationem in toto, vel in parte observare, vel implere nollet, aut non curaret, ex tunc tales, dicti electi connumeratores in eo mox admonere debeant, ut propter defectum bujusmodi „ non profectionis, dispositionis, & ordinationis prædictorum pro quolibet equite, sedecim florenos, auri, &, pro quolibet pedite decem florenos auri usque quintum decimum diem, a die admonitionis eorundem computando, dicto capitaneo nostro generali dare, & solvere debeant, & teneantur: qui „ si non solverint, ex tunc ductor exercitualis comitatus, una cum electis hominibus, & judicibus nobilium ipsius comitatus, ubi talis modi dispositiones „ infringerentur, seu non perficerentur, illas possessiones possessionarias, de quibus „ ipsæ dispositiones perfectæ non fuerint, occupare, occupatasque tam diu, donec „ per bos, quibus redemtiones earundem magis competunt, pro dictorum summa, „ & florenorum quantitate redimantur, conservare valeant, atque possint: quodque „ præmissa dispositio exercitualis ad aliquam pecuniariam solutionem nullatenus, & „ per nullum modum per quempiam convertatur: quod si per aliquem factum fuerit, „ poenam sententiæ capitalis incurrat ipso facto. Item exercituantes illi, qui scilicet „ de exercitu furtive recedunt, si nobiles fuerint, possessiones ipsorum amittant: „ si vero ignobiles, poenæ capitali subjaceant. Et similiter illi, qui a dominis „ illorum dispositionem habuerunt, vel pecuniam eorum levaverunt, cum eisdemque proficisci noluerint, eandem sustineant capitalem poenam.

„ Præterea quia præmissam dispositionem exercitualem contra antiquam „ consuetudinem, & libertatem tam ecclesiasticarum personarum, quam etiam aliorum regnicolarum nostrorum, majorum, & minorum propter præsentis validissimi belli apparatus, dicti imperatoris Turcarum, in hujus regni invasionem, „ quod Deus avertat, faciendum, pro ejusdem regni nobilium, atque solii nostri regii, & patriæ paternæ defensione, & conservatione in præsentiarum levare oportuit, & promulgare. Ideo nos, & ipsi prælati, barones, ceterique „ proceres, & nobiles dicti regni nostri spondemus, & fide nostra christiana „ præstita, etiam cum nostri, & ipsorum prælatorum, & baronum sigillorum impressionis roboratione promittimus & pollicemur; quod amodo, & deinceps nullo „ unquam tempore talem inconsuetam exercituationem promulgabimus, & faciemus; neque ipsi facient, & promulgabunt. Sed tum nos, quam ipsi prælati, „ barones, & proceres regni nostri penes dictam antiquam consuetudinem exercituationis semper permanebimus, & ipsi permanebunt, - - -

Ac per singulas regni provincias mittit.

Hæc fere instituendi, propulsandique belli capita ut præter gentis, legumque normam sancita fuere, ita ingentis metus argumentum erant, qui audita Constantinopolitanæ urbis clade omnes propemodum Europæ populos, Hungaros præsertim, periculo proximos invaserat. Diplomatis hæc clausula est: „ Quocirca fidelitati vestræ præcipimus, & mandamus, quatenus mox, postquam „ prætacti bomines electi, dicti comitatus hic Budæ in præsentiarum constituti, „ hinc vestri in medium cum præsentibus revertentur, & pervenerint, ad locum sedis vestræ judiciariæ universaliter congregati, juxta contenta præsentium dispositionum nostrarum, una cum dictis prælatis & baronibus, & electis „ hominibus per vos deputatis, ceterisque proceribus, & nobilibus dicti regni „ nostri, in superioribus articulatim conscriptarum, vos cum celeritate, more „ exercituantium tam expedite disponatis, & appromtuetis, ut dum, & quam „ primum

(1) Itaque hoc quoque ævo gentes hæ distinctæ erant: at ubi locorum Tartari coluerint, nusquam vestigium deprehendere potui.

„ primum annotatus, comés Joannes, generalis capitaneus exercitus nostri præ- „ nominati vobis scripserit, in continenti cum apparatu exercituali fulciti, præ- „ vio ductore belli, modo prætacto, eligendo, ad loca, quæ idem capita- „ neus noster generalis duxerit notificanda, ad resistendum prædictorum inimico- „ rum nostrorum insultibus proficisci valeatis: aliud sub poenis prædictis, & no- „ stræ indignationis facere non ausuri in præmissis. Datum Budæ in festo con- „ versionis beati Pauli Apostoli, anno domini MCCCCLIV. „

Annus Christi 1454.

Ita rebus in omnes belli eventus diligenter comparatis, rex in Austriam revertit, eodem studio provincialium animos adversus barbarorum ferociam præparaturus; fecissetque, nisi mira commutatione istorum voluntates paulum post implicitæ fuissent.

Cilie comes in gratiam receptus,

Ulricus Cilejensis comes, quem ex aulâ eliminatum narravimus, Ladislao ab hujus reditu clanculum conciliatus est. Viennam mille cum equitibus magno, & splendido apparatu redeunti, rex extra urbem obviam factus, ceteros quoque principes, ac nobiles, quamquam comiti prius perinfensi essent, exemplo suo, ut studia converterent, permovit. Quod ubi ab Eyczingero cognitum est, cum iis, qui secum sentiebant, eodem, quo comes in gratiam receptus est, die, relicta Vienna spontaneum exilium elegit. Pristinum potestatis, & dignitatis gradum adeptus Cilejensis ad ingenium rediit, Hungarosque, ac in primis Joannem Hunyiadem occulta & maligna criminatione apud Ladislaum infestans. Causam legati præbuere, qui regem ex Hungaria abeuntem consequuti sunt, regni totius nomine orantes, ne constitutis in Austria rebus ad Hungariam reverti abnueret, ut præsentia sua, quæ nuper pro salute publica sapienter in conventu statuta essent, ad optatum finem adduceret. Id Cilejensis in malam partem accipiens, facile adolescenti regi persuasit, nihil sincerum, tutumque ea legatione Hungaros, & gubernatorem moliri; quem ad regnum aspirare ne dubitaret: tentatum id ab eo toties fuisse, quoties exercitum barbaris prodidisset. Si voti compos fieri per Hungaros nequiret, per Turcos conaturum, quibus palam quidem infestus, clam amicus esset. In hujus potestate regem futurum, si in Hungariam iret. Vereri se magnopere, ne, ut violentissima ambitiosorum consilia sunt, rex veneno, aut vi etiam manifestum vitæ discrimen adeat: id gubernatorem missitatione legatorum velle. Prævento igitur opus esse, & in auctorem vertendum scelus. Viennam reipublicæ causa, ne se peti sentiret, evocandum esse, atque neci dedendum: ita regem cum regno extra periculum fore.

Hunyiadem apud Ladislaum criminatur.

Persuasus a comite Ladislaus, ut discrimen, quod sibi imminere verebatur, in auctorem verteret, Hunyiadem per litteras Viennam evocat, gravissimas esse res, quas cum illo communicare cupiat, veniret modo, morasque omnes abrumperet: tantum illius se consilio deferre, ut nihil eo imprudente confectum velit. Gubernator per Viennenses amicos edoctus, fraudem in se parari, & comitis animum ex multis antea indiciis cognitum habens, respondit: regi in Hungaria se pariturum, & dicto audientem fore, extra regni limites egredi, quando officii rationes id non finerent, nec integrum sibi, nec satis tutum videri. Senferat Cilejensis frustra admotam ab se machinam, captatoque ad Ladislaum aditu suspicionem, quam prius regi ingesserat, novo commento firmavit. Hunyiadem, ne veniret, aut fastu, aut metu prohiberi: Quorum hic conscientiam designati sceleris indicaret, ille apertum regis contemtum præferret: id si impune illi abeat, majores ad occupandam tyrannidem animos sumturum. Confirmatus in suspicione rex, facile Cilejensi permisit, ut suo arbitratu rem hactenus adductam penitus exigeret. Ille rursus fortunam experiri certus ad Kiceam, nostri Köpcsinium vocant, oppidum in finibus Hungariæ situm contendit: Isthuc Joannem ad colloquium vocat: habere se, quæ a Ladislao, mandata afferret, palam vulgat: re autem ipsa, ut in insidias pellectum, aut Viennam vivum abduceret, aut, si id fieri non posset, quovis modo e medio tolleret. Hunyiades ne nihil regi, cujus nomen fraudibus prætexebatur, tribueret, venturum se renunciat, simulque, ut vaferrimi hominis technas sua industria eluderet, Kiceam cum bis mille

Hic per litteras Viennam vocatus.

Venire renuit, & quam ob causam,

Köpcsinium tamen ad colloquium profectus.

Annus Christi 1454.

Comitis fraudes eludit.

mille equitibus appropinquans, Cilejensem in patentes campos ex oppido ad colloquium evocat. Comes se regis nomine adesse per nuncios significat, e cujus dignitate omnino videretur, ut gubernator ad eum, qui mandata regia afferret, prior adiret: neque se ita ignobilem esse, ut Joanni eatenus cederet; colloquium in oppido & pacatius, & tutius haberi posse. Hunyiades contra legationem ad se missam affirmare; legatos ei, ad quem mittantur, honorem deferre solitos esse, de nobilitate autem non videri modo certandum: præsertim, si comes non majorum, sed suam secum personam contenderet: se virtute, & armis feliciter in Turcos prolatis id esse consecutum, ut suæ familiæ decus ab ipso primordia caperet, cum in illo majorum gloria finiretur. Ceterum non ignorare eum oportere morem Hungariæ, in qua gubernatorem, quod primum a rege locum obtineret, Ciliæ comites tanquam Sclavoniæ Bani longo dignitatus intervallo sequi solerent. Ita re utrinque infecta discessum est. (1)

Hic novos dolos commentus Hunyiadem pene occupaverat.

Neque tamen Cilejensis a more suo descivit, in omnem occasionem acriter intentus, qua Joannem in casses præcipitem ageret. Itaque ejus consilio litteræ regio nomine scriptæ, crebro ad Hungariam missitantur, quibus, ut venire ne metueret, significatum erat: fraudem omnem abesse, suspiciones, quæ utrique intercesserant, non malo comitis animo, sed malevolorum opera exortas: sin huic fidem habere vereretur, regi certe crederet; hunc publicæ fidei litteras missurum, quibus Viennam tuto venire, ac cum vellet, iterum incolumis, salvusque redire posset. His pollicitis, & amicorum exhortatione permotus Hunyiades in viam se dedit, Viennam cum appropinquaret, & octo passuum millibus ab urbe abesset, substitit, ut litteræ, quemadmodum conventum erat, sibi redderentur. Sed in Litterarum loco Lambergerus nobilis eques comitis jussu aderat, qui, ut regi obviam festinaret, admonuit: eum ex urbe progressum cum comite, qui litteras secum deferret, proxime affuturum. *Motus eo nuncio Joannes, triginta ferme stadia versus urbem profectus est, inspiciensque late campos cum neminem exire obviam cerneret, in propinqua villa consedit. Tantisper moratum comes cum quadraginta tantum equitibus adiit, & ne regem occurrentem moraretur equum repente ascendere, festinareque jussit. Joannes late, inquit, campi patent, neque ego vel regem, vel alium quempiam video venientem. Tum comes æstum causatus regem intra vineas, & arbores exspectare in umbra dixit. Interrogatus de litteris, apud regem eas esse respondit. Intellexit fraudem esse Joannes, seque verbis incassum duci, conversus ad Lambergerum, recte inquit mentitus es mihi, cui Lambergerus; quæ jussit comes, ea dixi, si quis error inest, eum argue; ipse suam causam agat, qui mandavit, mihi parere necessarium fuit. Rursus Joannes comitem intuens, siccine, inquit, ludificare homines pergis? fraude me appetis; ego te vi possum perdere, incideras in foveam, quam fodisti, si vellem, quis prohibere potest, quin de te ultionem accipiam, dignaque tuis factis præmia reddam? reverentia regis te salvum facit, illi tuam vitam dono, non tibi. Cave posthac, ne meos ante oculos veneris.* (2) His dictis sine maleficio, sed irarum plenus cum sociis in Hungariam revertit.

Nisi is detecta fraude casses vitasset.

Agente Dionysio Strigoniensi, regi conciliatus gubernator.

Ladislaus, quo fere imprudente Cilejensis omnia adversus Hunyiadem egerat, ubi rem hucusque evasisse comperisset, neque enim Viennæ amicis Hunyiades prorsus caruit, placare virum de se, ac republica meritum, missis in Hungariam nunciis studuit. Res in principio ægre ex sententia videbatur casura, quod Hunyiades novas Cilejensis comitis fraudes sub eo amicitiæ involucro latere crederet; cui, quod toties ab eo circumventus esset, fides tuta haberi non posset; ad extremum studio procerum quorundam, ac Dionysii Strigoniensis opera, positis suspicionibus, amicitia ea conditione coaluit, ut oppida, quæ hostium incursioni non essent obnoxia, regi gubernator traderet, quæ Turcis contra, eorumque ditionibus finitima essent, sibi servaret, & Mathiam filiorum

alterum

(1) AENEAS SYLVIUS hist. Bohem. cap. 64. & in rebus Friderici III. DE ROO hist. Austr. lib. VI.

(2) Idem ibidem.

alterum, in aulam mitteret, ut inter nobiles adoleſcentes, qui regi famulantur, educaretur, re autem ipſa initæ recens amicitiæ obſes eſſet. (1)

Annus Christi 1454.

In Turcos movet.

Redintegrata inter regem, & Hunyiadem amicitia nova huic paulum poſt & laudis, & curarum ſeges oborta eſt. Mahumetes enim occupata Conſtantinopoli, quando jam fere eum terrarum tractum, qui ab Epiro ad Pontum tenditur, ſub jugum miſerat, ad ſubjiciendam quoque Hungariam animum, ſtudiaque convertit. Sed nondum penitus ſtabilito imperio, haud ſatis tutum videbatur, univerſis viribus in hoſticum progredi, ne Græci recens domiti, novæ dominationis impatientes, per abſentiam turbas darent. Itaque ut viam ſenſim iſthuc complanaret, relicto domi, quantum ſatis eſſet, præſidio, cum reliqua copiarum parte, in Raſciam profectus, Deſpotam brevi tempore, omnibus ditionibus exuit, & Szenderoviam, quæ defenſionem apparabat, acerrima obſidione circumvallat. Deſpota ægre ex periculo in Hungariam evadens, poſtquam, quo loco res ſuæ eſſent, retuliſſet, ingenti omnes metu conſternavit; neque enim iſthic diu adhæſuros barbaros, ſed capta Szenderovia, in mediterranea Hungariæ promoturos opinio ſuit. Quo cognito Hunyiades, haud diutius ſibi morandum ratus, militem, quem in ſtipendiis habuerat, ſub ſigna celeriter cogit, ac reliquos, quos ex norma in conventu regni nuper præſcripta, militiam profiteri oportebat, præſto ſibi eſſe jubet. Ita paucos intra dies conflato exercitu in hoſtem proficiſcitur, magniſque uſus itineribus, hoſti citius, quam eum ex Hungaria promoſſe Turci compererint, ab tergo incubuit. Mahumetes fama adventantis Hunyiadis territus, ſoluta obſidione in Bulgariam receſſit, relicto cum triginta duobus millibus Friczibego, cui in mandatis dederat, ut detrectata pugnæ alea Criſonienſem arcem ſumma celeritate inſtauraret, eaque operibus militaribus communita bellum magis traheret, quam gereret: ita fore, ut Hungari, ſi nusquam ad manus veniretur, morarum pertæſi ſponte redirent. Intellexerat hoſtis conſilia Hunyiades; quæ, ut inutilia redderet, ſumma celeritate uſus, & diem, noctemque, quin reſpirandi ſpatium militi daret, profectus, barbaros ſtruendis operibus magis, quam hoſti, aut pugnæ intentos aggreſſus, conſerto trium horarum prælio, internecione delet. Friczibego, cum magna nobilium turma capto, caſtra cum impedimentis, ingentique ſpoliorum copia, in noſtrorum poteſtatem venere. Profligatis barbaris, populatio in Turcorum ditiones, uſque ad urbem Pirotham illata: a qua cum haud procul Mahumetes excubaret, metuens, ne ingratiis ſigna conferre cogeretur, Adrianopolim regreſſus eſt. Victor Hunyiades cum videret Mahumetem a pugna abhorrere, belloque in longum protracto, annonæ, & commeatus difficultatibus ſe ſe velle objicere, Bidinum iter reflexit, eoque cum finitima provincia igni cremato, Belgradum tenuit.

Fugatoque Mahomete, hujus legatum aggreſſus fundit.

Et qua fortuna res ab ſe geſta eſſet, Friderico cæſari ſcribit.

Scio id bellum a noſtris ſcriptoribus ad ſextum abhinc annum fere præcipi, multaque narrari, quæ ab vero magnopere abhorrere videantur: ſed mihi præ iſtorum fide, victoris auctoritas multo potior eſſe debet, qui, quemadmodum res ab ſe geſta eſſet, Friderico Romanorum imperatori, quam primum ex boſtico Belgradum redit, in hæc verba perſcripſit. (2) *Sereniſſime princeps, & domine nobis ſemper gratioſiſſime! cum omni reverentia recepimus litteras veſtræ ſerenitatis, & eorum contenta intelleximus. Ex parte igitur ſæviſſimorum Turcorum crucis Chriſti perſecutorum, ac de eorumdem Turcorum geſtis, potentia, habitudine, progreſſu, infeſtatione & perverſa intentione veſtram ſerenitatem poſſumus certitudinaliter aviſare, & certificare, quod ſævus ille Mahumet-beg chalappya dominus, & imperator Turcorum, violata fide ſua paganiſſima, ruptaque treuga, & pace, quam cum ipſo, eo tempore, quo ſereniſſimus princeps, & dominus noſter naturalis, & gratioſiſſimus dominus Ladislaus Dei gratia rex Hungariæ, & Bohemiæ, patruus veſtræ ſerenitatis, ſub educatione ejuſdem veſtræ ſerenitatis confovebatur, & tene-*

(1) AENEAS SYLVIUS in rebus Friderici III. & DE ROO Hiſt. Auſtr. lib. VI.

(2) Ex Cod. Mſ. Mellic. loco ſæpe laudato.

Annus Christi. 1454.

tenebatur, pro parte regni, & ducatus ejusdem domini regis Ladislai, per terminum Hungariæ, & Rasciæ feceramus, & firmaveramus, cum infinita nationum suarum babaricarum, coadunataque sibi potentia Tartarorum, Saracenorum, & Carimanorum, & aliarum diversarum mixtarum nationum, de orientalibus partibus, hostiliter irruit, & intravit in regnum Rasciæ præfati domini nostri regis Ladislai, de quo illustrem dominum Georgium, ejusdem Rasciæ Despotum ejecit, & expulit, & plusquam quinquaginta millia hominum, seu animarum absportavit, ipsum regnum vero omnino conquassavit, & concremavit, captaque exteriori civitate Zendero, & Domorum ipsius domini Despoti combustione, interiorem civitatem Zendero obsidens circumvallavit. Nos outem quantum, cum Dei auxilio in moderna absentia ipsius domini nostri regis Ladislai pro suorum regni, & ducatus defensione facere potuimus, personaliter cum gentibus nostris transivimus, contra ipsos Turcos, & Mahumeth-beg, qui postquam adventum nostrum illuc persensit, ab ipsa obsidione se removit, & retro cessit in Bulgariam, in civitatem suam Sophia appellatam, dimisitque in ipso regno Rasciæ quemdam Vayvodam nomine Friczbeg principaliorem suum capitaneum, cum triginta duobus millibus paganorum infidelium circa partes Krusohez; cum quibus conflictum habuimus, & Deo nobis auxilium ferente, ac per bonam fortunam dicti domini nostri gratiosissimi Ladislai, ipsos debellavimus, ipsumque Friczbeg capitaneum captivavimus, cum aliis pluribus, nobilibus Turcis, quos de præsenti nostra tenemus captivitate, dominia ipsius imperatoris Turcici usque ad civitatem Pirotha concremavimus & combussimus. Inde venimus ad civitatem suam Bidinum, eandem consimiliter cum omnibus districtibus, & pertinentiis suis concremavimus; nuncque ipse imperator Turcorum, in vindictam hujus de civitate sua Adrianopoli exeundo cum sua tota potentia, & exercitu validissimo jacet in campo, inter dictas civitates Sophia, & Pirotha; intenditque invadere regnum Hungariæ, idemque regnum continuo impetit, infestat, & domnificat: nos etiam hic stamus, si contra nos venerit - - - pugnabimus cum eodem.

Unde excellentissime cæsar, vestra excellentia est caput totius christianitatis, vestra celsitudo dignetur cum fratribus suis, & aliis principibus catholicis super auxilio expeditionis generalis exercitus contra ipsos Turcos fiendo tractare, & finem in eodem facere, cum tempus semel nunquam ita bonum, & accommodum fuerit, forte usque ad centum annos simile non erit, sicuti nunc adest, & quod ita facilius, & levius eos destruere potuisset, sicut nunc vestra serenitas posset. Et si nos cum vestra serenitate tractare possemus, non cum tantis grandibus rebus, & factis, quantis vestra serenitas existimaret, sed multum minoribus, & paucioribus, ipsos Turcos funditus, & radicitus de tota Romania, & Bulgaria trans mare ejicere, expellere, & expugnare posset majestas vestra, quoniam jam nos satis magnas oppressiones, & impedimenta Turcis dedimus, sed si in ista generali expeditione aliquid ad effectum non erit citissime perductum, credat vestra serenitas, quod ipsi Turci mox novum animum assument, & elevabunt in eorum crudeli ferocitate; timendum est de ipsorum Turcorum hostili introitu, & potentiali progressu, impendenteque ruina, & periculo totius christianitatis. Quapropter vestram serenitatem imploramus, quatenus ipsa vestra serenitas dignetur, & velit cum aliis fratribus & principibus suis tempestive certæ defensioni totius christianitatis, & sollicite de ipso auxilii generalis exercitus contra ipsos Turcos fiendo effectu attendere, & finem facere citius, ut fieri poterit, cum levioribus; postea illud non poterunt, cum maxima difficultate, perficere, & serenissimus dominus noster Ladislaus, & frater vester, vestraque celsitudo - - - si vestra serenitas faciet, in hoc mundo habebit laudem, & honorem, in alio autem seculo, a domino omnipotenti reportabit salutem, eritque sempiterna memoria vestra, & hæredum vestrorum, quod hoc tempore vestra serenitas christianitatem, & regnum Hungariæ a tanta infidelium paganorum ferocitate tutavit, & liberavit, noscit enim sævus ille Turcus imperator expeditionem generalis exercitus vestræ majestatis, & si res ipsa per vestram serenitatem ad effectum non perducetur, instante mense Martio se movelit veraciter contra christianitatem. Offerimus nos ad omnia servitia non minus serenitati vestræ, quam domino nostro regi Ladis-

Ladislao, domino nostro naturali servivimus, promte, & parate. Datum in castro Nandor, Albensi Anno Domini MCCCCLIV. Annus Christi 1454.

Serenitatis vestræ

Joannes de Hunyiad,
Comes perpetuus Bistricensis, & Generalis Capitaneus Hungariæ.

Ingens ex his litteris Friderico animus ad commune in barbaros bellum conflandum adjectus est. Convocaverat jam antea imperii principes Ratisbonam, ut de rationibus diligenter consulerent, quibus commune christianis periculum ab Europa averti posset: sed cum infreqnentiores, quam speratum fit, in eam Urbem convenissent, re cum pontifice communicata, Francofordiam comitia indixit, utque per se se, aut oratores adesse vellent, flagitavit. Erecti ad spem plerique principes sunt ex relata Hungarorum de Turcis nuper victoria, magnaque frequentia Francofordiam advenere. Cæsar legatos, atque inter hos Ulricum Gurcensem, & Aeneam Senensem episcopos miserat, quibus se Nicolaus S. Petri ad vincula presbyter cardinalis adjunxit: ab summo pontifice Joannes Papensis Antistes adfuit; nec dubium est, ab Ladislao, & Hungaris oratores quoque missos Francofordiam fuisse, quod in communi causa, & periculo maxima pars ad eos attineret, ut Senensis episcopus memoriæ prodidit, cujus in eo conventu opera præcipue enituit, qui, ut erat illa ætate, nulli eloquentia secundus, atque aularum pene omnium acerrimus rimator, expositis copiosissimo sermone comitiorum causis, principes vehementer adhortatus est, ut communibus studiis, viribusque bellum in barbaros decernerent, & periculum, quod Hungariæ in dies imminebat, ab suis cervicibus tempestive amolirentur. Poscit rerum gravitas, ut ejus orationis, quam ad principes habuit, partem expromamus, quo cuivis perspicuum fiat, turpi christianorum desidia Turcos in Europa invaluisse, & ne omnem penitus sua colluvie inundarent, Hungarorum fere opera, virtuteque effectum esse. (1) *Ea victoria exciti Germaniæ principes conventum Francofordiæ celebrant.*

„ Constantinopolitana clades, reverendissimi patres, illustrissimi principes„ (ita orationem Aeneas orsus est) „ ceterique viri, genere, & doctrina præstabiles, quæ Turcorum grandis victoria, Græcorum extrema ruina, Latinorum „ summa infamia fuit, unumquemque vestrum, ut arbitror, tanto magis angit, „ magisque cruciat, quanto & nobiliores estis, & meliores. Quid enim viro „ bono, & nobili magis congruit, quam curam gerere fidei orthodoxæ, fave- „ re religioni, Christi nomen pro virili sua magni facere, atque extollere? sed „ amissa nunc Constantinopoli, tanta urbe in potestatem hostium redacta, tanto „ christianorum sanguine fuso, tot animabus in servitutem abductis, vulnerata est „ miserabiliter Catholica fides, confusa turpiter nostra religio, Christi nomen „ damnificatum nimis, atque oppressum. Neque si verum fateri volumus, multis „ ante seculis majorem ignominiam passa est, quam modo christiana societas. „ Retro actis enim temporibus in Asia, atque in Africa, hoc est, in alienis ter- „ ris vulnerati fuimus, nunc vero in Europa idest in patria, in domo propria, „ in sede nostra percussi, cæsique fumus. Et licet dicat aliquis, ante plurimos „ annos ex Asia Turcos in Græciam transivisse, Tartaros circa Tanaim in Eu- „ ropa consedisse, Saracenos Herculeo mari trajecto Hispaniæ portionem oc- „ cupasse; nunquam aut urbem, aut locum aliquem in Europa, qui Constanti- „ nopoli possit æquari. Est enim illa civitas totius terræ, quæ commode colitur, „ pene centrum; portumque habet & amplissimum, & tutissimum, in quo non „ dicam naves sed numerosæ classes armari, sustentarique possunt, atque inde „ per Bosphorum, hinc per Hellespontum ad omnia mediterranei maris sive *Aeneas cæsaris legatus gravis oratio, ne bellum in barbaros decernendum suadet.*

T 2 „ tuenda,

(1) Exstat inter Epistolas num. 131.

Annus Christi 1454.

„ tuenda, sive vexanda littora transmitti. At hic locus tam commodus, tam „ utilis, tam necessarius, nobis tacentibus, ne dicam dormientibus, amissus Christo salvatori, lucrifactus Mahumeto seductori est. Quid, quod ibi ex duobus „ imperatoribus christianis alter occisus est, nonne ex duobus christianitatis oculis „ alterum erutum, ex duabus manibus alteram amputatam dicere possumus? - - - Nimirum principes doletis omnes, ac de tanto christianitatis vulnere, quo cecidisse Græcos, superasse Turcos, confusos esse Latinos animadvertitis, consternati, atque attoniti estis? Sed non est minor divi cæsaris Friderici, domini nostri gloriosissimi, quam vester moeror: vidissetis eum, cum tanti mali factus est primum certior, in cubiculo flentem, in aula moestum, in consilio sollicitum, in ecclesia supplicem, in quovis loco turbatum, & anxium. Verum cum res christianæ non tam dolorem, & lacrimas, quam vigorem, & arma requirant, nam Turci majora in dies mala minantur, operæ precium existimavit sua Serenitas, tum principum, tum civitatum accersiri conventum, in quo de tuenda christiana republica consilia caperentur. Fuit itaque concilium apud Ratisbonam convocatum, quæ ibi gesta sint, omnes tenetis; ex auctoritate illius congregationis hic nunc conventus habetur. Cur - - - nequiverit ad hæc negotia cæsar ascendere, satis his diebus expositum est. Ille quidem pro tanta christianitatis necessitate in hoc conventu minime defuisset, si domum tutam relinquere potuisset. Sed cum ejus desiderium ab his impediretur, quibus non tam pax & otium, quam contentiones, & bella sunt usui, misit hosce præstantissimos, & celeberrimos legatos, qui suum locum tenerent suasque vices implerent, cum plena, & ampla potestate: sive res imperii, sive commune fidei tuendæ negotium tractare libet, præsto erunt. Ceterum quia super articulis Ratisbonæ meditatis hæc potissimum congregatio consultura est, vosque cæsaris animum, circa illos cognoscere cupitis, quæ sit ejus mens, quæ sententia, quæ voluntas, aperire me nunc meorum collegarum auctoritas jubet. - - Pareo in hac re tanto libentius, quanto & conspectum vestrum frequentiorem intueor, & mihi benigniorem autumo. Nec ego de omnibus articulis verba faciam, sed illum, qui est principalissimus, aggredior, hoc est, an contra Turcos, qui Constantinopolim per injuriam invaserunt, nobilitatem cum principe Græcorum occiderunt, sacra nostra omnia polluerunt, & ultra vincula, verbera, cædes, christianis minantur, bellum sit suscipiendum. Quo persuaso quantas habere copias necesse, quomodo legendi milites, quæ stipendia danda, unde commeatus habendi, quæ bellica instrumenta paranda, quo tempore, qua via sit eundum, facile concordabimus. Capitaneum quoque, sive belli ducem, quem prisci Romanorum imperatorem appellare consueverunt, non erit arduum nominare, neque dubitabitis illum eligere, in quo sit scientia rei militaris eximia, virtus excellens, auctoritas evidens, præsumta felicitas; qui sit laboriosus in negotiis, fortis in periculis, industrius in agendo, celer in conficiendo, consultus in providendo, qualem reperiri apud vos minime dubitaverim. Nec de pace domi tuenda multum laborabitis. Si foris bellum gerere decreveritis. - - - Intelligitis jam principes, oratio mea quibus in rebus radices agat, & quæ sit causa in manibus, videtis. De bello gerendo tota consultatio est. Ego, qui nomine cæsaris bellum venio suasurus, nequaquam hoc oneris accepissem, nisi rem dignam vestra virtute, vestra nobilitate, vestraque natione manifestissime intellexissem. Agite igitur, & cognoscite an bellum hoc pro fide vestra christiana suscipere debeatis: Bellum gesturus prius quærat, an sit justum: secundo utile: tertio an facile. Nisi enim hæc tria concurrant, non est cur bonis, atque prudentibus viris belligerandum sit. „

Rationibus ab belli justitia, et utilitate depromtis.

Tum primum sermonis caput variis rationum momentis confirmans, præsertim, quod rupto per summam injuriam cum Græcis foedere imparatos, nihilque tale metuentes barbari aggressi sint, gerendi belli in eos justitiam, pluribus ab retro acta ætate exemplis illustrans, ad alterum sensim delapsus; „ nunc ex bello, „ inquit,

„ inquit, quæ fequatur utilitas, breviter exponendum eft. Cur enim fe bello " quifquam immifceat, nifi & bello fe juvet? Vos igitur principes, fi fructum " hujus belli contra Turcos fufcipiendi cognofcere cupitis, damna, quæ toti „ chriftianismo imminent, nifi Turcorum frangatur impetus, penfitate. Audi- „ viftis, quæ paffi funt Conftantinopolitani: idem nunc multæ civitates exfpe- „ ctant, nifi, dum tempus eft, opitulemini. Serpit in dies hoc virus magis, ac „ magis; nunc una provincia, nunc alia nobis deficit: Rafcia jam noviffime oc- „ cupata eft. Defpotus ejus provinciæ cum conjuge, & liberis in Hungariam „ fe recepit. Hungari, qui hactenus noftræ fidei clipeus, noftræ religionis mu- „ rus fuere, bis victi bello, poft mortem Alberti regis: bis capti a Turcis funt: „ Centum millia hominum, aut eo plus, duobus præliis amifere. Non tulerunt „ integri Turcorum vires, quo modo fracti ferent? Succubuerunt auxilianti- „ bus Polonis, quomodo vincent foli? Magna eft Turcorum potentia in Afia, „ & Græcia. Tartarorum ferocem gentem foedere junctam habent; ducenta, „ vel tercenta millia pugnatorum, ne dicam plura, in arma cogere poffunt, „ quamvis fint Hungari ftrenui, & potentes viri, atque omni laude digni, non „ tamen tantis viribus pares habentur. Sive vincitur Hungaria, five coacta „ jungitur Turcis, neque Italia, neque Germania tuta erit: neque fatis Rhenus „ Gallos fecuros reddet. At non nulli fuis diebus non videri fimilia, nec fieri „ poffe confidunt; nos autem fæpe Tartaros protrita Hungaria Germaniæ fines „ ingreffos ad Rhenum ufque debachatos novimus. - - - Expectabimus igitur „ & nunc venire Turcos, atque accerfitis Tartaris nobilem, atque potentem „ Hungariam fui juris efficere, ac deinde reliquam chriftianitatem locuftarum „ more corrodere? pugnandum eft vobis omnino principes, fi liberi, fi chriftiani vitam „ ducere cupitis. - - - Quod fi vos Germani hoc tempore Hungaros neglexe- „ ritis, non erit deinceps, cur vos ex Gallis auxilia præftolemini, nec rurfus „ illi apud Hifpanos opem inveniant. Atque ita fiet, ut cum fingulis femper „ gentibus pugnaturi hoftes, facile, quod cupiunt, orbis imperium affequantur. „ Quod fi acceptis armis, & Hungaris, & Rafcianis, & aliis chriftianis, qui „ vicini funt Turcorum potentiæ, opem tuleritis, non folum vicinos veftros tue- „ bimini, fed vos ipfos, uxores, ac liberos veftros ex maximo periculo libe- „ rabitis. Atque hoc eft, ut mihi videtur, maxima utilitas belli gerendi. „

Annus Chrifti 1454.

Neque tam arduum, ut vulgus exiftimat, fore cum barbaris bellum, ex contentione utriusque militiæ, tum fociorum auxiliis, atque ingenti terra, marique apparatu, quem maritimæ provinciæ pollicerentur, declarat. „ Conferamus nunc Turcos, ait, ac vos invicem, &, quid fperandum fit, fi cum il- „ lis pugnetis, examinemus. Vos nati ad arma, illi tracti: vos armati, illi „ inermes: vos gladios verfatis, illi cultris utuntur: vos baliftas tenditis, illi ar- „ cus trahunt: vos loricæ, thoracesque protegunt, illos culcitra tegit: vos „ equos regitis, illi ab equis reguntur: vos nobiles in bellum ducitis, illi fer- „ vos, atque artifices cogunt: veftri milites nati, atque nutriti in armis funt, il- „ li copias fuas, exceptis quindecim millibus pugnatorum, quos expeditos ha- „ bent, ex agris, atque officinis petunt. - - - Solus Mahumetus, &, quos di- „ xi, quindecim millia expediti funt, quos fonus delectat armorum, & animus „ in bella paratus exhibeat audaces: ceteros inexpertos, timidos, effemina- „ tos, nulliusque precii judicetis. Quod fi manus cum illis conferatis, nihil eft „ quod de victoria dubitetis, fi modo, quam gefturi eftis pro Deo pugnam, „ adverfus Deum non convertatis, mala mente procedentes. - - - Dicat hic „ fortaffe quispiam, rem non effe cum Turcis tantum, fed cum Tartaris fimul, „ & Saracenis, cumque omnibus gentibus, quas illi fubjectas habent. Huic „ ego contra infto: nec ergo vos foli Teutones pugnabitis: ex Italia, ex Gallia, „ ex Hifpania multi concurrent: nec Hungari deerunt, nec Bohemi, fortiffi- „ mæ gentes. Rafciani, Bulgari, omnes Illyrienfes, omnes Græci fumta oc- „ cafione confurgent. Vicini quoque in Afia dabunt manus. Nolite exiftima- „ re principes, ita omnem Afiam Mahumeto parere, ut non multi fint Chrifto

Tum ab facili & lucri compendio.

Annus Christi 1454.

„ servientes; multi in Cilicia, Bithinia, Cappadocia, Ponto, Syria christiani sunt, quamvis jugo servitutis oppressi. Iberi, qui & Georgiani vocantur, Trapesuntii, Armeni Christum colunt, nec cunctabuntur arma sumere, si vos viderint audentes. Veneti quoque, & Januenses, potentes populi, quamvis pacem cum Turcis habent, partes tamen vestras classibus adjuvabunt: coacti namque, ne civitates Orientis amitterent, pacem fecere. At quod homines inviti, ac necessario faciunt, neque diu, neque diligenter facere possunt. Veneti certe fidem Imperatori dedere, facturos se quod deceat christianos, si bellum communi fidelium consilio contra Turcos decernatur. - - - Carolus rex Francorum & nobilissimus, & potentissimus pugnaturum se dicit, si vos armemini: Quæ sit mens incliti Ladislai regis Hungariæ, & Bohemiæ, ex suis oratoribus audietis. Regis Daniæ, Sueciæ, ac Norvegiæ litteras babemus, quæ mentem illius optimam exponunt. Alfonsus rex Arragonum, & Siciliæ, nostri seculi clarissimum sidus, etiam silentibus ceteris, hoc magnificum bellum, hanc gloriosam expeditionem pro Christi nomine susceptурum se pollicetur. Philippus Burgundiæ dux, non minus animo, quam sanguine clarus, potentatu, ac dominatu par magnis regibus, non modo se iturum ad boc bellum promittit, sed alios quoque, ut se accingant, magnopere adhortatur. Intueamini hos duos Principes, Alfonsum, & Philippum, maximos dominos, terra marique potentes: ambo ætate provecti sunt, ambo sexagesimum annum transiere: ambo tamen certamini sese offerunt, neque in propriis personis pro Deo suo pugnare recusant. Quid vos faciatis electissimi principes, quibus ætas florida est, quibus ebullit sanguis, quibus martius labor jucundus quidam ludus videri debet? en milites, en duces, en robustissimi juvenes, finetisne senibus majorem, quam vobis animum esse? dormietisne domi, cum illi foris militabunt? marcebitisne ocio, dum illi in negotio vigent? minime de vobis talia suspicor, degeneres animos timor arguit: vos autem erecto animo alacres intueor: incipio bene sperare; sentio jam titillari pectora vestra, ac flagrare amore bellandi. Nec miror vos ætate integra, militiæ sectatores, bujus belli cupidos esse; nam & ego ipse, quamvis senio gravis, quamvis ecclesiæ deditus, incendor, & æstuo nimio fervore talis pugnæ visendæ. „ Ad extremum exemplis majorum, qui rebus militia gestis semper claruissent, in medium adductis, tum non modo duraturam apud posteros nominis memoriam, sed coelestia etiam præmia, quæ pugnaturos adversus perfidiam barbarorum manerent, pollicitus dicendi finem fecit.

Itaque bellum in Turcos decernitur.

Quibus animis Æneæ oratio ab imperii septemviris accepta sit, ex incredibili adversus barbaros belli suscipiendi studio facile intelligitur. Re enim cum exteris regum, principumque legatis diligenter collata, mira voluntatum conspiratione bellum adversus Turcos decretum est; & certa de hujus gerendi rationibus capita publicis litteris vulgata. Ea hujusmodi fuere. (1)

Quo apparatu, & quibus conditionibus gerendum.

Auctore benedicto, & glorioso domino Deo nostro Christo Jesu, qui ecclesiæ catholicæ, sponsæ suæ, matri nostræ in omnibus necessitatibus adest, in boc conventu Francofordiensi, ex jussione domini cæsaris Friderici, Romanorum imperatoris Augusti, domini nostri invictissimi, in legati Apostolici præsentia, ad infra scripta deventum est. Primo: quod ad jussionem, & vocationem præfati invictissimi domini Romanorum imperatoris, serenissimo principi, domino Ladislao Hungariæ, & Bohemiæ regi, auxilia per legatos suos ad defensionem Hungariæ, & impugnationem infidelium postulata, in equestribus, & pedestribus copiis adversus Turcorum insolentiam, ex natione germanica, proxima æstate futura congregentur, & transmittantur, sub confidentia etiam, quod ex Italia navalis exercitus necessarius per mare instituatur, sine quo terrestris difficulter proficeret. Item: quod rex ipse Hungariæ, & Bohemiæ cum Turcis, aut aliis infidelibus medio tempore nullas conditiones aut pacis, aut treugarum accipiet. Item: quod rex ipse præfatus per se, aut suos, cum omni potentia regnorum, & aliorum dominiorum suorum adversus Turcos se præparet, & disponat.

(1) Ex cod. Mſ. Melli. laudato.

Item

Annus Christi 1454.

Item quod hic in Francofordia ante dissolutionem congregationis fiat inscriptio, ac taxatio hujus exercitus. Item quod hujusmodi inscriptio, & taxatio exercitus mittatur sine mora ad invictissimum dominum imperatorem, qui mox universos imperii principes ecclesiasticos, & seculares comites, barones, nobiles, ac civitates ad executionem talis inscriptionis, ac taxationis, debitis modis requirat, & compellat. Item quod pro executione facienda hujus exercitus comparandi, transmittendi, aliqui ex electoribus, & aliis principibus ad imperialem Majestatem personaliter se conferant, ita, quod in festo purificationis beatæ Virginis Mariæ proxime futuro in nova civitate Austriæ constituantur. Item, quod principes electores, qui personaliter non iverint, similiter & aliquæ civitates suos solennes oratores, pleno mandato suffultos, ad prosecutionem earundem rerum dicta die ad præsentiam cæsareæ Majestatis transmittant.

Item, quod ante dictus rex Hungariæ, ac Bohemiæ, si ad præfatum diem similiter personaliter cum cæsarea sublimitate convenire non potuerit, saltem magnificos dominos Hungariæ, & Bohemiæ gubernatores, cum pleno mandato ad præsentiam cæsaris transmittat; cum quibus de ordine dando, ad prosecutionem contra Turcos faciendam plene concordetur. Item quod illustris dominus, dominus dux Burgundiæ similiter ad prædictum diem suos legatos cum pleno mandato in curia cæsareæ Majestatis habeat. Item, quod sanctissimo domino nostro papæ supplicetur, ut medio tempore operas suas efficaces cum serenissimo rege Arragonum, cum magnificis communitatibus Venetorum, & Januensium, cumque aliis Italiæ principibus, ac civitatibus interponat, ut navalis ponatur exercitus, qui per mare eodem tempore Turcos in Græcia, & in Asia vexare possit, quo terrestres copiæ imperatoris, & Hungarorum, Bohemorum, & aliorum ex alia parte Turcos invadent. Item, quod præfatus sanctissimus dominus noster in prædicto die purificationis, habeat legatum suum in curia imperiali cum pleno mandato ad prosecutionem rerum prædictarum faciendam. Item, quod idem sanctissimus dominus noster exhortetur serenissimos Francorum, & alios reges, ut & ipsi ad hoc tam pium opus concurrere velint. Item, quod unus capitaneus ad tantam rem idoneus eligatur, qui exercitum imperialem sub vexillo crucis ecclesiæ, & imperii conducat, & regat. Item quod treugæ benevolæ authoritate imperiali sub gravissimis, & formidabilibus pœnis per totum imperium inducantur, & instituantur in opportunis locis earum conservatores cum plena potestate. Item, quod sanctissimus dominus noster papa, & invictissimus imperator, cum ceteris regibus, & principibus Christianitatis operas suas efficaces adhibeant, ut congregatio omnium nationum fiat, inibi generale passagium contra hostes fidei nostræ instituatur, ut si, quod absit, aliquid sinistri exercitui, qui jam mittendus est, accideret, ut opportuno tempore validum passagium ad tutelam Christianitatis, & infidelium exterminationem præsto sit. Item, quod Majestas imperialis, omnibus, & singulis ad hunc exercitum ituris, ea privilegia, easque libertates concedat, de quibus in Ratisbonensi diæta avisatum est, &, cum de generali passagio agetur, juxta modum Ratisbonæ præconceptum procedatur. Item, quia scriptum est: orante Moyse vincebat populus, & eo cessante cessabat victoria: pontifices ecclesiarum, durante hujusmodi expeditione, populis sibi subjectis jejunia, orationes, processiones, & alia pietatis opera indicant.

Interea novæ in Hungaria turbæ ortæ: earum origo.

Dum exteri collatis ita studiis Hungariæ adversum barbaros cavent, obortæ domi, cum minime oportebat, factiones regnum novis turbis, tricisque implicabant. Optimates haud pauci longæ dominationis, quam rex Hunyiadi confirmaverat, pertæsi, suo arbitratu, collegium, quod ex sex proceribus, totidemque baronibus, ac nobilibus conflatum erat, gubernatori adjunxerant, ad speciem, ut laborum mole Joannem liberarent, re autem ipsa, ut ne unius auctoritate respublica administraretur. Tum Giscram clanculum admonuerant, ut res novas moliri pergeret, quo curas Hunyiadis sive augerent, sive invidiam apud regem consciscerent. Ad hæc Teutonum quidam, cui Nankenreutero nomen, latrocinia ad Bohemorum normam agere, & ditiones Austriæ finitimas infestare cœpit. Neque nulla erat suspicio, hominem exigui alioquin census, ac nominis, paucorum Hungarorum, quibus cum Hunyiade æmulatio intercesserat, ad-

Annus Christi 1454. adhortatione, & studio huc intemperiarum evasisse. Quæ cum difficilem inprimis gubernatori provinciam efficerent, & bello, quod in Turcos commune futurum erat, moras objectura videbantur, regem de illis singilatim per litteras edocuit, obtestatus, ut malo tempestive caveret. Ladislaus, qui tum reipublicæ causa Pragæ erat, ut per Eyczingerum, qui comiti Ciliæ interea conciliatus pristinum apud regem gratiæ locum occupavit, de omnibus edoctus erat, quid sibi de re videretur, Hunyiadi ita rescripsit. (1)

Ladislaus rex Gubernatori regni Hungariæ.

Regis propterea litteræ ad Hunyiadem.

„ Spectabilis, ac magnifice fidelis noster, grate, & sincere dilecte! Quemadmodum tua fidelitas, nobilibus, & egregiis fidelibus nostris, dilectis, Ulrico Eyczinger, Pancratio de Plankenstein consiliariis nostris, & Georgio Doczner hubarum nostrarum magistro in Austria, super aliquibus, & certis notabilibus negotiis, nos, & regnum nostrum Hungariæ concernentibus fecit notificationem; ita ipsi consiliarii nostri id ipsum in nostræ serenitatis notitiam deduxerunt, & ipsa nos negotia sano collegimus intellectu. Et sicuti tua fidelitas inter alia scribit, quomodo prælati, barones, & nobiles regnicolæ regni nostri Hungariæ, decem & octo, sex ex prælatis, sex ex baronibus, & sex ex nobilibus ejusdem regni, pro regimine ejusdem regni nostri Hungariæ deputassent, ut tua fidelitas neque sub gubernatoris, sed neque capitis titulo, sed solum tantum, ut alter inhabitator hujusmodi regni nostri Hungariæ existere debeat. Unde non ambigimus, quod fidelibus nomen tuæ memoriæ non sit exosum, quando nos præsente prælatorum, baronum, & nobilium regni nostri jam facti Hungariæ multitudine copiosa, in civitate nostra Viennensi, & etiam ex post hic Pragæ in præsentia consiliariorum nostrorum, ipsum regimen, ac etiam omnia proventuum, & utilitatum ejusdem regni nostri Hungariæ levationem, & perceptionem tuæ fidelitati commisimus, quæ omnia sic prudenter, atque fideliter gerere, facere, regere, exercere, ac tenere, & expedire, nec non nostri regni honorem, utilitatem, & commodum in ipso regno nostro Hungariæ, & aliis locis secundum totam tuam possibilitatem attollere, & promovere spopondisti, ac promisisti. Si vero pro nunc decem, & octo, & modo pro regimento ante dicti regni nostri Hungariæ, prout præmittitur, deputati, & constituti existerent, idipsum absque fama, & commissione nostri factum est. Ubi autem tua fidelitas decem & octo, plures, aut minores numero, tanquam nostri capitis, ipsius regni nostri Hungariæ ipso tempore absentiæ nostræ pro consilio & auxilio, sub illo respectu, & consideratione, sicuti a nobis recessisti, regimen illud recturus, & pro omni statu meliori directurus, pro te, & subsidio tuo recepisses, vel assumsisses, vel reciperes, aut assumeres de præsenti, id tuæ fidelitati non imputaremus, & pro signo voluntatis nostræ serenitatis existit, quod tu ipsum capitaneatum in omni eo ordine, modificatione, & limitatione, sicut tibi commisimus, & deputavimus, ac te ipsum ad ipsius expeditionem, & regimentum benevolum reddidisti, & obligatum, fideliter & diligenter teneas, exerceas, & prosequaris.

„ Præterea non ambigimus, quin bene memor existas, quantis gratiis, honoribus, & bonis, atque donis tua fidelitas, & filii, & hæredes tui consolati per nostram Majestatem exaltati. - - - Nihilominus esses nobis obligatus, si aliquis præter nostram voluntatem, & sententiam rectorium regimen, vel aliquam potestatem in regno nostro Hungariæ assumere attentaret, tali in eo nullatenus consentires, neque ipsum in talibus admitteres, quin veritus existeres pro viribus in talibus, sicuti facultatem ad id haberes. Porro in facto Joannis Gisceræ requirimus, & petimus tuam fidelitatem, ut factum ipsum ita prosequaris, sicut tibi per fidelem nostrum Joannem Lemel intimavimus, ita, & taliter, ut

(1) Ex Cod. Mss. Mellic. laudato: sed erronee prorsus descripta, correxi, ut sententia sib. constaret.

„ ut nobis, & ipsi regno Hungariæ damna, & incommoda non eveniant. Etiam „ ex parte ipsius Nankenreuter videtur serenitati nostræ ipso regno nostro Hungariæ eidem bene resisti posse, cum ipse Nankenreuter non plures in equitatibus, & expeditionibus habeat, quam XVI. (1), secundum quod serenitas „ nostra existit informata, & in ea re optans a tua fidelitate, quod tu cum tota tua diligentia, ac tota, & totius præfati regni nostri Hungariæ potentia id „ facias, quo mediante ipsius Nankenreuter voluntas & malignitas subito intercipiatur, immo reprimatur, quoniam in præsentiarum tam arduis negotiis regni nostri Bohemiæ, & ceterorum nostrorum regnorum ita præpediti, & multipliciter occupati sumus, quod de istis regnis nostris, & abinde tam subito „ nostram regiam adjicere non possumus defensionem: ubi autem aliquis alter „ fortior, & potentior secum pro ipsius fortificatione ingerere, & interponere „ vellet, ex tunc sumus omnino voluntarii, pro debita resistentia facienda, tamquam rex Hungariæ, qui non libenter temporibus suis destructionem, & incommoda ipsius regni intueri vellet. Ubi autem scribis de negotio inter dominum nostrum avunculum, dominum imperatorem Romanorum, ad nos habito, requirimus fidelitatem tuam, ut cum prælatis, & baronibus, & regnicolis nostri regni Hungariæ, ac etiam consiliariis ducatus nostri Austriæ cogites, „ provideas, & quoque concipias, qualiter ipsum negotium in bonum finem, & „ quietem se dari, & dissipari valeat. Præterea ex parte illorum trium millium florenorum auri, pro expeditione itineris, & negotiorum serenitatis nostræ versus Poloniam, ac illorum quinque millium florenorum auri, quæ illis „ stipendiariis, qui in terra nostra Scepusiensi servierunt, exbursari, & exsolvi, „ & administrari debuissent, confidimus tuæ fidelitati omnino, bene, & plene, „ quod eadem sine dilatione administrabis rectoribus ducatus nostri Austriæ, secundum quod tu te erga nos obtulisti, & etiam promisisti. Nos etiam speramus, quod tua fidelitas expediat, secundum quod plenam in te habemus confidentiam, quod volumus erga te generose recognoscere, & in omni bono refundere quovis tempore. Datum Pragæ anno Domini MCCCCLIV. „

Annus Christi 1454.

Quis Nankenreuterus fuerit, ex Austriane, an Stiria infesta in Hungariam signa inferre sit solitus, quibus præterea copiis instructus, fateor in tanto nostrorum scriptorum silentio incompertum mihi esse. Ceterum illud constat; Hunyiadem, qui videret, quantopere inimicitiæ inter Fridericum, & Ladislaum obortæ suscipiendo in Turcos bello incommodaturæ essent, pacem, a qua prius regni causa abhorrere videbatur, impensa opera conciliare voluisse, ne cœptum hactenus negotium in futuro Neostadii conventu aut adhæreret, aut ingenti Hungariæ malo discuteretur.

Ladislaus ab Silesiæ Principibus fidei Sacramentum accipit.

Ladislaus constitutis Pragæ legatis, qui Neostadiensi conventui interessent, Vratislaviam invisit, ut fidei sacramentum ab civibus, & principibus Silesiæ clientelari jure sibi obnoxiis acciperet. Venienti urbis episcopus cum clero, tum Henricus Glogoviæ Majoris, Nicolaus Opoliæ, Wensceslaus Ratiboriæ, & Ernestus Oppaviæ duces, cum Olsnicensi, & Saganensi obviam profecti, regem, qui in comitatu suo præter Wilhelmum & Ottonem Bavariæ duces, Albertum ac Fridericum Brandeburgiæ marchiones, multos ex Hungaria, & Bohemia proceres habuerat, ex more gentis salutatum Vratislaviam induxere. Postridie, ubi rex sacris pro more interfuisset, erecto prope forum salarium suggesto, consul cum senatu, ac fiduciarii principes Ladislao jus jurandum dixerant. (2) Tum de rationibus consultatum, quibus belli Turcici impendia, nam ærarium regium incuria præfectorum vehementer attenuatum erat, augeri possent. Clerus, a quo mediam fructuum, qui ex beneficiis obveniunt, partem flagitabat, magnopere obnitebatur, civibus viritim indictum, ut grossum Bohemici moduli penderent, ex

(1) Huic loco aliquid deesse planum est. Crediderim XVI. millia in armis fuisse: alioquin quid opus erat totam, ut epistola habet, regni potentiam adversus Nankenreuterum educi.

(2) Annal. Siles. Henelii.

Annus Christi 1455.

ex quibus haud temnenda æris summa conflata, Viennam in principio sequentis anni discessum est. Quod tempus Neostadiensi conventui præstitutum haud longe abesset.

In Neostadiensi conventu frustra de bello in Turcos agitur.

Jam principes plerique, aut eorum legati in eam urbem convenerant, ut ex norma Francofordiæ præscripta de bello adversum Turcos suscipiendo communibus consiliis agerent. Adfuere præter Albertum Marchionem Brandeburgensem, Jacobus Trevirensis, multique ex Hungaria præsules, ac proceres auxilia petituri: Pontificis nomine Joannes Tullensis episcopus, pro Alfonso Arragone Michael Pitius; ac unus instar omnium Joannes a Capistrano, fama sanctimoniæ clarus, qui cælesti inflammatus studio, universos accendere, & concitare in Turcos nitebatur. Sed tam pulchris initiis exitus boc quidem anno minime respondit. Nam cum de rebus maximis, serioque agendum esset, repente inter legatos de primo loco oborta altercatio est, quæ omne suscipiendi belli negotium fere discusserat, ut Æneas datis ad cardinalem S. Angeli litteris in hæc verba queritur. (1) *In nova Civitate anno MCCCCLV. in conventu coram cæsare, cum principes, & legati, qui aderant, ad rem incboandam vocarentur, primum contentio orta est de præsidentia. Trevirensis archiepiscopus primum a dextris cæsaris locum volebat; & post eum alii electorum legati: episcopus papæ legatus primum locum sibi deberi ajebat, & orator Alfonsi regis supra oratores electorum. Ibi commemoratum est; in curia Romana debitum bonorem non esse Germanis datum, quando & vicecancellarius ante Romanorum regem sedere sit ausus, & regi Hungariæ, cui inter reges quartus est locus, sit locus ultimus inter cardinales datus, & ipsi electores nequaquam inter cardinales accepti.* Composita deinde cæsaris judicio altercatione, cum de belli rationibus agi cœptum esset, plerique legatorum præter pollicitationes nihil attulere, ut rursum Æneas scribit. (2) *Orator*, inquit, *Alfonsi regis asseruit regem suum ad id bellum promtissimum esse, jamque classem habere paratam. Trevirensis, & aliorum oratores se plenius consulturos & demum ea facturos, quæ veros christianos decerent; affirmarunt Burgundi, quod alias promiserunt, ducem scilicet suum in propria persona pro Christo militaturum. Civitatum postea legati admissi, omnia se facturos promisere, & numero XXIV. fuere, & pro aliis quoque mandatum habuerunt.* Rebus in hunc modum hærentibus mors Nicolai pontificis intervenerat, cujus fama, cum per ceteros nuncios firmata esset, conventum penitus dissolvit.

Hungari ab cæsare suppetias adversus barbaros flagitant.

Quamquam plus dissidia principum, quam mors Nicolai rebus christianorum obsuisse videri possint. Cum enim Hungari, comperto Mahumetem ingentes ubique militum delectus habere, Fridericum per nuncios, & litteras crebro convenissent, orassentque, ut tam propinquo periculo subsidiarias copias sua auctoritate cogeret, quibus barbarorum furor eo usque comprimi possit, quoad exercitus ex universa Europa conflaretur, Æneas nomine cæsaris causas satis aperte Hungariæ optimatibus in hæc verba scribens explicat.

Friderici responsa.

(3) *Optasset sacra Majestas imperatoria Reverendissimi patres, ac magnifici proceres regni Hungariæ, quæ Francofordiæ conclusa, & conscripta fuerunt, executioni boc in loco, ut institutum erat, potuisse mandari, sic enim & impetus bostium nostræ religionis compesci & respublica christiana, quæ nimium nostro ævo lacerata est, vires resumere potuisset. Sed intelligit circumspectio vestra, eo deductas res esse, ut bac æstate juxta edictum exercitus baberi non queat. Namque cum vocandi sint milites ex longinquis partibus, etiam ultra Rbenum, prius abeat æstas, quam copiæ congregari, atque instrui valeant. Exinde cum omnium judicio necessarium putetur, pro felici exitu rerum simul & navalem exercitum contra Turcos armari, manifestum est, quod in vanum terrestres copiæ bac æstate congregarentur, tum quod propter obitum Romani pontificis certitudo classis Italicæ, quæ concurrat, baberi non possit, nec rursus tempore biemis educendus videtur exercitus, tum quia castra metari pruina rigente durissimum est, tum quia nautæ impedientibus tempestatibus altum petere pelagus, & se ventis credere non audent. Cernitis tertio aliam difficultatem propter differentias, quæ in di-*

versis

(1) Epist. 43. ad card. extat. in Ms. (2) Ibid.
(3) Ex cod. Ms. Mellic. num. 13. fol. 211.

versis partibus Alemanniæ vigent, qui bus durantibus perdifficile est, exercitum educi. Neque enim, quemadmadum sperabatur, & optandum fuerat, Germaniæ partes pacatæ sunt. Oportet igitur, si contra Turcos bellum gerere volumus, in aliud tempus idoneum, ac possibile negotia proferre. Annus Christi 1455. *Habita igitur exacta consideratione, rebusque diligenter pensatis, ad petitionem vestram, quam nunc repetere supervacaneum esset, hoc modo respondet cæsarea sublimitas: quæ Francofordiæ pro communi utilitate populi christiani avisata, conscripta, & conclusa sunt, intendit gloriosissimus imperator, quoad fieri possit, executioni mandare. Et quoniam, ut ante dictum est, hac æstate, & sequenti hieme, neque feliciter, neque utiliter exercitus educeretur, conabitur sua mansuetudo, ut copiæ, quæ hoc tempore congregari, atque emitti debent in festo Ascensionis dominicæ, quod ex proximo festo debent ad annum immediate futurum esse in partibus Hungariæ circa Savum fluvium, quo Danubio miscetur, exinde sine dilatione paratæ, & instructæ contra Turcos profecturæ. Quæ res ut commode & fructuose geri possit, duo necessaria requirit: primum est, ut sit pax in Alemannia, alterum, ut de maritima magna & valida classe, indubitata notitia habeatur. Quantum ad pacem attinet, necessarium est inter imperatoriam Majestatem, & serenissimum Hungariæ, & Bohemiæ regem, compositis omnibus differentiis, & amputatis litibus, bonam, & certam intelligentiam esse. Ad quam rem perficiendam in cæsare nihil deerit; nam, qui patrueli suo, & tanquam filio charissimo est affectus, libenti animo cum eo se se intelliget, & facile unius erit cum eo voluntatis, cum quo est unius sanguinis. Præterea contentio quædam, neque parva, neque contemnenda esse dignoscitur inter duas illas florentissimas, ac bellicosissimas gentes Bohemos scilicet & Saxones, qui nisi simul componantur, totam Germaniam commoverent, & opus hoc sanctum, quod quæritur defendendæ catholicæ fidei, penitus impedirent. Est igitur adnitendum, ut hujusmodi controversiæ de medio tollantur, etsi fieri possit hoc loco cum partes adsint pleno mandato fulcitæ. Expedit enim controversias inter & serenissimum regem vestrum & illustrissimum ducem Burgundiæ, super ducatu Lucelburg, similiter & contentiones illas super ecclesia Monastellensi, nec non inter dominum Colonensem, & inter civitatem ejus Lusatensem, & alias circa Rhenum pendentes amovere, & in ceteris Alemanniæ partibus, quibuscunque litibus finem imponere: illis præsertim, quæ ad exercitum conficiendum impedimento esse possunt. Eam ob causam decrevit Majestas imperatoria sub gravissimis & formidabilibus pœnis, quemadmodum Francofordiæ conclusum est, pacem biennalem per totum imperium in partibus Germaniæ, & Galliæ servandam mandare, & in locis opportunis ejus conservatores instituere, cum plena potestate coercendi eos, qui violatores quoquo modo reperiantur. Ubi autem majores contentiones fuerint, sive per se, sive per legatos, & alios modos opportunos illas sopire conabitur. Mandabit principibus, & civitatibus imperio sacro subjectis, ut ad diem prædictum ascensionis Domini ad annum Milites sibi conscriptos, paratos, atque instructos habeant in loco prænominato. Et casu quo sua Majestas personaliter ad exercitum ire non possit, eligetur belli dux, sive, ut dicimus, supremus capitaneus, princeps aliquis expertus rei militaris, & tantis rebus idoneus, & ut exercitus, super quo Francofordiæ decretum est, numerosior, & fortior haberi possit, serenissimos ac potentissimos Franciæ, & Angliæ reges, ut & ipsi ad tam sanctum opus concurrere velint, convenientibus modis adhortabitur, & sperandum est, quod omnes volenti animo ad rem tam piam, & necessariam manus apponent. Nam qui præstare auxilia hoc tempore contra Turcos negaverit, infidelitatis procul dubio, & inimicorum crucis Christi fautorem se declaravit. Quantum vero ad classem Italicam pertinet, est propositum cæsareæ sublimitatis, mittere oratores suos ad novum Romanum præsulem, quem jam electum putat esse: similiter & ad serenissimum Arragoniæ regem, fratrem, & affinem suum charissimum; nec non ad illustres Venetiarum, Januæ, & Mutinæ duces, ad magnificum comitem Franciscum, ad Florentinos, Senenses, & ad ceteros Italiæ potentatus, omnemque operam adhibere, ut classis Italica magnifica, & potens eo tempore in Hellespontum, sive, ut vulgo dicimus, brachium sancti Georgii, aut strictum Callipolis ingrediatur, Turcos invasura, quo terrestres copiæ eosdem hostes aggredientur.*

Annus Christi 1455.

Quæ cum ita per gloriosissimum imperatorem nostrum gerenda sint, restat, quod serenissimus rex vester, ex regnis, atque dominiis suis, simili modo se disponat, tueatur se medio tempore, quantum fieri potest, ab invasione Turcorum, pacem, sive treugam cum eis non amplectatur, quæ ordinationi prædictæ nocere possit. Congreget & ipse suum exercitum, juxta tractatum Francofordiæ habitum, copiosum, & potentem, qui cum Teutonicis concurrat; mittat suos oratores ad promovendam Italiæ classem, mittat ad reges, & principes, atque auxilium postulet, transitum præbeat per dominia sua iter habentibus securum, & quietum, mercatum rerum, quæ ad victum sunt, æquo precio faciat, super monetis recipiendis, ne qui graventur, provideat, & reliqua faciat, quæ ad bellum contra Turcos gerendum suæ serenitati incumbunt. Hoc pacto, si faverit, ut credibile est, divina pietas, & regnum vestrum magnifice defendi, & honor christiani nominis salvari, & ecclesiæ catholicæ status ad pristinum decus reduci poterit. Datum in nova civitate Die XXIII. Aprilis MCCCCLV.

Lis inter Hungariæ regem, & Burgundiæ ducem composita.

Quid litium, quarum Æneas meminit, Ladislao cum Philippo Burgundiæ duce intercesserit, non ita pronum est conjecturam capere: nisi illud fortasse sit, quod jus in ducatum Lucelburgensem, & provinciam Cziniensem inde ab Joanne, & Carolo, ad Bohemiæ reges attinens, ab Philippo in controversiam vocatum fuerit. Nam scriptores eorum temporum diserte perhibent, Ladislaum eas ditiones, extinctis hæredibus, jure hæreditario repetiisse, cum Burgundus ex adverso jure pignoris easdem invaderet: fuisseque causam utrinque calamo primum, tum ferro agitatam, quoad archi-episcopi Trevirensis studio induciæ inter utrumque conciliatæ essent, & arbitrium Ludovico comiti palatino delatum. Bohemorum autem cum Saxonibus dissidia, quorum ab Ænea itidem mentio injecta est, suo postea loco memorare non omittemus. (1)

Callistus pontifex, qui Nicolao successerat, voto se obstringens.

Ceterum studia principum christianorum, quæ intestinis factionibus tantisper refrixisse memoratum est, Callistus hujus nominis pontifex tertius, XII. calendas apriles Nicolao subrogatus, edito ad defensionem christianæ religionis adversum barbaros voto mirifice iterum excitavit. Voti formulam in hæc verba conceptam Cochlæus prodidit: (2) *Ego Callistus Papa III. promitto, & voveo Sanctissimæ Trinitati, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Dei Genitrici semper virgini, SS. Apostolis Petro, & Paulo, totique curiæ cælesti, quod etiam ad effusionem sanguinis proprii, si opus fuerit, dabo operam, & adhibebo omnimodam diligentiam, quantum potero, juxta consilium venerabilium fratrum meorum pro recuperatione civitatis Constantinopolitanæ, quæ heu! peccatis hominum exigentibus, nostris temporibus occupata, & eversa est per JEsu Christi crucifixi Salvatoris inimicum, filium diaboli Mahometum, & Turcorum dominum: pro liberatione deinde captivorum christianorum, nec non ad exaltationem fidei orthodoxæ, ad exterminationem diabolicæ sectæ reprobi, perfidique Mahometi in partibus Orientalibus, ubi maxime lumen fidei occubuit. Quod si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea, & adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, & si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta evangelia.*

Europæ principes ad bellum Turcicum stimulat.

Neque segnius, quam facturum se receperat, ad rem ipsam aggressus est. Non enim legatos solum in Galliam, & Hungariam, ceterasque Europæ partes, sed in Scythiam quoque, & Persidem misit, qui christianos per Orientem in fide continerent, ac ad arma in Turcos sumenda accenderent. Tum edito ad universos Europæ, ac imperii præcipue principes diplomate, singulos paterne admonuit, ut quas in conventu Francofordiensi copias essent polliciti, si hoc anno nequirent, certe futuro Martio adversum barbaros educerent, quo periclitanti Hungariæ, & in hac omnibus christianis opitularentur. Ad Hungaros autem in primis crebros cum litteris nuncios legarat, qui eorum animos, si ab imminentis periculi magnitudine consternati essent, ad spem acquirendarum suppetiarum erigerent, ac in pio suscipiendi contra barbaros belli studio confirmarent. (3)

(1) BOHUSL. BALBINUS. Epit. rer. Bohem. Lib. V. Cap. III.

(2) Hist. Hussit. Lib. XI.

(3) ÆNEAS SYLVIUS Hist. Europ. cap. 58.

LIBER

Annus Christi 1455.

LIBER III.

Fuere tum res in Hungaria metum inter ac spem fere mediæ, quod hinc christianorum principum adhortatione sustentarentur, illinc a Mahometi ferocia extremum discrimen regno suo imminere prius timerent, quam subsidia tempori adessent. Turci enim clade anni superioris, quam ab Hunyiade, intercepto eorum duce, acceperant, nihil territi, rursus cum validissimo exercitu Rasciam ingressi, expugnatis pene omnibus oppidis, vastatisque finitimis provinciis, in Hungariam profectionem adornare ferebantur. Ea re exciti Jaurinum optimates de propulsando periculo consultabant. Intererat conventui Joannes quoque a Capistrano, qui, quid isthic actum sit, & quo loco res in Hungaria constitutæ essent, pontificem per epistolam in hunc modum certiorem reddidit. (1)

Hungari comperta pontificis mente de propulsando periculo consultant.

Sanctissimo Domino Callisto III.

„ Beatissime pater! ad sanctorum pedum humiliter osculanda vestigia provolutus. Licet superioribus diebus ad Sanctitatem vestram binas dederim litteras, non tamen prætereibo, cum facultas tabellariorum se offerat, quin ad Beatitudinem tuam scribam, ea præsertim quæ & Dei, & tuæ Sanctitatis honorem concernere sensero.

De quibus Capistranus papam edocet.

„ Venerunt nuper huc ad me duo a sede Apostolica nuncii, unus Rudolfus nomine, reverendissimi domini Januensis familiaris, litteras deferens a Sanctitate tua: alter vero capellectus, cursor reverendi domini Firmiani, ut asserit, a sacro collegio reverendissimorum D D. cardinalium litteras habens enunciantes electionem Spiritus Sancti, quia scilicet divina dispositio te pater sanctissime elegerit in verum Christi vicarium pro sancta fide catholica, non tantum conservanda, verum & adaugenda. Hic enim cum major pars baronum incliti regni Hungariæ congregata esset pro communi concordia inter eos componenda, intuentes litteras hujusmodi, maximo repleti sunt gaudio, & lætitia, huic divinæ voluntati congratulantes vehementer. Verum non fine invidia fuit, & murmure, quod in cœtu tantorum dominorum, aliquibus minoribus ex parte tuæ Sanctitatis præsentatæ sint litteræ, & potissimis fere ejusdem regni datæ non sint, episcopo scilicet Quinqueecclesiensi, episcopo Varadiensi, & quibusdam dignioribus regni baronibus. Huic autem rei facile pro arbitrio Sanctitatis tuæ provideri poterit.

„ Deinde Sanctitati tuæ dolens significo, quod hodie festinavit tabellarius specialis ad hoc directus ad Despotum Rasciæ, qui hic cum his dominis, & baronibus anhelat ab eis subsidium, & defensionem domini sui; denuncians ipsi Despoto, & baronibus nefandissimum nominis Christi hostem Mahomet Turcorum imperatorem, occupasse potissimam Rasciæ civitatem Hobordam nomine, ubi auri, & argenti fodina est, quæ domino suo annuatim, ut ferunt, centum & viginti millia ducatorum reddebat: ceteras vero civitates, & oppida omnia ad disterminium esse vallata. Terret omnes beatissime pater! tantorum flagitiorum, commissorumque scelerum, &, quod avertat divina pietas, indies magis patrandorum solus quidem auditus; & non frustra dubitatur, quod, si de remedio opportuno cito non provideatur, res in pejorem exitum evadat. Quare beatissime pater! cum tibi a Deo data sit potestas, quemadmodum sancte instituisti, prosequere, ut sancta fides catholica effectu fortiatur conservationem, & augmentum. Certum equidem habeo, quod non ad aliud te Deus servavit in hoc tempus provehendum, nisi ut tu necessario tempore parta conserves, deperdita restaures, & male se habentia membra ad integrum corpus tua virtute, & cura redigantur.

V 3 Scri-

(1) Wadingus annal. ord. min.

Annus Christi 1455.

„ Scripseram pridie tuæ Sanctitati, quod serenissimum regem Arragonum „ spiritualibua, ac temporalibus armis ornares, & quamvis excellenter potens „ existat, adhuc tua Sanctitas potentiorem efficeret. Opus quidem esse puto, „ ac nimis opportunum, ut ne tum per mare, sed etiam per terram, huic per- „ fido Christi hosti & resistatur viriliter, & fortius confligatur. Cum enim hac „ die colloquium cum istis dominis prælatis, & baronibus habuissem, magnificus, „ & excellens dominus Joannes hactenus gubernator, comes Bistricensis, se pri- „ mum obtulit suis sumptibus & expensis positurum in armis, & in exercitu de- „ cem millia equitum, suo arbitrio electorum: dixit insuper, quod serenissimus „ dominus rex Ladislaus pro toto residuo regni Hungariæ parabat viginti millia. „ Despotus autem Rasciæ, quamvis valde damnificatus sit, obtulit se paraturum „ decem millia, licet in sua fide perduret: incumbit tamen nobis, periculis no- „ stris salubrius consulere, & de opportuno remedio providere. Processit ma- „ gnificus dominus Joannes ad ulteriora colloquia, dicens: quod si sanctissimus „ dominus noster papa mitteret sibi viginti millia equitum, & serenissimus rex „ Arragonum decem millia, & aliæ civitates Italiæ decem millia, cum dux Bur- „ gundiæ se offerat, venturum cum decem millibus equitum, & decem milli- „ bus peditum, & sic omnibus computatis essent centum millia, confidit ipse „ Joannes, intra tres menses tantum conflictum contra Turcum inferre, quod in „ Europa locus non erit, ubi reclinare valeat caput, maxime, cum ipse ad „ unguem cognoscat potentiam Turcorum, ceterorumque infidelium, ac medul- „ litus intelligat cum hujusmodi rationem bellandi. Proinde in præsentia om- „ nium istorum dominorum, & baronum hæc asseruit hodie, quod cum tanto „ numero armatorum speraret etiam recuperare Hierosolimam, nec peteret sti- „ pendia pro prædictis equitibus, nisi pro tribus mensibus. Expediret equidem, „ quod Sanctitas tua aliquem cardinalem destinaret ad partes istas, tanquam præ- „ sidentem tali exercitui cum sufficienti pecuniarum summa, vel si tuæ Sanctitati „ rem hanc committere videatur reverendissimo domino cardinali Strigoniensi, „ cum virtute, providentia, & consilio plurimum valeat, bene, ut reor, con- „ sultum esset. Obtulit insuper se ipse Joannes, si omnino bellatores sint, non „ pueri, sed viri strenui, & in armis experti, ad persequendum Christi hostes „ idonei, per annum, & annos, si opus esset, cum tali exercitu perseverare, „ nec alia stipendia requirere confidens, quod de bonis, & dominiis ipsius Tur- „ cæ conquireret, quod talem exercitum etiam ejusdem Turcæ stipendiis abun- „ dantius communiret. Tali igitur modo serenissimum regem Arragonum per „ mare, decertando, & ipsum Joannem per terram, firma spes esse posset, & „ recuperandi deperdita, & acquirendi dominium debitum principibua christianis, „ nec non & possidendi divitias infidelium cum ampla dilatatione sanctæ catho- „ licæ fidei Orthodoxæ, ad æternam gioriam, & immortalem tuæ Sanctita- „ tis nominis laudem, & memoriam sempiternam. Tua igitur Sanctitas beatis- „ sime pater, quid in his agendum sit, decernat: quam conservet altissimus ec- „ clesiæ suæ sanctæ, & populo christiano per tempora longiora, cui me, & or- „ dinem nostrum supplex commendo. Ex Jaurino oppido regni Hungariæ XXI „ Junii MCCCCLV. (1)

Regni proceres Budam coeuntes.

Hactenus Joannes a Capistrano: ipsi quoque regni proceres, postquam Jaurino Budam abiissent, ut propulsando periculo, si quod ingrueret, propinquiores essent, ad Callistum litteras dedere, quibus ei de obtenta primum dignitate gratulantur, tum miseram regni conditionem aperiunt, & spe, quam in conventu Neostadiensi habuerant, penitus rescissa, ex novis barbarorum victoriis, quas indies referrent, vicinum Hungariæ exitium instare his verbis significant. (2)

San-

(1) Subscriptio hæc erat: E. S. T. vermiculus, ac indignus servulus, licet fidelissimus orator Fr. Joannes de Capistrano.

(2) Idem WADING. ibid.

Sanctissimo Domino nostro Callisto III.

Annus Christi 1456.

de eadem re ad Calistum scribunt.

„ Beatissime pater! post humilem nostri commendationem ad oscula pedum beatorum. Concusso terroribus infidelium orbe nostro, graviter ferendum ducebamus lugubrem hac tempestate, & insperatum obitum sanctissimi felicis memoriæ domini Nicolai papæ V. qui videlicet magnam suæ probitatis opinionem illis potissimum indiciis palam omnibus commendabat, quod in his pestilentis temporis frigoribus sancto suo Apostolico nomini curam pariter ac sollicitudinem Apostolici pastoris adjecerat. At nunc susceptis litteris Beatitudinis vestræ, ac simul reverendissimorum de sacro collegio, cum intellexissemus, quam pio Dei nostri judicio, & ipse prædecessor Sanctitatis vestræ quieverit, & ipsi vestra Sanctitas successerit, in consolationem versus est mœror noster, & luctus in gaudium. Æqua communis lætitiæ cunctis oborta est ratio, par studium, & conformis devotio incessit, ad gratias superinde auctori bonorum omnium peragendas, cujus clementis providentiæ factum percipimus, ut & prædecessor ipse reficeretur digne pro laboribus, & successor idoneus piis oneribus præficeretur. Obiit ille felicem mortem, hic pium laborem adiit, uterque puræ devotionis fidelium, puræ venerationis cultu prosequendus. Verum inter hæc eo respectu præcipue gratulamur nunc sanctæ Apostolicæ sedi, gratulamur & nobis, ac toti simul reipublicæ christianæ, cui opportuno recte tempore denunciatum, pontifex datus, sanctus, religiosus & pius, qui duplicato sanctissimi prædecessoris sui spiritu erectus, ad curam fidelium salutaria emittit vota, salutaria spondet obsequia. Significatum enim est nobis sanctissime pater compluribus scripturis, & litteris, quo pacto, & quo fervore Sanctitas vestra, inter ipsa sui pontificatus principia, se, & sua saluti fidelium devoverit, idque promiserit circa exaltationem catholicæ fidei, quid pro liberatione civitatis Constantinopolitanæ, nuper ab infidelibus captæ, & quid pariter intendat, pro eorundem infidelium ab Europa expulsione. Magna certe voti hujus dignitas, magna dignatio sic voventis. Hæc sunt signa vera, hæc clara indicia apostolico pastore digna, qui non ante nobis præesse cœpit, quam prodesse voluit: prædestinavit enim afflictis fidelibus aperta pietatis remedia, & in ipso simul vocationis suæ exordio miserationis suæ officia præsignavit. Restat ex dono domini, ut, quo vovente in iis rebus eodem & executore gaudeamus. Quantum autem nunc, & quam extreme præsidio Sanctitatis vestræ ærumnosa christianorum conditio indigeat, tametsi Beatitudinis vestræ attentionem non lateat, amplius tamen ex iis, quæ legatus Apostolicæ sedis ex conventu novæ civitatis novissime retulit, intelligere potest: ubi post damnum opportuni temporis, & spes deceptas, hoc solum actum est, ut hostis noster nihil actum lætaretur. Nescimus, quid charius vel deferri eidem, vel prærogari potuerit, quam ut hoc tempore christianorum potentatuum jactantia abutatur: simulacra sibi deinceps, non homines obviam armari putat. Accedit huc casus recens calamitatis christianæ, qui necessitati communi sublevandæ ampliorem causam adjicit. Hostis Turcus, mox ut didicit, perperam ivisse præconia de viribus, & armis christianorum commovendis, apparatus omnes tam concitatæ, quam coemptæ potentiæ, quos ad resistendum paraverat, contulit ad nocendum. Itaque invasit de novo ducatum Rasciæ in ea parte, quæ apud vulgum Scithrycza nominatur, ubi solito more prædæ, & rapinis vacans, demum opportunitate accepta, arcem, & oppidum Novaborda (1) appellatum, obsidione constrinxit: oppido primum facile capto, postea arce ipsa insultibus, & tormentis pulsata, paulo tardius potitus est. Misit deinde ad oppugnandas ceteras arces, paratque totum ducatum illum in deditionem accipere. Quæ res profecto, etsi forte relatione tam brevi parva videri

(1) Prior epistola *Hobordam* habet: putoque ob nominis similitudinem eandem urbem indicari. Sunt, qui Novogoram, quasi novum montem, aut arcem dici malint: censentque ab Despoto contra Turcos recens exstructam, quod illius postea nec nomen, nec vestigium apud geographos usquam repertum sit.

Annus Christi 1455.

„ deri possit, grande tamen re vera vulnus ex ea suscepimus. Hæc erat arx
„ caput illius patriæ; hæc certe patria nutrix & robur status ducalis in Rascia,
„ solo fertilis, fructibus copiosa, minerarum auri, & argenti quam maxime fe-
„ rax. Noverat hostis ipse præcipuum illum durantis defensionis nostræ nervum,
„ noverat & suæ impugnationis contrarium obicem, quem callide cognitum mox
„ præcidere, & cassare properavit. Is igitur casus priorum cumulo appositus,
„ quid, quantumve a Sanctitatis vestræ pectore commiserationis exigat, eidem
„ æstimandum relinquimus, quæ religiosi, & paterni cordis sui judicio prius fle-
„ cti cœpit ad pietatis commercia, quam rogari. In hoc duntaxat Beatitudinis
„ vestræ sollicitudinem cum filiali confidentia admonentes, ut in persecutione vo-
„ ti sui salutiferi, opportunitatem concessi adhuc temporis non negligat; neve
„ opinetur, fortificato latius hoste, similem præsenti commoditatem exurgendi
„ redituram. Nam sicut nemo est apud nos modo, qui Europam adhuc libe-
„ rari posse non judicet, ita post paululum nemo futurus est, qui judicet. Nos
„ interim solita constantia, quantum nobis erit possibile, parabimus vires ad con-
„ servationem nostram, deliberamusque Sanctitatis vestræ beneficia etiam cum
„ damnosa mora nostra expectare. Habemus inter has expectationis angustias
„ confortatorem idoneum, venerabilem fratrem, Joannem de Capistrano ordinis
„ Minorum, qui peragratis multis partibus Alemanniæ adierat Poloniam, inde
„ per Silesiam, ac Moraviam iterato regressus in Austriam concessit, tandem ad
„ has partes, clarus ubique in fidei zelo, clarus in doctrina, apud nos vero
„ pro conditione rerum nostrarum, exhortationibus necessariis clarissimus. Hu-
„ jus sermonibus recreamur, hujus devotione reficimur, hujus denique merito
„ familiam totam ordinis illius hactenus nobis charam, de cetero chariorem am-
„ plectimur. Utilis est, statui nostro, opportunus spei, & nec minus gerendis
„ rebus, quam maxime necessarius. Hunc sua virtute Sanctitatis vestræ favo-
„ re dignum, nos lingulari testimonio denunciamus digniorem, in eoque, & cum
„ eo totam familiam, quoad omnem ejus profectum Beatitudinis vestræ devotis-
„ sime commendamus. Quam dominus conservare dignetur feliciter consola-
„ tioni nostræ, & regimini prospero ecclesiæ suæ sanctæ. Datum Budæ XXI
„ Julii MCCCCLV. (1)

Turcii in Rasciam irrumpunt.

Non de nihilo fuisse optimatum querelas in conventum Neostadiensem, in quo spe sua se frustratos indicant, ex eventu patuit. Re enim vera Mahometus, qui intellecto totius Europæ armorum apparatu, se, suasque copias Adrianopoli continuit, propulsando magis, quam inserendo bello intentus, postquam comperisset, principes odiis perinde, ac armis inter se certare, copiasque, quarum fama Europam omnem pervaserat, oscitanter parari, tempus occupandum ratus, in Rasciam irrupit, ut ea provincia in potestatem redacta, & viam in Hungaros complanatam haberet, & hostes a mari, unde maximus metus, & periculum erat, avulsos ad mediterranea traduceret.

Ladislaus contra se lacessarem cum

Obortum sub id tempus contra Fridericum fœdus est, quod magno postea rebus christianis, adversum barbaros susceptis detrimento erat. Fœderum socii, Ladislaus rex Hungariæ, Sigismundus Austriæ dux, & comes Tyrolis, tum

(1) Epistolæ procerum nomina in hunc modum ad calcem adscripta erant.

E. V. S. devotissimi filii, & oratores.

Dionysius Cardinalis Strigoniensis. }
Raphael Coloc. ecclesiarum unitarum } *Archiepiscopi.*
Ladislaus Agriensis. }
Joannes Varadiensis. } *Episcopi.*
Joannes de Hunyad comes Bistric. &c. }
Ladislaus de Gara regni Hung. Palat. }
Nicolaus de Ujlak. } *Vayvodæ*
Joannes de Rozgon. }

Comes Ladisl. de Poloz Judex curiæ regiæ.
Joannes de Perén Tavernicorum regalium. }
Michael Orszag de Guth curiæ regiæ. }
Simon Zudár de Olnad Pincernarum. }
Simon de Palocz agazonum regalium. } *Magistri*
Oswaldus de Rozgon comes Siculorum
Franc. de Chaak com. Bihariensis.
Joannes de Zéch com. comaromiensis.

Ceterique prælati, & Barones, ac proceres regni Hungariæ primum Jaurini, nunc Budæ congregati.

tum Ulricus Ciliæ comes fuere: qui, incertum est, quo metu, & vana suspicione acti, ne cæsar arma, quæ adversum Turcos parabantur, in eos converteret, collatis privatim consiliis id periculum ab se amoliri decreverant, icto fœdere stipulati, se Fridericum, si bellum obmoveret, communi studio, ac viribus aggressuros; neque pacem, aut inducias pacis facturos, quam pensatis damnis parti læsæ satis esset factum, fœderisque tabulæ, quæ in hujusmodi eventu confieri solent, singulorum judicio ac nominibus firmatæ essent. (1) Fœderis indicium ubi ad Fridericum allatum est, dici haud potest, quam non solum conatus ejus, quos in cogendo contra Turcos exercitu adbibuerat, subito represserit, sed diffidiorum quoque tam altas utrinque radices egerit, ut extingui quidem, vivo rege nunquam, sopiri auctoritate pontificis ægre potuerint. Neque intellectum satis est, quamobrem Ladislaus, qui suopte ingenio probissimus, & admensa ætati prudentia, ut Sylvius testatur, conspicuus fuit, cum incredibili in barbaros studio nonnulli principum ferverent, rei, quæ suo regno percommoda futura erat, prudens, volensque obicem poneret. Nisi id fortasse, quod veri est simillimum, opinemur, Ulricum Ciliæ comitem, cui pervetus cum cæsare simultas erat, pro sua apud regem gratia, & extorta magis, quam acquisita auctoritate tenerum Ladislai ingenium in transversum egisse. Tantum refert, in quorum manus reges in principio adolescentiæ incidant, quorumve opera in promendis consiliis utantur. *Anno Christi 1455.*

Novis simultatibus inter cæsarem, & Hungariæ regem obortis, ut eos primum Mahometus comperit, neque enim ita clam res acta est, ut ejus fama ad barbaros non vulgaretur, in suum commodum usus, Hellesponti insulas classe adoriri constituerat, ut qua diligentia terrestre prius iter occupata Rascia christianis obsepserat, eodem studio expugnatis insulis, Arragonum regis, tum Venetorum, ac Genuensium conatus, qui mari aggressionem moliri ferebantur, inutiles redderet. Eo rumore Maonenses, qui Chium habitant, consternati; a Pontifice opem implorarunt, datisque litteris, ne se immanissimo hosti destituere velit, his verbis obtestati sunt. (2) *Mahometes cognito Christianorum dissidio classem in Hellespontum immittit.*

Maonenses Civitatis, & Insulæ Chii Romano Pontifici.

Etsi videremus beatissime pater maximis nostris periculis nos objectos furori Mahometi Turcarum regis, qui in omnes christianos promiscue arma sumsit, hucusque tamen quadam animi alacritate sævas illius minas & illata plurima mala ideo perferebamus, quia certam conceperamus spem, christianos clade tam nefaria accepta, pia arma sumturos, & summo consensu, ac faciliore eventu hostem infidelem, atque nimium insolentem oppressuros, cumque in dies graviora ab ipso, capiti nostro imminerent, non aliter eadem soliti eramus pendere; quam ut quoddam commune christianorum incitamentum ad vindictam accelerandam, quibus rebus spem nostram foventes, omnibus artibus, & præsidiis contra ejus vim nos muniebamus Sed heu! nimis longam spem! christianorum arma nimis dilata! siquidem omnibus quiescentibus jam oppugnamur, jam ingens vis, & validus furor in nos conversus est. Non erimus nunc in eo occupati sanctissime Pater! ut vestræ Sanctitati explicemus emissam nuper in nos classem, & damna plurima illata, illud potius est præsentis terroris, illud instantis, & maximi discriminis, quod inspecta loci opportunitate, primo proximo vere eadem classis, auctis viribus, & comparatis bellicis operibus, quæ ad oppugnationem pertinent, in eos est reditura, quod ita fore non vano rumore, sed certis autoribus comperimus. Contra quos impetus, ut perstare possimus, fidelis quidem, & constans animus non desperat, sed, quotæ sunt vires nostræ? quoniam pacto sine commum christianorum auxilio tam modica colonia defendetur? quæ licet parva, *Maonensium eadem re ad Papam litteræ.*

(1) Fœderis tabulæ germanicæ habentur in Archi. aulico Græcenti forulo 39. num. 62. datæ sunt die lunæ ante divi Joannis Bapt. 1455.

(2) Odor. RAYNALD. Annal. eccles. Tom. X.

Annus Christi 1455.

va, quanti tamen sit momenti, omnibus christianis transmarinis haud ignotum putamus, cujus ruina plurimos in eandem secum traheret calamitatem. In talibus igitur nostris, & aliorum christianorum periculis, ad vestram Sanctitatem sapientissimam confugimus, quam non dubitamus divina providentia hoc potissimum tempore ad Apostolicam sedem assumtam, ut suo impulsu & authoritate, universalis fides, & christianorum decus instauretur. Apud eandem, quas præsens necessitas exprimit, preces fundimus, obsecrantes, ut causam nostram, & christianorum foveat, cœptum opus ne deserat, christiani concitentur, sumantur arma, quæ si non ita statim inferri terra, marique possint, at illud saltem maritimi auxilii non denegetur, quo tantisper hanc paratam vim ferus hostis contineat, & nos salvi esse possimus. - Ex Chio, die XIV. Augusti MCCCCLV.

Callistus intellecto periculo, & obortis iterum in Hungaria turbis

Summus pontifex, cui in conciliandis principum animis multum ceteroquin tædii, ac laboris exhauriendum erat, Maonensium litteris incredibili præterea mœrore affectus est, quod pene nihil rationis in promptu haberet, qua miseris succurreret. Quod poterat, magnam Scanderbergo in Epirum argenti summam transmisit, ut ope auxilioque destitutos interea adjutum iret. Simul Dionysium archiepiscopum Strigoniensem prærogativa legati a latere, in eum præsertim finem exornat, ut redintegrata inter regem, ac proceres, tum inter ipsos quoque, quibus nondum penitus convenerat, regni optimates in solidum amicitia, cunctos ad sumenda in Turcos arma exhortaretur, neve permitteret, ut Turcis inducias rex indulgeat, quo metu instantis belli vires suas ab reliquis christianis abstraherent, incertisque, quo Europæi evasuri viderentur, sua domi potius tuendi necessitas, quam aliena impetendi libertas daretur. Qua de re ad Dionysium hæ exstant litteræ. (1)

Strigoniensem archiepiscopum, ut has componat, hortatur.

„ Dilecto filio Dionysio tituli S. Cyriaci in thermis presbytero cardinali, in regno Hungariæ nostro, & Apostolicæ sedis legato de latere salutem, & apostolicam benedictionem. Licet omnium Christi fidelium unio sit optanda, hoc præsertim calamitoso tempore, in quo perditionis filius Mahomet Beg Turcorum caput, & dux, tanquam procella vehemens, nomen christianum perdere de terra cupit, illorum tamen inprimis est non solum necessaria, sed summo studio quærenda, qui superbos ejus spiritus, quasi cœlesti quodam dono reprimere consueverunt. Intelligentes itaque non sine amaritudine cordis nostri, inclitum Hungariæ regnum, cui nos pro meritis suis summe afficimur, & quod hactenus scutum christianitatis esse consuevit, in capite, & membris invicem dissentire, ac inter charissimum in Christo filium nostrum, Ladislaum regem illustrem, & prælatos, ac barones, & populos regni præfati, rursumque inter hos ipsos certas dissensiones subortas esse, quæ impedimento manifesto sunt, quo minus opportunum aliquid per eos parari, aut effici possit, videmus maximo præsidio carituram esse fidem nostram, nisi reconciliatis animis ad veram charitatem, & pacem reducantur. Eapropter cupientes votum omnipotenti Deo reddere, quod a principio nostri pontificatus solemniter vovimus, videlicet ecclesiæ thesauros, & vitam propriam, si ita necesse erit, ad eversionem hujus impiissimi Mahometi impendere, ac considerantes omnem dilationem, quæ interponitur, damnabilem esse, & hosti vires, nobis calamitatem adjungere, ideoque intendentes, quantum divina clementia largiri dignabitur, proximo venturo vere, erecto vexillo crucis, arma salutis contra præfatos Turcos, terra, marique movere, ut in tanto christianorum apparatu robur regni Hungariæ per intestinas discordias non desit, in quo certe præcipua fundamenta victoriæ ponimus, ad has tollendas, si ita Deus annuerit, inducendamque pacem vel saltem treugas de venerabilium fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ cardinalium consilio, & assensu te, qui de illorum numero existis, & de cujus fide, integritate, maximaque rerum experientia plenam in Domino fiduciam gerimus, tanquam pacis angelum in præfato regno Hungariæ, nostrum, & Apostolicæ sedis legatum de latere du-

xi-

(1) RAYNALD. annal. Eccles. Tom. XII. ad annum 1455.

„ ximus deputandum, & præsentium serie facimus, constituimus, & deputamus, tibi eundem regem, prælatos, barones, ac populos regni præfati, & alios quoscunque regnicolas, inter se quomodolibet dissidentes, nostro, ac dictorum fratrum nomine, ad pacem, & mutuam concordiam hortandi, monendi, & exstirpandi, ac super ipsos amicabiliter judicandi, terminandi, decidendi, & componendi, pacemque ipsam, & concordiam, vel treugas saltem, si pax sequi non potest, perpetuo, vel ad tempus, de quo tibi videbitur, tractandi, firmandi, & concludendi, ac pro ejus firma conclusione, & observatione, quæ tibi visa fuerint, nostro, & ecclesiæ Romanæ nomine promittendi, ac insuper nos, & ecclesiam ipsam, prout tuæ prudentiæ videbitur necessarium, obligandi, nec non pro observanda hujusmodi pace, vel treugis securitates quascunque necessarias, & opportunas utrinque præstandi, & concludendi, ac pacem, Deo propitio, vel treugas prædictas, postquam firmata fuerit, per supra dictos observari, mandandi, contradictores, & consentire nolentes per censuras ecclesiasticas, de quibus in aliis litteris felicis recordationis Nicolai papæ V. prædecessoris nostri, & nostris, quas ad te mittimus, plenius continetur, compellendi, omniaque alia, & singula faciendi, gerendi, & exercendi, quæ pro hujusmodi inducenda pace, & treugis, ac earum stabilimento, & securitate necessaria videris, seu etiam opportuna: insuper etiam præsatos omnes, & singulos, regem, prælatos, barones, & populos regni prædicti, ac alios quoscunque regnicolas, nominibus, quibus supra, monendi, rogandi, & obtestandi, ut pro honore Dei, & populi christiani salute, cujus causa nunc agitur, proxime venturo vere, depositis discordiis præfatis, parati sint, & accincti, ad salutarem hanc christianorum expeditionem, & interim nullam, quovis modo, intelligentiam, nullum fœdus cum eodem Mahomete ineant, seu recipiant, sed ad ipsius extremam confusionem, ut semper gloriose consueverunt, se animent, concedentes super iis auctoritate Apostolica harum serie plenariam facultatem, & etiam potestatem. Nos enim obligationes, pacta, & fœdera quæcunque, quæ pro hujusmodi pace, vel treugis inducendis, earumque securitate, & firmitate præstanda, ceteris supra dictis exequendi duxeris ordinanda, firmanda, seu etiam facienda, rata, & grata habebimus, eaque faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Tu igitur injunctum tibi hujusmodi laboris onus, & curæ ob Dei, & Apostolicæ sedis, & nostram reverentiam devote suscipiens, ita studiose, sapienter, & integre juxta concessam tibi a Domino gratiam exequaris, ut cælesti tibi favente clementia, tuis laboribus, & vigiliis, sperati pacia, & concordiæ fructus proveniant, tuque in hac causa, quæ Christi est, & nostra, æternæ gloriæ palmam consequi merearis. Data Romæ apud Sanctum Petrum anno MCCCCLV. calendis septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Annus Christi 1455.

Quaa dissensiones inter regem, & Hungariæ proceres obortas, hoc loco pontifex maximus intelligat, nisi eas arbitremur, quas ab Cilejensi comite concitatas narravimus, aut quæ optimatum quibusdam cum Hunyiade, ob diuturnam hujus dominationem intercesserant, haud satis conjectura assequor. Si quæ tamen præterea fuere, credibile est, Dionysii Strigoniensis studio, ac prudentia penitus exstinctas esse, quod earum, quod quidem sciam, apud neminem scriptorum deinceps memoria occurrat. Ceterum Ladislao in anni exitu negotium aliunde, ut præter tempus, ita a quo minime fortasse oportuit, conflatum est. Intercesserat Bohemis cum Friderico Saxonum duce non levis controversia, propter urbes, ac oppida, quorum non pauca, nec exigui census ab Sigismundi temporibus in Bohemia dux possederat: ea cum Bohemi juris sui esse, reddique sibi contenderent, Saxones contra abnuerent, placuit, ut legati ex utraque natione Egram coirent, atque isthic discussa diligenter causa, secundum jus sententiam pronunciarent. Ladislaus, ne ex litis contentione dissidiorum quidquam sibi ad annum, quo bellum in Turcos parabat, oborirettur, Georgio Podiebradio eam provinciam mandavit, homini ut jurium regni sui gnarissimo, ita ad persuadendum,

Ladislaus ad sopiendas lites cum Saxonibus obortas

Annus Christi 1455.

Georgium Podiebradium oratorem constituit.

dum peridoneo, eique suo nomine, quod optimum videretur, agendi potestatem publico diplomate in hanc sententiam tribuit: (1) *Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex, Austriæ dux, marchioque Moraviæ &c. notum facimus universis, quod volentes quantum possumus, cum omnibus concordiam, & pacem habere, cum sit designata diæta die sanctæ Catharinæ in Egra, pro tollendis, vel componendis dissensionibus, quæ sunt inter nostram Majestatem, ut regem Bohemiæ, & illustrem Principem, Fridericum ducem Saxoniæ, sacri imperii electorem, & marchionem Misnensem, consanguineum nostrum charissimum, tam propter castra, oppida, & res, quas detinet ipse dux, spectantes ad coronam præfati regni nostri, quam ob aliam quamcunque causam, ad diætam ipsam huc in Egra, sive alibi, dicta die, vel alia fiat, mittimus magnificum, & nobiles Georgium de Cunstad, & Podiebrad, dicti regni nostri Bohemiæ gubernatorem, & magistrum curiæ, & alios consiliarios nostros, & fideles dilectos, de quorum fide, prudentia, & integritate plene confidentes, ipsos facimus, & creamus nostros veros, & legitimos oratores, procuratores, actores, administratores, sive quovis alio nomine nuncupari melius possint, damusque eis plenum mandatum cum libera administratione, & specialiter eis concedimus speciale mandatum, liberamque auctoritatem, & potestatem cum præfato duce, vel ipsius oratoribus, & procuratoribus conveniendi, colloquendi, tractandi, transigendi, compromittendi, paciscendi, treugas faciendi, factas prorogandi, ac pacem perpetuam componendi, & pro prædictis omnibus efficiendis pœnas promittendi, & stipulandi, nostram personam, & bona obligandi, & omnia alia faciendi, quæ pro prædictarum rerum effectu opportuna, aut expedientia fuerint, concedentes ipsis in præmissis omnibus, & qualibet eorum totaliter potestatem, & vices nostras tribuentes eisdem, ut totum illud in præfatis rebus facere possint, quod posset nostra majestas, sicubi personaliter adesset; promittimusque verbo nostro regio, ratum, & gratum habituros, omne, totum, & quid quid ab eis in supra dictis rebus, aut aliquibus earum quomodolibet erit factum præsertim sub nostri regalis sigilli appensione, testimonio litterarum. Datum Tulnæ die III. mensis Novembris, Anno Domini MCCCCLV. regnorum nostrorum Hungariæ XVI. Bohemiæ vero III.* Minime dubium est, capita controversiæ ita transacta esse, ut urbes, & castra, dilutis pignorum rationibus, Bohemis a Friderico in solidum redderentur, quod ea abhinc in illorum potestate citra novam litis intentationem permansisse pro explorato habetur.

Annus Christi 1456.

Legatus Apostolicus regem ad bellum in barbaros movendum hortatur.

Hunc in modum cum omnia alia, præter bellum in Turcos appararentur, Callistus christianorum causa omnium maxime solicitus, Joannem Carvajalium Hispanum, cardinalem sancti Angeli, legati Apostolici auctoritate munitum in Hungariam misit, ut redintegrata inter cæsarem & Ladislaum amicitia, hunc præcipue ad sumenda contra barbaros arma incenderet. Venerat is, cum annus prior in exitu esset, Neostadium, salutatoque Friderico, & re cum eo deliberata Viennam in principio sequentis anni tenuit. Isthic cum rege, ac Hungariæ proceribus, qui eandem ob causam in Austriam venerant, de rebus, quas pontifex sibi mandarat, diligenter egit: sed cum videret, amicitiam difficulter conflari posse, uti bellum contra barbaros susciperent, omni studio adnisus est; simulque pollicitus, si ceteri christianorum principes suppetias, quas stipulati fuissent, mittere gravarentur, cruce signatos indultu pontificis eo numero affuturos, ut in partem belli, & armorum societatem, magno Hungarorum commodo venire possint. Habuit ea de re prolixam ad regem & proceres orationem legatus, cui rex, postquam in commune cum suis consilia contulisset, per Joannem Varadiensem episcopum ita responderi jussit. (2)

Cui Varadiensis episcopus regis nomine respondet.

Reverendissime pater! religiosam operam recte ac digne Apostolicæ curæ congruam, pacemque idoneam nunc oratione, ac simul adhortatione reverendissima paternitas vestra egit, & prosequuta est, quam sane ex mente, & judicio serenissimi domini nostri regis adeo religiosam dicere libet, ut recte credatur, non modo pro christiano statu, verum a christiano capite profecta; & licet illius optimi pastoris, san-

ctissi-

(1) Ex diplomatario Bohem. Silesiaco Tom. I. Cl. SOMMERSPERGII.

(2) Ex Cod. Mf. Mellic. Num. 13. fol. 277.

Annus Christi 1456.

ctissimi domini nostri, summi pontificis circumspecto ministerio multa in christianum populum beneficia collata numerentur, utpote, qui ab exordio suscepti pastoralis officii, manifestis indiciis toti salutifero orbi aperuit, aperte tamen contendere ausim, nullum ex his beneficiis, vel saltem vix unum, aut alterum melius, quam hoc, quod præsenti oratione explicatum est, vel obtulisse eum unquam, vel collocasse, quippe dum mersam, ac pene obtritam christianæ religionis partem in libertatem, ac lucem vocare dignum duxit. Quæ quidem beneficia sua ipse sanctissimus dominus noster nullo pacto melius, quam ut augeat, tueri posse ratus, rerum summæ consulere parat, imitaturque Apostolicam solicitudinem veterem, per quam christianum nomen, & fidei crevere vires, famaque, & imperii porrecta majestas. Audivit itaque, & intellexit majestas regia, quæ circa rem hanc paternitas vestra dicere nunc, explicareque, & perorare voluit; ubi in primis gratulatur serenitas sua optato adventui paternitatis vestræ, salvamque eandem cum tam dignæ rei nuncio venisse, admodum gaudet, videt autem si quando alias, nunc multum desideratissime. In quo existimare potest paternitas vestra, quanto consensu exceptum sit, cum diceretur, quod tam desideratum, & favorabile fuit prius, quam dictura videretur, potuitque forsitan res ipsa apparatius moveri apud multos, sed nullibi efficacius promoveri, quam apud majestatem regis nostri. Credit enim, & ita secum reputat, quod in tota intentione sanctissimi domini nostri curia rem hanc prosequendam nihil vel sit, vel esse possit, quod non sibi tanquam sua & placeat, & pro voto futurum credat, potissime, quod in ceteris actionibus existimationem hominum, diligentia præcipue, & fides locum vendicat, in hac vero etiam pietas subjicitur. Quamobrem respondebo ad ea, quæ paternitas vestra reverendissima verbis, & susceptæ rei, & voto regiæ majestatis, æquis, ac consonis tetigit, paucis mentem serenitatis suæ pro isto nunc tempore, ut jussum est, explicabo. Et in primis, ubi in summa ipsius orationis declarabatur consilium, diligentia, promtitudo, & provisio Apostolicæ sedis, quas ad tuendas christiani naufragii reliquias, propagandumque catholicæ, veræ, & unicæ fidei finem decrevit jam, & fecit, serenissimus dominus noster rex diligentiam, & promtitudinem hanc magni facit, consilium vero, & provisionem tanta affectione offert, ut si juxta vota provisioni huic explicatæ facta sequenda, & effectus applicabuntur, nihil commodius, & salubrius, nihilque præstabilius vel reperiri valeat, vel cogitari, in hac præsertim ætate, qua vix unquam alia oppressionis christianæ ferocior fuit. Gravissimorum quippe christianorum vulneri, magno aliquo fomento medendum erat, quod quidem & cumulatius conficeretur, rectum fuit consilium ad publica suffragia, & singulare remedium decurrere, quatenus in communi causa omnium, sub spe communis auxilii, velut quibusdam adminiculis, proposita tuendæ fidei mysteria sustentarentur, & vera hujus defensionis cura, laborque susciperetur facilius, optime circa hæc a sanctissimo domino nostro provisum fuit, ut tam præmiis spiritualibus, quam etiam exquisitis legatorum suorum adhortationibus animi fidelium incitarentur. Quod autem Apostolica sedes provisionis hujus exordia, primaque defensionis alimenta a se incoepta, a se quoque pollicita commendat, obligatos efficit omnes fidei sanctæ subditos, ut & magisterio ejus, & exemplo ædificati, quam potissimum viam evadendi de comminatis periculis sequerentur.

Tetigit præterea superius reverendissima paternitas vestra de casu, vel potius occasu orientalis imperii, ne dicam captæ urbis illius, & item de profanatis sacris, ac jugo, nece, ac prostitutione christianorum capitum, victoris Turci ludibrio subjectorum. De quibus commemorare, quid aliud, quam refricato commiserationis vulnere lacrimæ reddi possunt, quandoquidem eo eventu inter, & post alia horrenda verisimiliter apparuit, non odio solum apud hostes, verum contemtu etiam, & negligentia apud socios nomen christianorum laborare. Optaret tamen serenissimus dominus noster rex videre illos, in quibus se comite, & socio, contractam inde ignominiam magna virtute corrigere, & abolere flagitii memoriam nova christianorum gloria Deus ipse propitius pateretur. Ea est enim adhuc religionis christianæ conditio, quæ aperte, ac digne defendi & meretur, & exspectat, possetque efficaciter, si modo tanti apud christianos illius protectio, quanti apud adversarios ejus

Annus Christi 1456.

impugnatio æstimatur. Venit posterius paternitas vestra in oratione sua ad eam partem, in qua serenissimo domino nostro regi persuadere placuit, eumque ex parte sanctæ Apostolicæ sedis commonere, ut ad ea, quæ ad opus tam sanctæ provisionis exequenda decreta, proposita, ordinata, mandataque sunt, cooptando, & exsurgendo, animum, atque operam opportunam adhiberet. Ad quam partem in promtu respondet majestas regia, facile se in re ista persuasum iri, in qua videlicet ultro gerenda, eidem hæreditaria a præsentibus cura successit. Quamobrem admoneri quidem potuit, ut exsurgat, rogari autem non debet, ut faciat, quod sibi jam ex debito quodam faciendum sponte occurrit. Attamen rem hanc solito magis curandam, potens ipse auctor faciet, ad cujus voluntatis interpretationem, sententia regiæ serenitatis semper dirigenda erit: illum consilii hujus ducem, se comitem faciens, futurum ratus non solum studio, sed etiam judicio suo satisfacere parat. Neque tantopere, quid pater optimus in præsentia velit, sed quid semper probaturus sit, considerat, & ita considerat, ut semper sibi elaborandum, enitendumque intelligat, ne qua parte videatur hanc explicatam de se fiduciam providentissimi pastoris destituisse. Ad plura deputabuntur consiliarii pro conclusione eorum, quæ tractanda erunt.

Ladislaus in Bohemiam profectus

Facile ex responso legatus Apostolicus intellexit, rem, quam postularat in longius tempus protractum iri: quin fama quoque, sed incerto auctore, percrebuit, Hungaros, quod ab christianis principibus turpiter destituerentur, inducias cum Turcis pacturos esse, ut iis, quoniam vi non poterant, periculum imminens ab se amolirentur. Itaque tanto acrius apud regem instare, quanto metuendum magis erat, ne fama ipso eventu firmaretur. Ladislaus tamen non ante respondere, quam Pragam, credo ob lites cum Friderico Saxone obortas, venisset, ex Cilejensis consilio statuit. Isthinc litteras ad Callistum dedit, quibus ei ob paternam in Hungaros curam gratias prolixe quidem agit, de re tamen, cujus gratia legatum miserat, nihil prius ab se constitui posse, quam id in regni conventu cum suis communicaret, in hæc verba significat. (1)

Sanctissimo Domino nostro Callisto Papæ IIItio.

Ladislaus Hungariæ & Bohemiæ rex.

Pontifici de eodem argumento scribit.

„ Beatissime Pater, & Domine! post subjectionem, & pedum oscula beatorum. Legatum, & visitationem Apostolicæ gratiæ, quibus hoc tempore magno Sanctitatis vestræ favore consolati sumus, magna gratitudine suscepimus, illius venerabili persona, hujus vero fructu condelectati; ubi in primis coluimus virum ipsum dignum eo munere, quo Apostolicæ sedis & magisteria doctus referret, & exempla dissertus nunciaret. Recte enim exspectationi, ac desiderio nostro oblatus, Apostolicæ erga nos affectionis faciem repræsentavit ac simul allatis rebus parem sermonem accommodans, nobis visitationis ipsius gratiam effecit gratiorem. Quo docente intelleximus etiam provisionem amplissimam Beatitudinis vestræ, qua tremulum nunc christianæ libertatis statum subrigere, ac restaurare paratis, & quod effuso largissime, utroque thesauro sibi credito memorabili, ac pariter venerabili exemplo, & gratiæ monitis inducit, ac solicitat christianos principes, ut impugnatæ fidei, quam profitentur, causam armis, animisque tuendam suscipiant, longe ab his negligentiæ callum, quem in hac re tepide gesta contraxerunt, abolere desiderans, inter quos dum ad nos quoque specialiter a præfato patre, vestro legato, in hoc pio negotio efficax, atque ipsi rei accommoda adhortatio facta fuisset, respondimus, uti ex tempore fieri potuit, cum omni promtitudine, inductique non solum necessitate impendentis fati, verum etiam necessitudine communis fidei, paratam, quantum in nobis est, voluntatem obtulimus, gratias referentes Deo nostro, quod ad hæc diuturna studia nostra Apostolici pastoris & auctoritas, & solicitudo concurrerit, quod qui votis nostris ipse po-

„ tissi-

(1) Ex eod. Cod. Ms. Mellic. ibid.

Annus Christi 1456.

„ tiſſimum adjutor acceſſerit, ejus & ſuffragio mundus libenter indulgeat, & teſtimonio plurimum credat. Rerum enim, quas aſſequi cupimus, & præſumptio ipſa jucunda eſt. Quam ob cauſam, ut in eisdem rebus, quæ non parvi ponderis, laborisque ſunt, efficacior deliberatio, & finalis reſponſio Sanctitati veſtræ reddi poſſit, operæ precium fuit, principes, prælatos, magnates, & proceres, ac communitates regnorum, ac principatuum noſtrorum ſuperinde conſulere, qui ad proximum futurum menſem Februarium habituri ſunt de mandato noſtro diætas pro rebus iſtis, & earum tractatibus opportunas. Ubi demum habitis inter eos mutuis intelligentiis, recollectisque tandem diſpoſitionibus eorum, ac conſiliis, & concluſionibus, deliberabimus per proprios oratores ſuper iis, quam etiam de largiori reſponſo, & omnibus ac aliis opportunitatibus Sanctitatem veſtram reddere certiorem, prout tam de iis, quam etiam largiori reſponſo noſtro præfatus San itatis veſtræ legatus eidem rem geſtam latius referet, ac notificabit. Quam lominus feliciter & noſtro voto, & regimini eccleſiæ ſuæ ſanctæ conſervare dignetur. Datum Pragæ die VII. Menſis Januarii Anno Domini MCCCCLVI.

Tum in Hungariam cum cruce ſignatis ire meditatur.

Pragæ non diu moratus, quod Rochezana factio optima regis conſilia, quæ ad comparandum ad Turcos bellum depromſerat, inutilia prorſus, aut difficilia redderet, Viennam remeavit, iſticque cum legato Apoſtolico ſæpe, ac diligenter agens, in Hungariam ſe iturum, ut præſentia ſua animos optimatum ad corripienda arma incitaret, pollicitus eſt, quemadmodum ipſe legatus ad Capiſtranum ſcribens perhibet. (1)

Ut Capiſtranum legatus Apoſtolicus certum reddit.

Reverendo Patri, domino Fratri Joanni de Capiſtrano patri noſtro optimo, Joannes cardinalis ſancti Angeli, Apoſtolicæ ſedis legatus - - - notificamus veſtræ paternitati, quod ſereniſſimus dominus rex Hungariæ, ut hodie nobis dixit, intendit iſta ſeptimana cum Dei adjutorio verſus Hungariam iter ſuum incipere. Speramus per acceſſum ſuum ad illud regnum res fidei bene componi, quia ipſe ſereniſſimus dominus rex fervorem non parvum religionis habet, & iſti domini, qui cum eo ſunt. Omnipotens Deus noſter veſtram paternitatem conſervare dignetur. Quantum ſumus letati, conſolatique in his, quæ dicta ſunt nobis ex parte illuſtris domini gubernatoris, non poſſumus verbis, nec litteris exprimere, quando audivimus ſponſionem ſeptem millium pugnatorum. Meminimus in continenti eorum, quæ fecit Deus in partibus noſtris, nam Machabæus ille magiſter militiæ ſanctæ in tali numero Nicanoris, & Gorgiæ exercitum fudit. Interemerat autem Iſraeliticus populus in tali numero, centum viginti millia. Itaque ſperamus in domino, quod exercitus ille ſeptem millium, ſi omnia alia auxilia humana deficerent, ſub dicto noſtri temporis Machabæo domino gubernatore vincet, & dabit Deus populo ſuo victoriam. Cuperemus, quod idem illuſtris Dominus gubernator ſcriberet illis principibus, cum quibus habet commercium in iſto negotio; ſicut eſt imperator, rex Arragonum, dux Burgundiæ, & aliis, quod exercitus mittendi in Hungariam, debent eſſe in menſe Junii, & ad tardius in Julio: & quod ipſe gubernator erit paratus illo tempore, nec eſt petendum, quod habeant tot vel tot millia, quia, poſtquam plane intellexerint, quod illo tempore dominus gubernator debeat eſſe paratus, in cujus nomine magnam fiduciam ponunt, & dicetur, quod eſt ibi legatus Apoſtolicus cum cruce, cortina cortinam trahet, & alii ex devotione alii pro honore venient in tanto numero, ut ſperemus in Deo, quod potius timebimus victualia deficere, quam homines. Itaque veſtra paternitas in hoc verſetur, quod ſcribat dominus gubernator, ſe paratum futurum pro tempore prædicto, quia Deus providebit de victima, & neceſſariis ad victimam - - - faciat paternitas veſtra, quod non ſit defectus in provincia vobis a Deo decreta. Sereniſſimus dominus rex ferventiſſimus eſt in iſto negotio, tantum quod exſpectamus, quod erit alter David, & in innocentia ſua puriſſima interficiet inbaptizatum Turcam, chriſtianorum interfectorem. Veſtra paternitas ſuſcipiat ipſum ſereniſſimum regem in ſuis orationibus commendatum, ut Deus det ei cor rectum.

Etiam

(3) Wadingus Anal. Minor. Tom. XII. ad An. 1456.

Anuus Christi 1456.

Etiam illustris dominus comes Ciliæ pollicetur omnia facere. Iterum atque iterum Deus conservet paternitatem vestram. Ex Vienna XVI. Januarii MCCCCLVI.

Ille ex Valachia ab Hunyiade evocatus legato respondet,

Erat tum Capistranus ultra Transilvaniæ fines apud Valachos, ut eas gentes ecclesiæ gremio insereret, eademque opera adversus Turcos animaret, cum legati litteris ad Hunyiadem transmissis, ab hoc Bistricium evocatus est. Isthic communicata cum gubernatore legati epistola, confestim illi rescripsit; & qui Hunyiadis ad instans bellum conatus, quæve Turcorum molimina sint, quid sperandum, metuendumve occurat, citra ambages significat. Ejus hæc, inter alia verba sunt. (1) *Eadem qua applicui die, datæ mihi sunt vestræ reverendissimæ dominationis litteræ, quæ ad suscitandum animum domini Joannis de Hunyiad comitis Bistricensis plurimum valebant. Possum hoc unum significare vestræ reverendissimæ dominationi, ipsum nulla indigere persuasione, vel adhortatione. Nam cum ipse mihi ore proprio pollicitus sit septem millia equitum armatorum, omnibus necessariis ornamentis munitorum, & in dies magis confirmet, ac sanctissimo domino nostro, invictissimo Romanorum imperatori, serenissimo regi Arragonum, illustrissimo duci Burgundiæ, aliisque dominis scripserit, se cum decem millibus paratum fore, quandocunque sit opus, ad obviandum perfidissimo hosti Christi, non dubitet vestra reverendissima dominatio ipsum ullo pacto a proposito deficere; nam in armis continue accinctus est. Sed vereor, ne tanta procrastinatio periculum christianis pariat, spondent enim ceteri ad futurum mensem Julium se expeditos fore. Turcæ non dormiunt, nam fere quotidie invadunt partes inferiores, & depopulantur satis miserabiliter, adeoque fortificantur, ut nobis maxime sit timendum etiam ante resurrectionem Domini. Quamobrem maturiori obstaculo peropus est, ad resistendum sævienti hosti, qui nullas nisi sanguine fuso, habere vires gaudet, præsertim contra christianos, quos perdere, obsequium se putat præstare Deo. Quare quid agendum sit, judicet reverendissima dominatio vestra, quam Christus JEsus largissimo ævo tueri dignetur ad defensionem suæ sanctæ fidei. Ex loco nostro Bestren. XIX. Februarii MCCCCLVI.*

Budamque profectus voluntes cruce signandi veniam impetrat.

Bistricio Budam ab eodem legato evocatus, impeditissimo per hiemis inclementiam itinere, prius illic adfuit, quam Ladislaus cum legato, ac Ciliæ comite, eo Vienna descendisset. Rege postea præsente, ac cum suis de belli rationibus deliberante in publico procerum conventu, crucem ab Callisto solitis religionibus consecratam, ex legati manibus accepit, dataque potestas, ut, qui militiam contra barbaros profiteri vellent, eo signo condecoratos, in cohortes, ac manipulos cogeret. Ille per omnes Hungariæ provincias summa celeritate oberrans, brevi tempore promissis largissima peccatorum venia, & impunitate, tanto numero pugnatores collegit, ut proceribus visum sit, iis bellum, si non inferri, certe propulsari eo usque posse, quoad subsidia ab christianis principibus promissa confluerent. Itaque tanto acrius postea ab rege, & optimatibus de totius rei momento consultatum est, quanto majus in dies a barbaris periculum instare Thomas Bosniæ rex, & Scanderbegus Epirotarum princeps per nuncios, ac litteras significavere. Sed in tanta rerum pene omnium, quæ ad bellum attinere solent, penuria, huc omnis consiliorum ratio denique evaserat, ut Hunyiadi, ac Capistrano mandata darentur, viderent, ne quid res publica a barbaris detrimenti caperet.

Turci interea Belgrado imminent.

Interea crebris nunciis allatum est Mahometem cum ducentis, ut fama fuit, millibus ad Savum appropinquare, ingentemque classem ex Ponto per ostia in Danubium immissam: ex quibus haud difficilis conjectura erat, vim omnem barbarorum Tauruno urbi, Belgradum alii dicunt, incubituram. Tristissimus nuncius alio lætiore paulum post non nihil temperatus fuit, cum afferretur, classem regis Arragonum in mediterraneo mari visam, atque in Hellespontum vela facere: tum Scanderbegum, qui mille equitum ab Arragone subsidia acceperat, copias suas in castris tenere, ut primo quovis tempore nostris auxilio esset. Ea re legatus mirifice ad rem præclare gerendam erectus, Buda Szegedinum descendit, ut hac quoque parte cruce signatos, qui in dies multi confluebant, in ho-

(1) Idem ibid.

stem

stem duceret. Occurrit ei isthic Hunyiades, & copias Petrovaradinum transmittere volentem a proposito continuit, magnopere obtestatus Budam reverteret, ut esset, cujus consilio in improvisis eventibus rex uti posset. Illius absentiam plus rebus christianorum commodaturam, quod barbari ob famam cruce signatorum ingenti metu & exspectatione tenerentur, hanc autem in contemtum facile migraturam, si cum tam exiguo istorum numero se eis aspectabilem præberet. His persuasus Budam revertit, & Capistrano absentiæ suæ causam per litteras his verbis reddidit. (1) Annus Christi 1456.

Reverendo Patri, domino Joanni de Capistrano, Patri optimo.

„ Reverende pater salutem, & omnem prosperitatem. Meminit vestra „ reverenda paternitas, quanta instantia nobiscum actum sit, ut cum cruce sig- „ natis descenderemus, idque similiter vestra paternitas efficeret. Nos vero, „ qui nullam in armis fiduciam habemus, sed in Deo, qui orationibus suæ sanctæ ecclesiæ placatus mitigat iram suam, promisimus descendere, non tam considerantes vires humanas, quam divinam potentiam, neque quidquam in contra- „ rium nobis scripsit comes Bistricensis. Descendimus itaque Szegedinum, quo etiam „ paulo post comes pervenit, qui plurimum humanitatis, & honoris nobis ex- „ hibuit. Tandem de Christi obsequio, & fidei negotio multis habitis sermo- „ nibus, visum est comiti, ut rediremus ad regiam majestatem: sed nos duxi- „ mus iter prosequendum usque ad Petrivaradinum; quod ille non solum im- „ probavit, sed amplius protestatus est contra nos, damna omnia, quæ inde se- „ querentur, nobis attribuenda, palam adjungens, inde ingens detrimentum to- „ ti christianitati secuturum. Acquievimus proinde ejus monitionibus, & redivi- „ mus ad serenissimum dominum regem. Sed quia aliquos cruce signatos de- „ scendisse audivimus, misimus reverendum in Christo patrem Franciscum Assisii „ episcopum, qui eos reciperet, & suis disponeret stationibus. Inter alia, quæ „ comes contra nostrum allegabat descensum, illud præcipuum fuit, quod valde „ minueretur imputatio, & exspectatio, quam omnes habebant de exercitu, quem „ legatus sedis Apostolicæ dicebatur congregare, & timor hostis de valido su- „ perventuro subsidio converteretur in nostri contemtum, & majorem suorum „ audaciam. Ceterum ad copias militum, & cruce signatorum congregandas, „ opus est maxime auxilio vestræ paternitatis, cum qua libenter in aliquo loco, „ absque aliorum interventu conveniremus. Sancti Romani pontifices in prin- „ cipio nascentis ecclesiæ se offerebant martyrio, idque certe nos libenter nunc „ faceremus, uti dicto domino comiti diximus, & obtulimus ei manere, in „ quocunque loco ille vellet; & ne videremur spem ullam ponere in armis, no- „ luimus nostris familiaribus permittere, ut arma, quæ emerant, deferrent: om- „ nem enim spem nostram posuimus in orationibus ecclesiæ, a quibus omnem „ nostram defensionem speramus. Legatus Capistrano spem auxiliorum facit.

„ Venit ad nos nudius tertius quidam frater Ordinis prædicatorum, quem „ Venetias destinavimus, & refert, se habuisse a nobili veneto, Balio seu lega- „ to Constantinopolitano, Venetias regresso, quod Filomarinus capitaneus galea- „ rum regis Arragonum, visus erat in illis partibus cum copiosa multitudine ga- „ learum, & navium, & quod rex in dies augebat robur classis, mittebatque „ nunc decem galeas dicto capitaneo. Dixit etiam, quod dominus de Scander- „ beg erat jam in campo, eique miserat rex Arragonum mille equos, & aliquos „ pedites; & quod viderat quemdam militem Gallicum cruce signatum, profi- „ ciscentem in Albaniam, cum quinquaginta armigeris cruce signatis, volentem „ per annum integrum in hoc bello servire. Credendum est, quod propter mo- „ ram nostram hic, dum non incipimus bellum, maximus concursus cruce signa- „ torum fiet in Albania. Omnipotens Deus noster vestram reverendam pa- terni-

(1) Idem Wadingus ibidem.

Annus Christi 1456. „ ternitatem diu conservare dignetur. Ex Buda, XIV. Maji, anno Domi„ ni MCCCCLVI. „

Mahomete ad Belgradum appropinquante, Sub hæc non vanam fuisse appropinquantis hostis famam, ex litteris Michaelis Szilagyii, qui Belgrado præfectus erat, haud multo post intellectum est. Idem Hunyiades cum paucis veteranorum millibus, nam majorem exercitus partem urbi prius infuderat, ex adverso hostem speculatus significavit, orabatque legatum, ut subsidiarias a Friderico imperatore cohortes, quanta posset celeritate flagitaret, sive parum præsidii in cruce signatis, maximam partem tironibus, armorumque imperitis collocaret, seu aliud in causa erat, cur eorum opera non multum utilis videretur. Sed hæc humanis consiliis admensa sapientia agi prius oportuit, ut Dei manus, quæ in oppugnata, defensaque urbe manifestis postea indiciis patuit, illustrior esset. *Ladislaus cum Cilie comite Viennam fugit.* Ladislaus, postquam obsideri urbem certis jam nunciis compererat, Buda venationis specie cum Cilejensi comite egressus, Viennam concessit, fugienti, quam abeunti similior: ut legatus Capistranum in hæc verba certiorem facit. *Per proprium nuncium misi ad vestram paternitatem - - - copiam epistolæ comitis de Hunyiad, in qua monet adventus Turcarum. Rogo ut me certiorem reddat omnium, quæ illic aguntur, & audiuntur. Serenissimus dominus rex ivit venatum, neque amplius est reversus. Procura pater optime, ut quam cito descendant cruce signati, id etiam nos facimus diligenter. Vale, ex Buda V. Junii, MCCCCLVI.* (1)

Legatus contra apostolicus, proposita peccatorum indemnitate, cruce signatos ad bellum concitat. Ut fuga regis percrebuit, magna signatorum pars, tanquam hostis jam præ foribus esset, metu consternata, quaquaversum dissipata est, ut adeo legatus novam criminum impunitatem vulgare necesse haberet, quam iis, qui ad signa redirent, aut recens nomen profiterentur, concepta verborum formula pollicitus est. Eam hujusmodi fuisse comperio. (2)

Tenore præsentium intimatur universis Christi fidelibus, quod, quicunque personaliter iverit ad bellum contra Turcum, & per sex menses serviverit, absolvitur ab omnibus peccatis, & habebit plenariam indulgentiam, nulla imposita poenitentia, quia sola contritio sufficit. Similiter absolvitur, & plenam indulgentiam habet: qui mittit unum bellatorem expensis suis, qui sex mensibus serviat. Ex Buda, XIII. Julii. MCCCCLVI.

Joannes cardinalis S. Angeli cardinalis, apostolicæ sedis legatus. (3)

Eodem studio Capistranus agitur. Hic tamen conatus ad propulsandum periculum frustra erat futurus, nisi Capistranus ad primum venientis Mahometis rumorem, scriptis ad hanum machoviensem, tum judicem Cumanorum, qui non temnendo numero copias collegerant, gravissimis litteris, ut laboranti vrbi tempestive succurrerent, Szaladiensem, & finitimas provincias percursans, subsidia Hunyiadi adduxisset. Coegerat is, ut supra memoratum est, quamquam paucos, plerosque tamen veteranos, & pugnæ barbarorum assuetos quatuor supra Taurunum stadiis ex adverso Danubii littore ad oppidum Carim, classique Turcicæ, quando aliud non poterat, intentus, in omnem fortunæ eventum excubabat, dum Joannem Capistranum cum cruce signatis tanquam coelo delapsum castris suis acceperat, aliquidque ad urbis defensionem his copiis tentandum ratus, consilia cum eo conferebat, visumque utrique est, non aliter obsessis suppetias afferri posse, quam si classis barbarorum, quæ Savum, ac Danubium ingenti Lemborum copia oberrabat, profligaretur. Sed prius, quam quo eventu id tentatum, quibus copiis, quanta virtute, quo periculo, & ingenti utriusque gloria deinceps dimicatum sit, enarrem, operæ precium me facturum puto, si urbis situm, locique faciem, quoad possum, adumbrem, ut & obsidentium molimina, & defendentium conatus legenti planiores fiant.

Belgra-

(1) Idem ibid.
(2) Ex eod. Mſ. Mellic. num. 77. sub lit. I.
(3) Formulæ huic hæc leguntur adscripta: *Exhibita est littera originalis in Mellicio die S. Apollinaris.*

Belgradum, veteribus Taurunum, nostris Nandor Alba, urbs est in angulo, quem Savus danubio illapsus efficit, sita: hoc ab septemtrione, illo ab meridie, & occasu alluitur: qua parte Savo mons obtenditur, rupi arx insidet, loci natura, & arte communita, ac late utrique flumini dominans: radices montis civitas in utriusque fluvii ripas divergens occupat, muro, & confluentibus tuta: a continente vero fossa, moenibus, valloque duplici sic intercepta, ut si prius hostis occupasset, in alio nostris idoneus semper ad defensionem locus, ac receptus esset. Urbem præsidiarii numero quidem pauci, sed barbarorum bellis, & ingenio assueti tenebant; quibus Michael Ország militari scientia in paucis, clarus, & ab hoc Joannes Bastida præfecti erant. Mahometes, qui centum, ac quinquaginta veteranorum millia secum adduxerat, ut primum Belgrado appropinquavit, diviso bifariam exercitu altera ad Savum castra, altera præter Danubium locans, tum classe utrumque flumen occludens, urbem tam arcte obvallaverat, ut nihil imprudente hoste inferri, efferrique posset. Ita res obsessorum habebant, dum Capistranus cum cruce signatis Hunyiadi se conjunxerat. Sed intercepta fere nostrorum consilia fuere, quod barbari quarta ab adventu die, omnes ad urbem aditus locatis densissimo ordine cohortibus occuparent, arteque simul, ac locorum ingenio freti, tum ingenti machinarum numero suffulti non modo obsidentium conatus frustrarentur, sed eorum etiam studia, qui obsessis auxilio venerant, inutilia omnino redderent.

Annus Christi. 1456.

Belgradi situs, urbisque habitus.

Capistranus Hunyiadi conjungitur.

Qui Turcorum fuerint apparatus, quæve molitiones, optime omnium Joannes de Taliacotio, Capistrani individuus comes, ex quo oppugnatæ urbis narrationem, ut plurimum depromemus, datis ad Jacobum de Marchia præstantissimi ordinis sui virum litteris, in hæc verba complexus est. (1) *Quarta vero die a remotis castrum obsidere conspiciunt, sicque in paucis diebus omnis Turcarum potentia ibi locata est: nunquam enim, ut ex ipsis didicimus, ita potentialiter, ita astute, ita fortiter aliquem locum, sicut illum, Turcæ invaserunt. Nam centum sexaginta millia, multi autem ajunt, ducenta millia Turcarum bellantium, de electioribus & fortioribus illuc convenerunt, secum camelos, & animalia, alia innumera, machinis bellicis onusta ducentes. Illic pyxides, sclopetas, & spingardas numerare nemo potuisset, nec bombardas maximas, quibus similes nunquam visæ sunt, quæ non solum castrum, sed altissimos montes, ut pulveres contrivissent. Viginti duæ præsertim erant, quarum unaquæque fere XXVII. pedum in longitudine erat, quas non sine maximis ingeniis, & expensis illuc Turcæ deduxerunt, de minutiis, quæ transferri poterant, non erat numerus. Detulerunt etiam & septem alias machinas, quibus miro modo maximos, & rotundos lapides in altum, ad interficiendum homines, die, noctuque sine intermissione tam in castro, quam in civitate projiciebant, quarum lapides, tam horribiles, licet inter homines strictissime stantes, & in domibus, hominibus plenis, sæpissime caderent, nunquam tamen præter unicam mulierem occiderunt. Quod puto non parvum fuisse miraculum, cum nocturno tempore ab illis nullo modo possent præcaveri: tempore autem diurno audito strepitu permaximo, seu facto signo in majori turri cum campanella, personæ mansione egredientes, segregatimque stantes respiciebant in ære lapides, qui ex vehementissimo impulsu per grande milliare Italicum in altum jactabantur, qui etiam, cum ad dictam terram caderent, deglutiebantur a terra, nec amplius videbantur. Munitiones tantæ, & tam diversæ ab eis deferebantur, ut bis plura loca replerentur: maxime prægrandis erat inter eos ecclesia, distans a castro uno milliari Italico, quæ ferebatur sanctæ Mariæ Magdalenæ: ista vero ecclesia pulveribus bombardarum, funibus grossissimis, ferramentis, & omnibus quæ ad expugnandum necessaria esse ducebantur, repleta erat. Tentoria altissima pergrandia, & miro, ac pulcherrimo modo disposita, quæ tanta erant, ut potius illa maxima terra nubibus cooperta, quam tentoriis plena judicaretur. Vexilla incomprehensibilia, magna, alta, & varia, ac divisa secundum conditiones, & dignitates Turcarum: insignia autem magni domini Turcarum mediam lunam habebant in campo viridi. Animalia continue ducebantur ex Turcia - - & ex Bosna onusta sa-*

Turcorum in oppugnanda urbe conatus, & studia.

(1) WADINGUS Annal. Minor. Tom. XII. ad annum 1456.

Annus Christi 1456.

gittis, arcubus, & victualibus, nam abundabant camelis, bobus, & bubalis: animalia exiliora ligna portabant; currus ænei, ferrei, atque lignei, quibus cum maximo ingenio maximas bombardas traxerant, numero comprehendi non potuissent: tubæ, & alia sonorum instrumenta innumera erant. - - Molæ ad granum terendum, clibani ad panem decoquendum, vasa diversa ad eorum usum spectantia infinita erant; quæ omnia ex iis multo plura, non uno, sed pluribus diebus non sine maximis laboribus illuc adduxerunt. Canes etiam ad christianorum carnem vorandam - - advectasse relatu verissimo audivimus: equites, pedites, fossores, magistri bombardarum nobiliores, & potentiores ex omni dominio Turcarum illic erant electi. Vice imperator, qui cum primis exercitibus venerat, principes, ac proceres illic constituebantur cum tanto apparatu, ut non ad obsidendum castrum illud, sed ad expugnandam Hungariam, & alia regna tanquam victores se conferentes. Audivimus enim ex illis, qui fugerunt ad nos, ipsum maximum Turcarum imperatorem per suum prophetam Mahomet, & per salutem suam jurasse, se ad duos menses capta Hungaria, Budæ cænam habiturum; nesciens, quod omnia, quæ portare fecerat, ad utilitatem, & triumphum christianorum, ad Turcarum autem excidium, & confusionem erant cessura.

Hunyiades classem Turcicam in Danubio aggredi statuit.

Respondit præsagio eventus; primusque ad liberandam urbem gradus a navali prælio factus est. Cum enim, ut alias memoravimus, obsessis suppetiæ ferri non possent, nisi barbari, qui Danubium infesti tenebant, profligarentur, Hunyiadis, & Capistrani consilio classis ducentarum navium ad Salankamenum conflata est; his grandior una, tanquam prætoria, ab Hunyiade adjecta, quæ dum reliquæ aggressionem molirentur, ceteras a barbarorum missilibus tutas servaret. Simul arcis præfecto per litteras nunciatum, ut Lembos, quanto posset, numero cogeret, & ut primum classem in barbaros movere persensisset, ab littore itidem adverso alveo dimitteret, quo hostis in medio comprehensus, aut in fugam quod sperabat conjectus, aut internecione deletus nostris liberum ad urbem aditum præberet. Cecidit res ex sententia. Pridie idus Julias, quæ decima ab obsidione dies erat, classis ex adverso littore solvens in hostem ferebatur: Capistranus ripam cominus oberrabat, ut pugnaturis hortator adesset, Hunyiades delecto equitatus robore in proximum littus evadens hostium conatus observabat ex continente, ne aut laborantibus subsidio adesse, aut victi impune ad suos evadere possent.

Navale prælium.

Turci nostrorum naviculas appropinquare conspicati, risu primum, & contemtu eas acceperant, at ubi a nostris serio rem agi, concitatoque remis cursu in se ferri vident, connexis celeriter navibus, ne perrumpendi spacium nostris darent, defensioni se apparant, machinisque aliquamdiu eminus certant, quoad submissis ex urbe quadraginta navibus alea certaminis repente commutata est. Turcæ enim veriti ne utrinque circumvenirentur, soluta navium compaginatione sparsi prælium inibant, utque naves illis mole grandiores erant, cursuique haud satis idoneæ, ab nostris incredibili celeritate circumsepti statariam pugnam auspicari necesse fuit; qua cum barbari minime valerent, ingens inter eos cædes edita, Capistrano animos pugnantibus, circumacto ad ripam Christi vexillo, qua voce, quo nutu addente.

Nostrorum victoria.

Ita in quintam horam summa pertinacia extracta est dimicatio, donec nostri junctis viribus postremum connixi barbaros in apertam fugam egissent. Quingenti Turcæ cæsi, reliquis pene omnibus sauciis: tres ex majoribus naves sub ipso certaminis exitu aquis mersæ, quatuor in victorum potestatem venere, reliqua classis nostrorum machinis bellicis ita deformata, ut, postquam fuga se subduxerat, usui deinceps hostibus non esset: nostrorum jactura intra solam prætoriam, quæ naviculariorum incuria ignem concipiens, majore hostium metu, quam nostro damno in auras evolaverat, constitit.

Rei gestæ ab eo, qui pugnæ interfuit, narratio.

Rem Taliacatius, qui pugnæ spectator adfuit, ita narrat. (1) *Audiens autem pius pater (Capistranus) castrum bombardis horribiliter expugnari, & magis ac magis Turcarum animos immanissimos contra illud accendi, audiens etiam galeas ipsum jam transitum tenere, nec esse aditum ad castrum, nec posse alimenta obsessis terris mitti, neque præsidium dari, nec etiam eis subveniri, nisi prius Turcarum galeis fugatis*

ex

(1) Apud WADINGUM loco cit.

Annus Christi 1456.

ex Danubio, transitum recuperarent, consulit domino Joanni (de Hunyiad) eum sollicitans, ut quotquot naviculas ex vicinis partibus posset habere, in Salankamen faceret adunari, cui etiam operi ipse dominus prius vacaverat. Illico factum est: nam in paucis diebus quasi ducentæ naviculæ, ad usum hominum deputatæ, illuc conductæ sunt, quæ multis magistris adhibitis, ad impugnandum, & propugnandum extemplo sunt dispositæ. Replentur arculæ sagittis, balistis, sclopetis atque pixidibus: congeruntur saxa, fiunt propugnacula, victualia immittuntur, & electis, ac fortibus cruce signatis replentur: quibus præco Dei post exhortationem factam ad defensionem fidei christianæ, & plenariam remissionem omnium peccatorum, & ad martyrium, non aliud, quam nomen Jesu invocandum, & acclamandum tam in aqua, quam in terra præcepit. Monent utrique Joannes nocturno tempore, non sine periculo Turcarum, castellanos, ut feria quarta proxima futura, videlicet die decima quarta mensis (Julii) quot possent, naves parent, atque disponant, &, cum ipsos descendentes ad talem locum viderint, etiam ipsi cum dictis navibus ascendant. Qui confestim quadraginta naviculas coaptant, & eas solum civibus tribuunt gubernandas, nam licet hujusmodi cives sint Schismatici, sunt tamen inimicissimi Turcis, & ab eis magis, quam ab aliis timent; sunt etiam doctissimi sagittarii, nec terga vertunt. Istis igitur dictæ naves completæ fuerunt. Ipse autem dominus Joannes, quia non confidens in tali navicularum apparatu, tam superiorum, quam inferiorum, disponit unam maximam navem, quasi rectricem, conservatricem, & coadjutricem omnium aliarum, replens eam armis, plumbis, munitionibus, & personis suæ familiæ. In hac tota spes posita erat, in hac confidentia, & omnis securitas ponebatur. Quibus omnibus dispositis cum dies statuta advenisset, superiores naviculæ sic armatæ versus Turcas sic animose descendere incipiunt, post quas non remote ducitur navis magna, custos, protectrix, & auxiliatrix. Præcedit pater patronus cruce signatorum secus Danubium, inde omnibus pro confidentia ingerenda visibilis apparet. Petrus autem nobilis vir, vexillum illius alacriter ferebat. Ipse vero dominus Joannes remotius cum nonnullis equitibus ad custodiam navicularum per terram descendebat. Quas cum Turcæ vidissent, irridentes illas, strinxerunt se & in modum pontis fortissimi firmaverunt se invicem colligantes, parantque se ad resistendum, credentes illas omnino lucrari. Naviculæ autem civitatis, visis superioribus, jam rite, celeriter, & animose ascendere coeperunt. Jam fremente intra se patre athleta, & nomen Jesu invocante, incipiunt christiani bellum. Dominus autem Joannes potenter, & astute advertebat, ne subsidium ex castris Turcarum ad galeas mitteretur, aut ne Turcæ de aqua saltantes terram occuparent, aut etiam ne per terram evaderent. Resistunt Turcæ Christianis, nec unus ab altero solvitur. Pater beatus ad litus manens crucem vexilli in faciem ipsorum dirigebat, quasi diceret, ecce crucem domini, fugite partes adversæ, discurrens hinc inde in modum robustissimi juvenis, & invocans sanctissimum nomen Jesu. Supervenientibus autem ex civitate navibus quadraginta, undique Turcæ vallantur, undique naviculis cinguntur, undique etiam ab eis molestantur. Quibus solutis, & involuntarie ab invicem separatis, jam veniunt ad manus: resonant maximi strepitus, sclopetæ, & pixides utrinque exploduntur, voces, ac clamores ad cælum dantur, ensibus, & gladiis, ac lapidibus se se mutuo percutiunt, beatissimo patre orante manibus junctis, ac oculis ad cælum elevatis, ut ipse Deus causam suam tueri dignaretur, invocando nomen Jesu in auxilium christianorum. Oratio etiam in castro fiebat assidue. Solvuntur Turcarum galeæ, sparguntur per Danubium, impetuntur balistis, arcubus, atque spingardis, sicque per spatium quinque horarum duravit bellum tam atrox in flumine. Quid multis immoror? finito bello visæ sunt tres magnæ Turcarum galeæ suffocatæ cum personis, quatuor captæ, cum omnibus munitionibus, & ornamentis earum; reliquæ autem galeæ, remigantes velociter descenderunt ad locum, ubi prius steterant, personis fere omnibus vulneratis ad mortem. Suffocati sunt Turcæ ultra quingentos, quæ autem superfuerunt galeæ, ita debilitatæ fuerunt, quod nunquam amplius christianis obesse, nec Turcis prodesse potuerunt.

Didita victoriæ fama pontifex Cæsarem ad ferendas Hungaris suppetias hortatur.

Obtentæ de barbaris victoriæ fama paulum post per Hungariam didita, plane tum in Austria quoque secundis rumoribus vulgata est, cum litteræ a Callisto ponti-

Annus Christi 1456.

fice ad Fridericum afferrentur, quibus si permoveri animus imperatoris potuisset, dubium nulli erat, quin hostes maxima clade affecti ex Europa proturbari potuerint. Sic autem habebant. (1)

Charissimo in Christo filio, Friderico D. Gratia Rom. imperatori.

Litterarum tenor.

„ Quamquam pluribus modis tua Serenitas intelligere potuerit, flagrantissimum, & inenarrabile desiderium nostrum ad vindicandas injurias sacrosanctæ religioni a perfidis Turcis illatas, credamusque Celsitudinem tuam ad succurrendum fidei paratissimam esse, tamen quia in horas pro tam sancto opere ignescit, & accenditur cor nostrum, & hæc unica cura menti nostræ sedet infixa, facere non possumus, quin continue universos catholicos, principesque ad tam salutare, tam sanctum, tam denique divinum opus excitemus, & excitatos rursus, atque iterum admoneamus. Vellemus equidem, ut liceret universis Christi fidelibus introspicere intima cordis nostri, & videre vivacem curam, quæ torquet viscera nostra, cum in bis cogitationibus sine aliqua intermissione versamur, cupimus enim, & plus quam credibile cuiquam esse possit, optamus huic perfido cani Turco ire obviam, ejusque furorem comprimere, ac rabidam sitim christiani sanguinis exstinguere. Ingemiscimus continue, nec possumus continere lacrimas, quoties hic satanæ filius nobis venit in mentem; sed dulcis quædam passio urit sensus nostros: speramus quippe, immo divino quodam præsagio confirmare posse videmur, hanc immensam gloriam, & triumphum fidei, tempori nostro ab immortali Deo reservari, ut acerrimum hostem christiani nominis desolatum, eradicatumque videamus. Ad te autem charissime fili, quem sanctæ religioni christianæ & debere, & posse subvenire intelligimus, iterato recurrimus, & ut eum, in quo potissima spes nostra nititur, hortamur, &, quanta possumus cum affectione, requirimus, ut jam, quia tempus instat, potentiam tuam excitare velis, & causæ divinæ patrocinium suscipere, quæ tuis in progenitoribus firmissimum subsidium semper habuit. Occurrendum est hosti, ne per mala nostra invalescens execrandi propositi sui, proculcandæ fidei christianæ compos fiat. Si primus ejus furor comprimitur, faciles erunt christianis ad reliqua successus. Sin prævalere ejus rabies ex nostra negligentia coeperit, timendum est, ne quod in tempore neglectum fuerit, totius populi christiani luctu, miseriaque plectatur. Jam enim in faucibus Hungariæ perditissimum ipsum Turcum cum suo exercitu esse intelleximus eo animo, ut, regni illius viribus edomitis, facilius possit reliquam pessumdare christianitatem. Quod cum ex litteris dilecti filii Joannis, S. Angeli diaconi cardinalis, legati apostolici, nobis nunciatum esset, statim classem nostram emisimus, & legatus noster in mari est, & properat quam celerrime versus Constantinopolim navigare, & hostium littora invadere, ut eorum copiæ necessario distrahantur, & minuantur, dum suis ad maritima loca laborantibus auxilio subvenire volent. Quod consilium quia utilissimum, probabilissimumque visum est, in acceleranda dicta classe nostra incredibilem curam adhibuimus, etiam cum distractione auri, argenti, & jocalium nostrorum, quæ omnia in præsentiarum exponimus. Atque utinam! ut tanta strages, & opprobrium fidei orthodoxæ cessaret, captivitas personæ nostræ sufficeret, quam libenter offerimus, novit Deus. Hæc cum fletu, & lacrimis tibi præsertim, & aliis Christi fidelibus intimamus, hortamurque, & precamur tuam Celsitudinem, ut non deficias cum tuo exercitu in Hungariam proficisci, teque, charissimo in Christo filio nostro, Ladislao regi illustri adjungere, ut utriusque viribus unitis terrestri pugna barbari conficiantur, & profligentur, eodemque tempore terræ ipsarum maritimæ a classe nostra vastentur. Datum Romæ - - MCCCCLVI. pontificatus nostri anno secundo.

Hæc

(1) Raynald. Annal. eccles. Tom. X. ad an. 1456.

Annus Christi 1456

Victores novam urbem, & arci præsidium imponunt.

Hæc pontifex, veluti de nuperna victoria divinitus multo antea edoctus fuisset. Fridericus tamen, quamquam copias eum babere constabat, deses in Stiria restitit, sive accepto victoriæ nuncio supervacaneam suam esse operam arbitraretur, seu, quod potius reor, & ad annum certis indiciis planum fiet, clandestinæ inimicitiæ, quas cum Ladislao aluerat, in causa fuere, quo minus Callisto, ut optabat, morem gereret. Utcunque id fit; nostri profligata barbarorum classe læti, imposito navibus commeatu, urbi succedentes, nova cruce signatorum supplementa obsessis auxilio attulerant. Accepti sunt ab Michaele Országio incredibili lætitia, quod muri magnam partem barbarorum machinis labefactati, ægre sine subsidiariis cobortibus jam defendi posse viderentur. Hunyiades ante omnia fauciis militibus integros substituere, mœnia, qua parte vitium traxerant, instaurare, novaque opera ex ritu militari coagmentata hosti objicere, ut, si minus urbem ea ratione servaret, defensionem certe eousque protraheret, quoad major pugnatorum numerus, ut ex litteris legati apostolici haud ita dudum Buda ad se datis intellexerat, conflueret, quorum virtute barbari penitus ab obsidione, conserto prælio abigi possent. Rebus ita procuratis ipse cum Capistrano Semlinum concessit; est id oppidum in adversa Savi fluminis ripa situm, Belgradoque objectum, ex quo non modo obsidentium conatus, & defendentium studia cominus intueri, sed affuturos etiam propediem cruce signatos in ordines ac manipulos, ut res, & periculum postularet, discernere quiret. Neque multo post sexaginta ex iis millia affuere, plus ab animo, quam armis ad pugnandum comparati, plerique exteri, perpauci, quorum res agebatur, ex Hungaris. *Licet boc in loco*, scribit rursum Taliacatius, *tam copiosus populus convenirет, nullus de baronibus illic comparuit, præter illustrem, & præclaram dominum Joannem gubernatorem regni, ut dictum est, cum sua familia. - - - Adstitit & ille magnificus baro dominus Joannes de Korogh, comes perpetuus de castellis, & Banus Macbovienfis, nec non comitatuum de Orbán, & de Poſéga comes. Hic enim ratione Banatus illuc adventavit cum nonnullis equitibus, erat enim Nandor alba sub Banatu suo: bic magnum fervorem ostendebat, vir sani consilii, & optimæ discretionis, ac devotionis. De nobilibus & clientibus, licet multi essent crucis charactere insigniti, quia mos est in Hungaria eos sub eorum dominis ad militiam proficisci, non venientibus, nullus eorum venit, sed, ut sanus dicam, perpauci comparuerunt, sed omnes, qui convenerant, erant populares, rustici, pauperes, sacerdotes, clerici, scolares, studentes monacbi, fratres diversæ religionis mendicantes, personæ tertii ordinis sancti Francisci, eremitæ, inter quos pauca arma vidisses; non equos, nisi pro deferendis victualibus; non lanceas, ibi vidimus, nisi apud eos, qui loricis se operirent; videbanturque tanquam David armatus contra Goliath, abundabant gladiis, fustibus, fundis, baculis sicut pastores: erant inter eos balistæ, arcus, sclopeti, spingardæ, plumbatæ, uncini ferrei ad rapiendum. O si vidisses quemdam priorem ordinis eremitarum cum septem fratribus sui conventus, qui zelo fidei, & amore martyrii flagrantes plicato babitu, accincti gladiis, galeis protecti, cum scuto ad bumeros, quomodo currebant ad martyrium, præ devotione flevisses.* (1)

Et nova ex cruce signatis supplementa accipiunt.

Inconditam banc multitudinem Semlini consistere jussit Hunyiades, armisque in patentissimo campo, qui Turcorum castris objectus erat, naviter exerceri, sive metum barbaris ea specie objicere voluit, seu ritu militari sensim condocefactos reipsa in hostem educere.

Turci novam aggressionem moliti castro exteriori potiuntur.

Interea barbari nec nuperna victoria fracti, nec tam ingenti confluentium cbristianorum numero territi ab cœptis destitere; sed tanto acrius expugnandæ urbi incubuerant, quanto frequentioribus indies nunciis certiores reddebantur, classe pontificia Hellespontum jam teneri, factaque excensione maritima oppida, urbesque infestari. Itaque omnibus viribus connixi, die, nocteque machinis urbem quatiunt, factaque ingenti murorum ruina, XII. calendas Augusti sub noctis crepusculum in mœnia defensoribus pene nudata insiliunt, brevique, non fine maxima suorum cæde, exteriori castro potiuntur. Cognito periculo, cum

(1) Apud Wadingum loco cit.

Annus Christi 1456.

cum ipse quoque Hunyiades exiguam conservandæ urbis spem baberet, præfectique arcis convasatis rebus Savum trajicere parant, Capistranus coactis summa celeritate novis cruce signatorum suppetiis, pontem, per quem ad interiorem urbem aditus erat, occupat, paucisque, ut pro fide, & religione fortiter, impigreque dimicarent, cohortatus, omnem barbarorum colluviem, quæ in pontem evadere moliebatur, acerrime sustinet. Extracta est ingenti fortitudine pugna ad sequentis diei diluculum, cumque hostes sessis integros crebro subrogarent, & barbari spe victoriæ incensi, fossas confertissimi ingrederentur, conclamatum de nostris videbatur, nisi paucorum consilio, divinitus, ut credibile est, indito, discrimini erepti essent. Nam cum prælium maxime serveret, neque cruce signati dimicatione jam lassati barbaris sustinendis pares essent, congestam celeriter materiam, ignique sufflaminatam in fossas pervolvunt; quæ cum opinione citius quaquaversum flammas spargeret, Turci toto corpore ustulati segnius primum, magisque cum igne, quam boste pugnare, tum propagato latissime incendio in apertam fugam agi. Quos sumtis denuo animis cruce signati temere magis, quam ex militari norma consecuti, edita ingenti strage, extra muros, extimamque urbem feliciter ejecere. Ita urbs præsenti periculo erepta est.

Ope tamen divina, & nostrorum virtute rejecti.

Qua utrinque jactura pugnatum sit, laudatus sæpe a nobis Taliacotius prolixe perhibet, eandemque Turcorum impressionem his coloribus adumbrat. (1) *Muri primi majoris castri penitus solo æquabantur, licet aliquæ turrium particulæ adbuc restarent minandæ*, id est, actis cuniculis suffodiendæ: *turres aliorum castrorum, licet ex ictibus bombardarum valde læsæ fuissent, non tamen ceciderant. Hanc primam planiciem jam Turcæ turmatim intrabant, cum maxima tamen cæde, & percussione ipsorum: christiani vero non propter bæc loca eis designata relinquebant, sed, licet remissius solito se baberent, non cessabant in boc introitu magnum de Turcis facere macellum, maximamque stragem. Jam sunt in castri exterioris planicie fere septingenti Turcæ, qui juvabantur a supervenientibus, jamjam castrum se babere credunt, jam super diversas murorum ruinas figunt banderia; jam evocant exteriorem, jam validissime clamant, christicolis de loco non recedentibus, qui viriliter resistunt, pugnam restaurant, impediuntque pro viribus Turcis introitum. Quod videntes dominus Michael, dictique nobiles, simul & bomines domini Joannis, omnibus bonis, quæ erant in castro interiori, in navibus positis, se ipsos per portam posteriorem castri minoris salvare satagunt. - - Sicque castrum tam interius, quam exterius soli cruce signati possidebant, & tuebantur: multiplicabantur tamen Turcæ in primo castro, licet multi a cruce signatis in ipso ingressu occiderentur. Dominus autem Joannes (de Hunyiad) audiens jam Turcas castrum intrasse, & ex boc jam ipsum esse derelictum, concitus, ac mæstus dicit beato Patri: beu jam castrum derelictum est, jam Turcæ, ut ego semper dixi, possident illud. Pater autem eum confortans, ac silentio ab eo recedens, iterum multa millia cruciferorum elegit, ac illos secum ducens in castrum per portam posteriorem intromisit, animans eos ad constantiam. Quo facto illico ad exercitum rediens, omnes ad expeditionem posuit, ac eos vigilare, & orare præcepit; ipse autem oratione vocali, & mentali causam Dei ipsi Deo sollicite commendabat. Cum autem Turcæ jam in ipsa primi castri planicie multiplicati essent, viderentque castrum ipsum solum ab inermi populo possideri, credentes jam primum ab eis occupatum, irruunt in pontem, qui non erat elevatus, ut secundum castrum possent occupare, nam alia via, quam per pontem, ad illud ire non poterant. Adsunt & cruce signati interiores, maxime illi, quos ipse Pater paulo ante introduxerat, fortissime eis resistentes: illi autem cruce signati, qui per circuitum primi castri erant, firmi manebant, percussioni, & neci Turcarum insistentes. In boc siquidem pontis ingressu acerrima pugna commissa est, maximusque conflictus. Cum autem circa auroram cruce signati, qui in circuitu castri exterioris erant, viderent & audirent acerrimam pugnam fieri in ponte, & jam maximam Turcarum multitudinem esse in planicie, & jam fossata Turcis plenissima viderent, cresceretque festinanter numerus intrantium, ac pro boc timerent, non posse eis amplius obsistere, a Spiritu Sancto edo-*

Qua id ratione evenerit.

cti

(1) Ibidem

Eti arripiunt innumeros lignaminum, virgarum, viminum, ac aliorum combustibilium fasciculos sulphureo igne accensos, & ignitos super Turcas tam in fossatis stantes, quam per ruinas ascendentes, pariter quasi una manu projiciunt, ac si omnes fasciculos dictos unica manu tenuissent. O Deus omnipotens! nullus potuit fugere a facie ignis: omnes, qui erant in fossatis, qui enumerari minime potuissent, igne consumti sunt, nec unus eorum vivus remansit: qui descensuri erant ad fossata, omnes pavidi retro cesserunt, qui autem in castro erant, & qui pontem occupare acerrima illa pugna nitebantur, videntes se maximi ignis flammis undique vallatos, dimissa pugna, castrum egredi cum maximo clamore satagebant, qui cum timore, & quadam cæcitate percussi, & confusione pleni crederent se evasuros, & de muris saltare, prosiliebant in ignem, consumtique ibidem remanebant; reliqui vero, qui talem saltum facere pertimescebant, a cruce signatis in planicie primi castri trucidati sunt. Qui autem adhuc in fossata non descenderunt, & qui diabolica instrumenta intrantibus ministrabant, mugitus ad cælum dantes, ad loca bombardarum, tanquam ad arcem tutissimam currendo se contulerunt. Annus Christi 1456.

Quibus visis jam omnia Turcarum castra tristitia complentur, eorum conteritur audacia, superbiaque dejicitur, jam non desunt, qui dicant inter eos: recedamus, quia Deus christianorum pugnat pro eis. - - Hanc tam gloriosam castri liberationem, & victoriam navalem, quæ præter omnem humani sensus prudentiam, & rationem Deus fecit - - non nisi meritis ipsius beatissimi patris omnes debent adscribere, cujus felici prudentia, solertia, cura, persuasione, confidentia, & ferventissima oratione actum est, ut tam Hungaria, quam aliæ nationes christianorum a manibus Turcarum liberarentur: nam si ipsum castrum ad ipsorum manus devenisset, primo Hungariam, deinde alias nationes procul dubio occupassent. Fit maxima lætitia in castro, & in castris christianorum: redeunt, qui castrum relinquerant, Michael animum resumsit, & alii novam induunt constantiam, & fortitudinem. - - - Lucescente autem clarius die apparent Turcæ combusti simul, & trucidati, apparet cruor undique sparsus, fossataque cadaverum cumulis plena videntur, & in minimo spacio multos igne consumtos vidisses, nec præ multitudine cadaverum liber transitus, sive aditus erat. Hic potentiores, hic audaciores Turcæ profecto occubuerunt. Christianorum autem vix sexaginta coronam martyrii pro Christo adepti sunt; multo plures vulnerati, ac percussi extiterunt, nec mirum, nam tam acerrime, tam constanter, tamque indefesse cum Turcis pugnaverunt inermes, & inscii nisi quantum desuper ministrabatur: quod si omnes interfecti fuissent, nulli sanæ mentis mirum esse deberet, ipsi enim muri, ipsi turres, ipsi propugnacula castri erant. Neque injuria profligatos a nostris barbaros prodigio simile visum est, quod male ab armis comparati, nec eorum tractandorum satis gnari essent, ut adeo arcis præfecti, ex humanæ, & militaris prudentiæ legibus Turcarum impetus haud sustineri posse ipsi censerent.

Hunyiades ejectis ex castro barbaris, veritus, ne clade irritati majoribus, quam antea copiis, redirent, ruinas murorum acerrime custodiri jussit, fortissimosque ex cruce signatis, qui prioribus subsidio essent, in propinquo locat, diserte vetans, nequis extra muros egredi ausit, qui contra facerent, morte multatum iri edixit. Neque tamen ut ut consilium tempori accommodum fuerit, jubenti obtemperatum est. Pauci victoriæ prioris dulcedine illecti, urbe, contra quam imperatum est, elapsi cum Turcis temere extra castra oberrantibus congressi manus conferebant. Quæ res cum in principio temeritatis plena videretur, nobilissimam in exitu victoriam peperit. Cum enim Turci fugam aut arriperent, aut simularent, exciti ex castro reliqui, quoque brevi ad tria pugnatorum millia conflarunt. Quo cognito Capistranus, altiore stimulo actus, medium se se illis ingerit, Christique simulacrum manu tenens recta in hostem profectus ad eum locum defertur, ex quo machinis barbari urbem acerrime impetebant: eo citra dimicationem potitus, Turcisque metu divinitus immisso fugientibus ad aliam stationem quoque, tormentis bellicis, refertissimam, venit, eademque facilitate capit: hunc in modum edita a cruce signatis ingenti cæde, ad præ- *Oborto forte fortuna prælio.*

Annus Christi 1456.

prætorium Turcici imperatoris perventum: ubi quod id vallis, aliisque operibus fortissime communitum esset, acrius aliquanto obortum est prælium, virtute tamen nostrorum, & Capistrani adhortationibus eousque protractum, donec barbari panico terrore correpti, relictis castris, & impedimentis in effusissimam fugam acti, urbem obsidione, christianos metu solvissent. Cæsa sunt eo prælio barbarorum viginti, & quatuor millia: ipse Mahometus vulnere perstrictus ægre salutem, periculo ab suis subductus, reperit. Quæ res quoniam fidem pene superare videtur, præsertim si & nostrorum, qui exili prorsus numero pugnam inierant, & barbarorum citra dimicationem fugientium rationem habeamus, nequis id a me exauctum esse putet, juvat ejusdem Taliacotii, qui pugnæ huic itidem aderat, narrationem in medium afferre. (1)

Capistrani hortatu victi barbari, læso suorum imperatore obsidionem solvunt.

In tertia, ait, *extra castrum in maximo campo victoria, multo mirabilior, quam in primis duabus, Dei omnipotentia apparuit. - - - Post castri liberationem optimus gubernator, & defensor regni Joannes ne gloria verteretur in confusionem, jubet domino Michaeli, ne aliquem castrum exire, & contra Turcas ire permittat, jubet & nautis, sub pœna capitis, ne per Danubium, aut per Savum aliquem transvehant, timens, ne tam magna populorum multitudo, inermis, & indocta a furiosissimis Turcis, jam in rabiem, & desperationem conversis perderetur, credens etiam Turcas iterum ad castrum expugnandum venturos. - - - Venit interea beatissimus Capitaneus (a Capistrano) suo præeunte vexillo, cum omni exercitu cruce signatorum, cum omnibus vexillis elevatis, non sine variis sonis, strepitibus, altissimis acclamationibus nominis Jesu, constituunturque omnes in campo juxta Savum, & Danubium, præcise ubi Savus intrat Danubium: illic figuntur vexilla, acclamatur in Turcas, terror maximus invasit Turcas. Videntur interea extra castrum forte quinque cruce signati, arculis, sagittisque muniti, contra quos irruit maxima Turcarum multitudo equestris, cum lanceis protensis: illi autem super quodam terrarum acervo stantes tensis arcubus Turcas sagittis repellebant; at illi terga vertentes ictibus sagittarum confossi cum confusione suos repetebant. Alii idem tentantes, ad acclamationem nominis Jesu, quæ fiebat a beatissimo patre, omnibus respondentibus, aut cadebant de equis, aut ex eorum manibus lanceæ laxabantur, aut equi se se ad terram sub eis prostrabant. - - - Exeunt & complures alii, inscio castellano, qui licet appropinquarent Turcis, non tamen lædebantur, sed securi ante Turcarum oculos deambulare videbantur. Quos intrepide egredientes, ac sic ante arma Turcarum illæsos manentes, licet homines apparuerint, alii judicarunt illos fuisse Angelos, indicantes christianis victoriam de Turcis reportandam, ac eosdem allicientes illo die ad pugnam. Beatus autem pater, rector populi Dei, prædicta prospectans, licet mirum in modum ferveret ad martyrium, revocabat illos, videns præparari a Turcis insidias. Sed cum nihil proficeret, dixit: hæc est dies illa victoriæ, quam expectamus; transeamus, & ascendamus, ne timeatis populum Dei inimicum. - - Sicque assumtis secum duobus fratribus, & nobili viro, Petro vexillifero, navicula per duos nautas ad aliam partem fluminis Savi, in qua Turcæ manebant, pater se fecit deportari. Hic stupendissimum miraculum notandum est; cum enim ipse solus cum - - - fratre Joanne de Taliacotio* (atque hic idem fuit, ex quo narrationem hactenus promsimus) *& fratre Ambrosio Aquitano per parvam transirent naviculam, visum est Turcis innumeram multitudinem contra eos transisse, cum in rei veritate solum essent sex personæ. - - - Cum autem ut præfertur, transiisset, incipit cum supra dictis duobus fratribus, & vexillifero de flumine ad fossata castri ascendere pedes, jejunus, immo plures dies exiguo cibo nutritus, fessus labore, nam tota nocte hinc inde discurrerat, compressus vigilia, multis enim diebus & noctibus neque cibum, nisi sicut puerulus, neque quidquam quietis sumserat. Hora erat quasi sexta, quem cum vidissent, qui extra castrum manebant, & qui primo exiverant, mox læti tanquam ad patrem currunt: quod cum vidissent, qui erant in castro, licet exitus propter præceptum eis non pateret, nonnulli tamen per ruinas, aliqui per foramina murorum, aliqui subtus portam ad beatum patrem se conferebant; sicque multi ipsi patri junguntur; qui primo* ad

(1) apud eundem ibidem.

ad fossata accedens, vidit mirabilia, quæ tam in nocte, quam in mane facta sunt - - - & junctis manibus, & oculis sursum elevatis magnificabat Deum, sibi gratias referendo, & sæpe dicebat: qui dedit incipere, dabit & perficere. Constituitur demum inter castrum seu fossata castri, & bombardas: quem cum Turcæ viderent, magis ac magis timere videbantur, stringentes se ad loca mansionum, & ad ipsorum imperatorem, & ad bombardas, parantque se ad defendendum, si forte christiani vellent aut eos invadere, aut bombardas ab eis aufferre. - - - Continue tamen crescebat numerus cruce signatorum ad patrem venientium, nec poterant retineri, quin quasi forte duo millia ex ipsis patri juncta sint. - - - Cum autem ipse pater, ductor exercitus Dei, prædictam cruce signatorum multitudinem sibi junctam videret, sciens, quod non in multitudine exercitus victoria belli, sed de Cœlo fortitudo est, vexillo præcedente ad primam bombardarum stationem lento gradu pedester, sustentatus baculo quodam, in quo designatum est nomen IEsu - - - fatigatus ex tam diutino labore, & vigilia continua, discoopertus capite cano, fortissime acclamando nomen JEsu, primus ire coepit; quem sequebantur forte mille homines cruce signati, quos cum Turcæ, qui ad primas stabant, viderent & audirent, territi inde recedentes ad secundas confugerunt, sicque primæ bombardæ obtentæ sunt, & captæ. - - - Quibus occupatis ad has ipse Turcarum spoliator indefessus proficiscitur: similiter Turcæ non valentes nomen JEsu, neque patrem, neque vexillum perferre, sine resistentia, ad tertias se se contulerunt. Pater autem similis leoni factus in operibus suis, post ingentis lætitiæ signa præ oculis Turcarum ostensa, ad tertias, quæ diversis erant munitæ custodiis, proficiscitur, in quarum statione pro earum custodia pixides, & varia machinamenta servata erant: eratque hæc statio undique fossis, vallo, & terrarum congerie fortissime circumsepta: at ipse capitaneus intrepidus advocatis pluribus ad direptionem, & ad lucra animans, vexillo præeunte, cum clamore valido nominis JEsu, ad tertias tendit; quem cum Turcæ miseri viderent, sine resistentia obstrusis foraminibus cum clavis ferreis, vociferantes, ac si sibi maledicerent, relictis bombardis, & multis aliis, quæ scribi non possent, ad eorum imperatorem lamentabiles redierunt.

Annus Christi 1456.

Hæc iisdem prorsus verbis Taliacotius: de cæsis autem barbaris, & Mahumeti vulnere, Nicolaus de Fara, pugnæ itidem spectator, & Capistrani socius, in hæc verba subdit. (1) *Fortissima enim cæde percussi, terroreque ingentissimo, miserabili acclamatione nominis JEsu consternati, dissolutis castris, relictisque viginti quatuor millibus interfectis, relictis multis maximis machinis, & bellicis instrumentis, mirabili artificio exstructis, in fugam se turpissime dantes per viam, qua læti venerant, mæsti cum centum & amplius vulneratorum curribus ad propria rediere. - - Tantus namque terror eos invaserat, ut timentes, ne facies terræ in eorum oculis periret, nihil præter fugam cogitarent. Videbatur quippe illis maximas militum copias a tergo sentire, cum re vera nullus christianorum planiciem, ubi atrocissimum bellum commissum est, postremum egressus fuerit: neque in bello totus christianus exercitus fuit, sed juxta quinque millia, & ut quidam affirmant, tria millia exstitere, qui victoriam fecerunt. Quis igitur audivit unquam bellum tale? aut quis vidit huic simile ut pauci admodum agricolæ, fossores, & aratores fere inermes, multitudinem tantam interimerent, copiamque tantam vulnerarent? multi quidem ex nobilioribus Turcarum ciciderunt: Imperator etiam eorum in latere sinistro, sclopeto percussus præ nimia doloris rabie dentibus stridebat suis:* & communi suorum fuga abreptus liberatæ urbis laudem Deo, & christianis permisit.

Victoria Dei ope relata creditur.

Hic exitus obsessæ, defensæque urbis fuit: cujus narrationem tametsi Bonfinius elegantissime complexus sit, malui tamen rerum gestarum seriem ex iis, qui præliis per se se aderant, quam ex illo depromere, quem constat multa ex suo historiarum narrationibus adjicere solitum esse. Ceterum, ut prodigium, quo liberatam divinitus urbem plerique scriptores consentiunt, inficiari nefas duco, ita multum quoque virtuti humanæ tribuendum reor, putoque permagnum ad postremam victoriam momentum ab Hunyiade collatum esse. Postquam enim

Hunyiadis ad eam accelerandam conatus.

(1) Ibidem.

Annus Christi 1456.

cruce signati contra, quam jussum erat, Capistrano duce in hostem movissent, credibile est, Hunyiadem, ne inconditam multitudinem barbaris destitueret, præsertim visis secundæ pugnæ auspiciis, alia parte cum suis erupisse, hostique ab tergo, latereque circumfusum, ut barbari fugam citius capesserent, haud sane minimum adlaborasse: quæ res ab religiosis viris, qui Capistrano socii erant, & liberatæ urbis narrationem in commentarios retulerunt, magno ab Hunyiade intervallo divisis, ut ignorari in conserto isthic prælio facile potuit, ita neque deinceps in litteras referri. Cur ita sentiam, moveor in primis Nicolai de Fara testimonio, qui Turcos eam ob causam præcipue in fugam actos commemorat, quod metu instantium ab tergo militum corripi viderentur: tum ipsius Hunyiadis data ad Ladislaum regem, haud multo post liberatam urbem epistola, qua non modo fusos, fugatosque feliciter barbaros significat, sed quæcunque præterea res gestæ essent, ita singilatim discernit, ut eum præliis omnibus non tantum præfuisse, sed, quod aliqui tamen inficiari pergunt, interfuisse etiam, facilis prorsus conjectura sit. Litteræ in hæc verba habent. (1)

Et scriptæ ad regem propterea litteræ.

„ Serenissimo principi, & domino, domino Ladislao, Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. regi, Austriæ quoque, & Stiriæ duci, nec non marchioni Moraviæ, domino nostro gratiosissimo, eximiæ vestræ Serenitatis fidelis procurator Joannes de Hunyiad, comes Bistricensis. Serenissime princeps! domine noster gratiosissime! post servitiorum meorum humillimam recommendationem. Per prius etiam scripsisse recolimus, quomodo, & qualiter imperator Turcorum, cum qualibus injuriis hoc castrum Nandoralbense obsederat, ut nunquam talia ingenia oculi hominis viderint, nec animus hominum cogitare potuisset. In tantum enim ipsum castrum vestræ serenitatis cum bombardis destruere fecit, usque ad terram simul cum fossato, quod ipsum castrum non possum dicere castrum, sed campum. Nos enim cum nostro proprio capite fuimus in ipso castro ab initio, & etiam tempore expugnationis, & nunc sumus. Tandem facto, & destructo ipso castro, ipse imperator Turcorum post horam vespertinam feria quarta incipiens circa ipsum castrum pugnam manualem vulgo sturmam, incepit in tantum, ut per totam noctem, & feria quinta usque ad horam prandii duraverit ita, ut duabus vicibus cum ipsis Turcis in ipso castro interius facie ad faciem pugnavimus, sicut in uno campo, propter factionem, & destructionem muri, quos semper vicimus Deo concedente. Tandem contra ipsos Turcos, Deo auxiliante, extra irruimus, & insurreximus, quod ipsum imperatorem Turcorum de sub castro prædicto, & campo ejecerimus tanquam debellatum, etiam quod bombardas suas, Deo concedente, obtinuerimus: cum ipso quoque feria quinta ante sero pugnam habuimus. Tandem ipse imperator Turcorum de nocte confuse, & cum magna verecundia abinde in fugam se convertit. Itaque nunquam alias imperator Turcorum in tanta destructione fuit, sicut nunc est, & in tanta verecundia, quod in chronicis non legitur. Sciat etiam vestra Serenitas, quod major pars peditum suorum est debellata: alii etiam capitales, & principales homines sui manserunt sub hoc castro interfecti. In hominibus, & familiaribus magnum damnum habemus per ipsos inimicos. Pro eo ita sciat vestra Serenitas, quod ad præsens ipse imperator Turcorum tam maxime est destructus, & confusus, ut, si contra ipsum insurgerent christiani, prout motum erat, ex tunc Deo concedente totum regnum Turciæ obtinere possent valde leviter, quia omnem suam potentiam ipse amisit sub hoc castro. Per prius enim ante prædictam pugnam, cum galeris pugnam habuimus in aqua: ex quibus galeris quam plures obtinuimus; quæ enim ex ipsis remanserunt, dum contra ipsas prædicta feria quinta pugnaturi videbamur, mox se fe in fugam converterunt, & de eisdem salientes igne comburi fecerunt. Licet etiam vestra Serenitas omnibus scripserit, exercitualiter penes nos pro defensione regni vestræ Serenitatis venire, sciat tamen vestra Serenitas, quatenus penes nos

(1) Ex codic. Mſ. Mellicienſi num. 78.

„ nos solum fuerunt homines cruce signati, & Joannes de Korogh. Proinde petimus vestram Serenitatem diligenter, quatenus velit mittere unum servum fidelem, & certum hominem Teutonem, qui videat destructionem, & factionem castri prædicti vestræ Serenitatis, deque ipso quoque castro vestra Serenitas nos informet, quid sumus de eo facturi, quia non possumus dicere esse castrum. Nos quoque promti, & parati sumus illam fidelitatem vestræ Serenitatis observare, quam promisimus, & nunc promittimus. Datum in Nandoralba sabatho proximo ante festum beati Jacobi Apostoli, Anno Domini MCCCCLVI.

Annus Christi 1456.

Satis, ut arbitror, ex his litteris aperte conficitur, opinionem nostram, quam supra in medium protulimus, confirmari, ut adeo veri sit simillimum, eos, qui Hunyiadem a postremo prælio absuisse scribunt, haud satis apposite ad fidem humanam existimare. Ejusdem fere argumenti litteras Capistranus ad pontificem, ipso, quo victoriam ex barbaris retulimus, die in hæc verba semel, iterumque dedit. (1)

Beatissimo Patri, & Domino Callisto IIItio.

Beatissime pater! post pedum oscula beatorum, gaudium, & exultationem. Gloria in altissimis Deo, a cujus misericordia provenit, quod non sumus consumti. In tanta enim eramus tribulatione atque in tantis angustiis constituti, ut omnes putavesint, non posse amplius resisti Turcarum potentiæ, atque ipse dux Hunyiades, revera Turcarum terror, & fortissimus christianorum propugnator, judicaverit deserendum esse castrum Nandoralbæ, ita enim fortiter, & incessanter expugnabant arcem serissimi Mahumetani, & tot machinis muros diruebant, adeoque terribiliter contra nostros pugnabant, ut jam vires nostræ defecerint, & præcipui milites fuerint consternati. Sed in medio tribulationis vivificavit nos Dominus, nam ab urbe expulsi, cum dolose recederent serissimi inimici, ut nostris exeuntibus pararent insidias, etsi dominus Hunyiades jusserit, ne ullus ex nostris militibus castrum exiret, non curaverunt tamen de præcepto ejus cruce signati, sed irruentes in hostes, in magno se posuerunt periculo. Ego vero minimus vestræ Sanctitatis servus, cum illos ex muris revocare non possem, in campum prodivi, & hinc inde discurrens modo revocabam, modo animabam, modo disponebam, ne ab inimicis circumdarentur, & tandem Dominus, qui tam bene salvare potest in paucis, quam in multis, dedit nobis misericorditer victoriam, & fugere fecit immanissimum Turcarum exercitum, & nostri omnia illorum obtinuerunt tormenta, & machinas diabolicas, quibus totam christianitatem putabant sibi subjicere. Exultet vestra Sanctitas in Domino, & offerre illi jubeat laudem, gloriam, & honorem, quia fecit mirabilia magna solus. Non ego inermis, & inutilis servus, aut pauperes, rudes cruce signati, vestræ Sanctitatis devoti servi, potuimus nostris viribus hæc facere. Deus Dominus exercituum fecit hæc omnia: illi gloria in secula seculorum. Hæc scribo breviter, & raptim, defessus rediens ex pugna, cito scripturus magis distincte, quæ facta sunt in particulari. Ex Nandoralba in festo S. Mariæ Magdalenæ, ipso die gloriosissimæ victoriæ.

Pontificem quoque Capistranus de victoria edocet.

Neque multo post, quam ab aliis, qui obsidioni intererant, de rebus certior factus fuisset, ad pontificem, ut pollicitus erat, & quanto barbari numero, & quæ spoliorum copia fuerit, tum de aliis quoque, quæ deinceps certis nunciis comperta erant, singilatim in hanc sententiam scripsit (2) *Beatissime pater! ad pedum oscula beatorum, obedientiam humillimam, & devotam usque ad mortem crucis, & supplicii sævissimi cujuscunque Quia ubi aliquid deficit, locum habet jus supplementi, ideo quod non potui primo aspectu comprehendere in die gloriosæ victoriæ Domini nostri Jesu Christi, anctoritate vestræ sanctitatis, & ministerio paucorum certe vivificæ crucis charactere insignitorum, divinitus nobis præstitæ, postea tamen habita clariori notitia, etsi indescriptibilia sint, machinæ, instrumenta, & terribilia ingenia*

Et victoriæ fructus magis singilatim significat.

(1) Apud Wadingum loco laud. (2) Ibidem

Annus Christi 1456.

genia, quæ paraverant, currus ad deferendum bombardos, rotæ ferreæ, rotæ ligneæ ad transferendum naves, & cymbas per montes, & colles ad transvadandum gentes ad spolia regni Hungariæ, quod tamen Deus eis non permisit: ecce tamen ea, quæ singilatim describi possunt, nunc suppleo, non vacans ornatui, sed simplici veritati. Nam ubi dixi: multa millia ex eis interemta sunt, illustris dominus despotus, qui licet cum nostra fide non concordet, ecundum intentionem tamen vestræ Sanctitatis conveniens, contra perfidos Turcas nobiscum est, nunciavit pridie reverendissimo domino legato, & mihi, quod ultro viginti quatuor millia in die belli nece perierunt, & a certo se tenere offerit, quod totidem, & ultra in itinere defecerunt, semetipsos inter se trucidantes, sicut tempore Gedeonis, & non nisi divino judicio ipse princeps Turcarum cum suis intimioribus, qui remanserant, bellatoribus, postquam ad Sophiam stupida fuga devenit, intendens suos ministros, qui supererant, compescere, ne ultra pertransirent, manu propria, & suorum carnificum plurimos interemit. Superaddit etiam ipse despotus, quod principalis Vayvoda, vices gerens ipsius damnatissimi Mahometis magni Turcæ, qui præsidebat in Rascia, ubi est auri fodina, quæ erat, & de jure pertinet ad ipsum despotum, capite minutus sit gladio ipsi, & uxor ejus ab his, qui jure subesse dicuntur despoto; tenent tamen adhuc sui castellani quinque castra, quæ auxiliante Domino recuperare sperat, favore tamen, & præsidio vestræ Sanctitatis, & reverendissimi domini lateralis vestri legati. Ultro hæc etiam nunciat ipse despotus, quod, cum quadraginta exploratores miserit, ad exquirendum, quid de immanissimo Turca acciderit, cum jam quarta pars redierit, & omnes testentur, quod omnem diligentiam adhibuerint, nihil certi de sua vita percipere potuerunt, ex quo ipse despotus, vehementer opinatur, ipsum esse mortuum; utinam ita sit. Scripseram beatissime pater, quod in primo nostro congressu quadraginta quatuor galeas numeraveram, & ita fuit, sed postea clariori veritate comperta, sexaginta quatuor reperimus numeratas, ex quibus penes nos adhuc viginti septem reservantur, computatis parvis cum magnis de multitudine autem exercitus armatorum, etsi multi asserant; quod fuerunt centum viginti millia: reverendissimus tamen dominus legatus, postquam discursum habuit uno mecum, pro majore parte spatii, in quo malignantium exercitus locabatur, judicavit, quod verisimiliter, centum quinquaginta millia esse potuissent in signis tantorum castrorum. Scripseram in secundis literis de triginta duabus bombardis, quia tunc plures non videram, postea tamen omnibus computatis, parvis cum magnis, ultra trecentas reperimus, & de pixidibus, quæ manu explodiuntur, & in partibus nostris vocantur sclopetæ, de repertis numerum non habemus, quia multæ occultatæ sunt. Pater beatissime! quia Justiniana lex dictat: nihil videtur actum, cum aliquid superest agendum, idcirco, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis populi christiani; ecce nunc tempus implendi desiderium vestræ Sanctitatis, ut progrediamur nedum ad recuperandam Græciam, & Europam; sed ad recuperandam terram sanctam Hierusalem, quod Deus omnipotens præstabit faciliter, si a concepto sancto desiderio vestra Sanctitas non cessabit. Hoc unum piissimum a piissima vestro Sanctitate, & in fide zelantissima reverendissimo domino legato vestro benigne concedatur, ut tantum modo de Italia duodecim, vel decem millia saltem equitum armatorum more Italico vestris stipendiis transmittatis; qui, si per sex menses continuos cum vestris devotis filiis cruce signatis, & cum istis illustribus principibus, prælatis, & baronibus hujus regni Hungariæ nobiscum in exercitu perseveraverint, speramus, tantum de bonis paganorum acquirere, quod abunde in posterum per tres continuos annos aliis expensis non indigebimus: sed eorum spoliis omnes nostros exercitus implebimus abundanter. Ecce idem dominus despotus vehementer affirmat, quod magis in præsentiarum augmentare possimus fidem christianam, paganosque comprimere cum decem millibus bellatorum, quam aliis temporibus cum triginta millibus quivissemus. Ecce accedunt ad hoc desiderium reverendissimi domini legati ardenter omnes isti, qui pro Christi nomine, & pro obedientia vestræ Sanctitatis, ac devota reverentia, crucis vivificæ characterem suscipiunt.

Cal-

Annus Christi 1456.

Callistus ubi ex Capistrano intellexit, quam facile barbari penitus ex Europa exigi possent, tametsi nihil non operæ contulit, ut Hungarorum votis eatenus obsecundaret, tamen majores sibi in conciliandis christianorum principum animis difficultates objici senserat, quam ut rei tam salubri pro eo, ac optabat, intenderet. Ceterum ex Hunyiadis, ac Capistrani epistola, qua hic papæ, ille regi profligatos barbaros significaverat, Æneæ Sylvio materia oborta est, ut in utrumque dicacior esset, quam ut hujus sanctitatem, aut illius ex obtentis etiam victoriis temperantiam décuerit. *Uterque*, inquit, *rem gestam scripsit, neque alterius mentionem fecit: alteruter solidam sibi rei gestæ laudem usurpavit. Ingens dulcedo gloriæ; facilius contemnenda dicitur, quam contemnitur. Spreverat Capistranus seculi pompas, fugerat delicias, calcaverat avaritiam, libidinem subegerat, contemnere gloriam non potuit: qui summo pontifici bellum, atque exitum belli describens nulla Hunyiadis, nulla cardinalis facta mentione totum suum dixit, quod gestum erat - - - nemo est tam sanctus, qui dulcedine gloriæ non capiatur.* - - (1) Non video, quid ea in re Capistrano fraudi esse possit, quando disertis verbis, manifesto numinis auxilio eam victoriam adscribit, & Hunyiadis crebro, nec sine laude, qua præstantissimus vir ornari poterat, meminerit, ac uterque communicatis inter se consiliis, ad regem, pontificemque non modo belli initia, ac progressionem, sed etiam exitum bona fide, diligenterque ut narratum est, perscripserit. De cardinali autem nullam fieri memoriam mirum videri non debet, quod ad eum, qui belli tempore Budæ excubarat, nulla gestarum rerum pars omnino attineret. Quamquam Æneas postea, quam de re eodem anno certiora indicia comperisset, priorum, quæ scripserat, pœnitens, virum sanctimoniæ fama clarum, ab omni vanæ gloriæ studio scriptis ad Arragoniæ regem litteris suomet testimonio absolvat. (2)

Pontificis ex accepta victoria gaudium.

Calumnia temere Capistrano ab Ænea Sylvio conflata.

De cæsorum numero multiplex scriptorum est sententia: sunt, qui prope centum barbarorum millia ea obsidione interiisse existiment (3) alii sexaginta, aut quadraginta numerant, (4) qui minimum censent sex millia in litteras retulerunt (5) In tam varia narrantium dissensione Æneas, qui tum in cardinalium numerum jam cooptatus, Callisto pontifici ab secretis epistolis erat, omnium, ut ego quidem reor, optime arbitratus est. *Quidam*, inquit, *super quadraginta millia periisse tradiderunt, nonnulli viginti millia cæsa fuisse affirmant: alii ad summum quatuor millia cæsa fuisse dicunt, quod nobis infra verum esse videtur. Neque in tanto exercitu videri clades ea octiduo potuisset, major profecto jactura tantum imperatorem fugere compulit, qui sequenti nocte incensis castris, & machinis, cum toto exercitu trepidus abiit; nec tam audax, superbusque venerat, quam timidus, demissusque fugam arripuit.* (6) Utcunque id sit, magnam barbaris illatam fuisse cladem ex illo facile consit, quod Belgrado fugati, tametsi domi firma pace cum exteris hostibus nihil negotii habuerint, nihil omnino adversus Hungariam, nisi diu postquam Mathias Corvinus rerum potitus est, hostile molirentur.

Cæsorum barbarorum numerus.

Pontifex ab accepto victoriæ nuncio, non modo ipse gratias Deo in urbe persolvit, sed idem ut christiani quoque principes facerent per orbem magnopere adhortatus est, utque operam suam ad retrudendos in Asiæ latibula Turcos conferrent per litteras oravit. Carolum inprimis Francorum regem, qui gestis domi, militiæque rebus ante alios ea ætate claruerat, ut suæ sententiæ non modo socius, sed adjutor etiam accederet, misso in hæc verba diplomate permovere conatus est. (7)

Papa ad agendas Deo gratias principes excitat

Cha-

(1) Hist. Bohem. cap. 65.

(2) Epist. 226. *Percussit de cælo Deus hoc anno Turcas: neque enim humana victoria fuit, quæ apud Albam* (Græcam) parta est.

(3) PAULUS LANGIUS in chron. Citizensi.

(4) PETRUS OPMARIUS in chron. orbis. GENEBRARD. in chron. Belgico.

(5) HARTMANNUS SCHEYDEL & PLATINA in vita Callixti III.

(6) Hist. Boh. cap. 65.

(7) WADING. Tom. XII. Annal. Minor. ad an. 1456.

Annus Christi 1456.

In primis Carolum regem Francorum.

Charissimo in Christo filio Carolo Francorum regi illustri.

„ Ad gaudium, & lætitiam Serenitati tuæ nunciantes felix novum, quod ex Hungaria novissime accepimus, & quo ex longa, & incredibili mæstitia & dolore relevatus, & recreatus est animus noster, mittimus eidem Serenitati præsentibus inclusas copias litterarum, quæ ad nos inde missæ sunt. Ex quibus gloriosam victoriam, quam omnipotens Deus populo suo contra crudelissimum Turcam navali, terrestrique pugna concessit, & profligationem, fœdamque fugam barbarorum intelligere poterit Celsitudo tua, quam hortamur, ut pro tam læto, & glorioso nuncio immortali Deo, cujus cælesti potentia in tanto christianitatis discrimine immanissimorum hostium vires contusæ, & attritæ sunt, debitos honores, & gratias referas, & per universum regnum tuum processiones, & orationes fieri facias, quibus sua in nos ineffabili pietate moveri ex hoc facto maxime intelligi potest. Nam si quis pericula, quæ orbi christiano imminebant, considerare velit, innumerabilem exercitum hostium animo contemplari, si denique ipsius Turcæ feritatem, obstinatumque propositum subjugandæ christianitatis animadvertat, fatebitur profecto, immortalem Deum precibus nostris, & aliorum Christi fidelium inclinatum, tantam hanc victoriam populo suo concessisse. Nos enim rati, humanas vires non posse sine divino auxilio molem tanti furoris sustinere, bullas nostras orationum die festivitatis beatissimorum Petri & Pauli, in ipsa principis Apostolorum basilica publicari fecimus, & cum devotione processiones, & orationes diebus statutis, & horis, tam hic in urbe, quam in terris nostris, & sedis Apostolicæ fieri fecimus, bullasque ipsas per universum orbem christianum exequendas, & publicandas misimus, etiam ad legatum nostrum ad te missum, hortantes Christi fideles, ut in tanto periculo divinum subsidium implorarent. Quibus devotissimis orationibus, & aliis per Christi fideles factis credendum est, Deum, quem alias propter gravia peccata populi sui iratum sensimus, paratum, ut quandocunque mortalia consilia, & vires deficiebant, hostes sua divina potentia debellaret, prout nostri miseratus gloriose debellavit. Nam feria sexta ante festum beati Jacobi felicissima pugna ab Hungaris contra Turcas commissa, & victoria obtenta est. Quapropter meritæ laudes, & honores tanto creatori reddendi sunt, qui tantum periculum a populo suo avertit, & tenebras quibus fides orthodoxa obscuranda videbatur, subita serenitate discussit. Ita Serenitatem tuam hortamur, ut divinæ Majestati gratias agat, prout nos in urbe fecimus, &, ut ubique fiat, mandavimus, teque nihilominus, & potentiam tuam excites, & nobiscum convenias, qui ad totalem Mahometicæ gentis eradicationem anhelamus; nuncque maxime tempus est prosequi victoriam cœlitus nobis promissam, ut Christi fideles collectis viribus Turcarum regna aggrediantur, quæ, quoniam maximus dux eorum debellatus, confususqne est, & incertus quid agat, turpem in fugam se convertit, facillime obtinebuntur. Classis vero modo in orientem navigavit, ad quam fortificandam, & augendam toto posse intendimus, & quidquid habemus, exponimus. Et quia in tanta victoria prosequenda ad finale exterminium non solum Turcarum, sed totius sectæ damnatæ perfidi Mahometi, ne tanta nobis gratia cœlitus data in neglectum quoquo modo trahatur, abinde magis, ac magis in ista sancta amprisia die, noctuque indefesse intendimus, in cujus persecutionem non modicæ pecuniæ sunt nobis necessariæ, idcirco Serenitatem tuam hortamur, & in domino, quantum possumus, instantia requirimus, ut non solum ad colligendam decimam, sed & ad oblationes, & alia subsidia ex cruciata, quæ in tuo regno, ut pluries Serenitati tuæ, & venerabili fratri nostro, Petro cardinali Avenionensi legato nostro scripsimus, publicanda est, favores ut decet, præstes opportunos, ita, ut ad recuperationem Constantinopolis, totamque exterminationem infidelium, & liberationem totius Europæ concurramus, & non minus ad recuperationem terræ sanctæ, totius Asiæ, &

alias

Annus Christi 1456.

„ alias partes infidelium ad fidem catholicam reducendi, & convertendi, vel ab
„ ipsis infideles penitus exterminandi, attendere valeamus, prout firmiter credi-
„ mus, & tenemus ex sincera fide catholica cordi nostro affixa, ut plures a no-
„ bis audierunt, quod perfidus ille Turca succumberet, & Hungari victores re-
„ manerent, & populus christianus, & nos cum ipsis, nec unquam dubitavimus,
„ quod fieret, sicut nunc accidit, & majora fierent. - - - Tuam igitur serenita-
„ tem iterum hortamur, & intimo cordis affectu requirimus, ut tempus hoc,
„ quo Deus summus serenitati tuæ opportunitatem offert, ut nomen tuum im-
„ mortalitati consecrare possis, non deseras, & dum perfidus Turca, incertus
„ quid ageret, fugatus, & profligatus est, eum aggrediamur, sequamur Chri-
„ stum ducem, qui, ut sæpius diximus, præclarissimam victoriam, & triumphum
„ tempori nostro divinitus reservavit. Non desint modo christiani potentatus,
„ & nobiscum, qui sanguinem, & vitam nostram in hac divina causa devovimus,
„ vires eorum adjungant, & crucis vivificæ vexillum non deserant, quousque
„ victoriam, quæ quidem in manibus est, feliciter & ad exaltationem sacrosan-
„ ctæ fidei orthodoxæ consumemus. Datum Romæ IV. Idus Augusti, Pontifica-
„ tus nostri anno secundo.

Hunyiades a victoria haud diu superstes moritur.

Sed tam pia pontificis in rem christianam studia, principes obortis inter se dissidiis, ut alias diximus, parum prudenter intercepere. Accessit & aliud, prioribusque majus incommodum, quod Hunyiades, in quo fere profligandorum penitus barbarorum spes resederat, haud multo post relatam ad Belgradum victoriam, incredibili omnium luctu vitam cum morte commutaret. Epidemica lue afflatus cum labefactari corporis, animique vires persentisceret, Capistranum, cui ultimis vitæ annis impense studebat, acciri imperat, a quo extremis religionibus rite procuratus, præsentibus Ladislao & Mathia filiis, quibus fidem in Ladislaum regem moriturus vehementer commendarat, tertio idus Augusti obiit, & Albæ Juliæ in Transilvania honorificentissimo funere tumulatus est. (1) Vir illis temporibus, quo Hungaria intestinis factionibus propemodum contabuerat, maximo numinis beneficio datus, ut labantem rempublicam, præsentissimo discrimini, consiliis, armisque eriperet. Decies collatis justo marte signis Turcorum victor, bis victus, sed majore hostis damno, quam suo. Ferunt Mahometem, postquam de ejus morte comperit, illacrimatum esse, sive dolor, seu vindictæ studium lacrimas barbaro homini expressere.

Ejus encomium.

Callistus summus pontifex, in divi Petri Basilica cum frequentissimo purpuratorum patrum collegio justa defuncto persolvit, eumque pulcherrimo christianæ fidei defensoris titulo cohonestavit.

Æneas Sylvius cardinalis sancti Angeli, ex quo mortem Hunyiadis intellexerat, respondens, brevi quidem, sed pereleganti eum laude exornat: *doleo*, scribit, *obiisse illum christiani exercitus ducem Vayvodam, sive, ut ajunt, Hunyiadem: nam morte illius spes quoque nostra interiisse videtur.* (2) Ejusmodi erat de præstantissimo viro, &, cum viveret exspectatio, &, cum obiit, desiderium.

Genus, & incunabula.

Quo genere ortus sit, etsi haud minoris sit laudis, fieri, quam nasci nobilem, tamen quod scriptoribus in ea re non convenire, eorumque sententias vehementer distrahi videam, hoc loco, utri rectius sentiant, videndum erit. Plerique ex his, neque minimi census, eum Sigismundi imperatoris, ac Hunga-

(1) Capistran. In epist. ad Callistum apud Wadino. loco cit. in hæc verba scribit: *Etsi vero ita placuerit altissimo, quod de medio sustulerit a nobis illum illustrissimæ memoriæ pugilem invictum, sanctæ fidei catholicæ hostibus formidabilem defensorem, D. Joannem de Hunyiad, ex hac jam vita delapsum XI. mensis hujus ex peste - -* Data autem est epistola ex Salankemen anno 1456. 17. Augusti.

(2) Epist. 239.

Annus Christi 1456. gariæ regis filium ex illegitimo thoro prognatum affirmant: (1) alii ex Buthone Valachorum principe, & Elisabetha Palæologa originem ducere perhibent. (2) Bonfinius ab utrisque abhorrens ad Corvinorum gentem vetustam & nobilissimam apud Romanos prosapiam, viri incunabula adducit (3). Sed hunc, qui turpi assentationis studio gratiam Mathiæ potius, quam veritatem sectatus est, nihil moramur: ut nec eorum nobis probari sententia potest, qui patrem illi Sigismundum tribuunt: quod Sigismundo ætate aut æqualem, aut tribus, quatuorve annis juniorem fuisse, multis, certisque eorum temporum indiciis compertum habemus. (4) Valachorum Princeps contra ut bujus nominis apud probatos scriptores nuspiam reperitur, nam Buthonem Corbaviæ comitem ex illustri Nadasdiorum genere fuisse ex litterariis documentis certus sum, ita sine ulla quoque auctoritate est, nec credibile sit, cum Palæologi rerum id temporis in oriente potiti fuerint, principem fæminam homini, obscuro, nulliusque nominis nuptui collocatam esse, mirumque videri possit, a latinis scriptoribus ævi recentioris id in litteras referri, cum Græcanici ea ætate florentes, quive vicinarum sibi gentium res gestas diligenter posterorum memoriæ commendarunt, miro interea silentio rem sibi honorificam involvissent. Si quid igitur in ambiguis conjectura ad veri similitudinem exacta valet, natus est Hunyiades apud Valachos.(5) Aut ut mihi quidem, & rectius videtur apud Transilvanos (6) nobili quidem, sed

(1) CASPARVS HELTAI in chron. Hung. f.80. MICH. NEANDER in synops: chron. f. 157. JACOB WEINGARTNER in spec. princ. pars. I. SLANSKY in vita Husii CHRIST. MANLIUS in Lusatia lib. 6. f. 133. JOAN. HARBUSTUS in chron. seu hist. Polon. lib. 15. JOACH. CURIUS in annsl. Siles. in Alberto imp. ERASMUS FRANCISCI in theatro bonoris &c.

(2) JOAN. LUDOV. KÖNIG in arboreto fol. 45. RITTERSHUSIUS f. 398. HENING. f. 89.

(3) Dec. III. lib. IV.

(4) BONFIN. loco cit. & TIMON in purpura Pann. f. 11. scribunt, Hunyiadem apud Demetrium Zagrabiensem episcopum in epheborum numero fuisse: tenuit autem Demetrius cathedram Zagrab. ab anno 1375. ad annum 79. ut Reverendis. & CL. KERCZELICH in hist. Zagrab. pag. 135. ex instrumentis rite conficit. Itaque Hunyiades intra annos 1375, & 79. ut minimum dicam fuerit annorum 12. proinde natus anno Christi 1368, aut paulum post. Constat autem ex chronico BARTHOSII apud CL. GELASIUM DORNER, auctoris supparis, Sigismundum eodem anno 1368 natum esse: igitur Hunyiades aut æqualis Sigismundo fuit, aut 3, quatuorve annis minor. Nec quidquam pro adversariorum sententia facit, quod Hunyiadem, si conjectura nostra locum habet, eum diem extremum obiit, oportuit fuisse annorum 89. Veri enim est similius, virum ea ætate Turcis resistere potuisse, quam Sigismundi nondum triennis ex concubina filium fuisse.

(5) BELIUS Tom. II. notitiæ Hungariæ pag. 573. ex scuto Joannis Corvini, quod humanum caput, fere ut Valachia, insigne refert, Valachum genere Joannem Hunyiadem fuisse satis probabiliter censet.

(6) Rex enim in diplomate, quo illum comitem Bistricensem creat, cujus ad annum Christi 1453 facta mentio est, ubi captivitatem ejus post initam parum secunda fortuna cum Turcis pugnam memorat, diserte ait, ubi se in libertatem vindicasset, eum patriæ secum salutem restituisse. Pugnatum autem est ab Hungaris, & Hungariæ causa, itaque hæc illi patria, & quidem Transilvania, quod hæc id temporis Hungariæ pars fuerit, & Joannes nomen ab Hunyiad oppido, quod in Transilvania situm est, gesserit familiæ proprium, quod certe ante Alberti tempora illorum fuit, cum illum Albertus ex militum, quo nobiles olim quoque indicabantur, in baronum numero collocavit, ut laudatum diploma habet. Quod eum coævi etiam scriptores, ut Aeneas Sylvius, aliique passim Valachum dicunt, id opinor aut propterea factum, quod Transilvaniam Valachi quoque incolunt, vel quod veterem Daciam, in qua Coloniæ Romanæ habitabant, & ex quibus Valachi nostri orti sunt, respicere videntur: alioquin nemo Hunyiadi ex factiosis genus externum, sed generis solum mediocritatem objecit, quod certe, si Valachus origine fuisset, facturi erant.

Annus Christi 1456.

Res illius gestæ compendio perstrictæ.

ſed tenui (1) loco, primusque genus ſuum per ſummos regni magiſtratus cum laude verſatus rebus præclare, fortiterque patratis illuſtravit. Adoleſcentiam apud Demetrium Zéchium, dum Zagrabiæ Antiſtes eſſet, exegerat: tum miſſo curiæ nuncio ad militiam animum appellens, prima armorum rudimenta ſub Nicolao de Ujlak poſuit. (2) Quem brevi poſt tempore mira in hoſtes felicitate antegreſſus, Sigismundo & Alberto viri virtutem probantibus, ad Szörénienſem magiſtratum, noſtri Banatum dicunt, evectus, ac poſtea ſub Wladislao Polono, cum hujus partes adverſum Eliſabetham tueretur, Nicolao de Uilak, ſub quo primum ſibi ad bonores viam complanarat, ob idque haud levis deinceps dignitatis æmulatio utrique interceſſerat, ſocius in adminiſtranda Tranſilvania datus eſt.(3) Abhinc a profligato ſæpius hoſte magnum domi, foriſque conſecutus nomen, & multiplici dignitatum prærogativa ornatus, Hungariam pro pupillo rege ex ordinum decreto vicaria poteſtate adminiſtrans, tametſi domeſticorum odio, calumniis, atque invidia crebro exerceretur, concitatam de ſe apud univerſos chriſtiani orbis principes exſpectationem omnium judicio ita implevit, ut Calliſtus ſummus pontifex virum de republica, & religione optime meritum, niſi mors eum occupaſſet, regis titulo, & diademate ornare conſtitutum haberet. (4)

Ladislaus profligato hoste Belgradum cum Ciliensi comite proficiscitur.

Ladislaus, quem ad primam adventantis hoſtis famam ex Ulrici Cilejenſis conſilio Buda Viennam ſe recepiſſe narravimus, ubi profligatos barbaros comperit, ejusdem adhortationibus perſuaſus in Hungariam profectionem ſuſcepit, ut quanta ſuorum virtute pugnatum ſit, per ſeſe videret. Re autem ipſa Ulricus hoc ſimulacro uſus, ſublato e vivis æmulo Hunyiade, primis regni dignitatibus, ad quas eum alias quoque aſpiraſſe manifeſtum erat, inhiabat. Aderant regi præter Ulricum, Otto Bavariæ princeps, tum ex Nobilium ordine Roſenbergius, ac Lichtenſteinii, cum modica cruce ſignatorum manu. Secundo Danubio Vienna VII. Calendas Septembris ſolvens Budam primum appulit: tum captata iſthic paucorum dierum quiete Futakinum magna procerum Hungariæ frequentia ſtipatus defluxit. Hic ei Ladislaus Corvinus, qui a patris morte inſtauratis Belgradi ruinis, urbem præſidio communiverat, officii cauſa occurrit, ſalutatumque, ut Belgradum inviſeret, vehementer oravit. Ea humanitatis ſignificatio quamquam optimo animo ab rege accepta ſit, Ulrico tamen, ac non nullis Hungariæ proceribus, qui, ne Corvinus ad paternam ſenſim potentiam, ac dominationem aſſurgeret, verebantur, uberrimam invidiæ cauſam præbuit. Itaque regem circumſtare, veteresque criminationes animo ceteroquin meticuloſo

Conspiratio in Ladislaum Corvinum.

Aa 2 clam

(1) Apud DE ROO hiſt. Auſtr. Lib. VI. objicienti Ulrico Cilejenſi comiti ignobilitatem reſpondit: *ſuæ familiæ decus ab ipſo initium copere.* DE RÉVA cent. 5. diſſerte meminit, proceres Hungaros Frider. imp. ſtimulaſſe, *ut nobiliſſimum Hungariæ regnum, ab ignobili Mathiæ dominio vindicaret.* AENEAS SYLVIUS illius ætatis, Mathiæ Corvini, & Georg. Podiebradii electionem deſcribens hiſt. Bohem. c. 72. ait: *duo potentiſſima regna eodem tempore rege orbata, ex nobiliſſimo, atque altiſſimo ſanguine ad mediocres homines pervenere.*

(2) CAPISTRANUS in epiſt. ad Calliſtum apud WADING. loco cit. de morte Hunyiadis loquens ita habet: *Subſtituit tamen nobis non imparem ſibi virum Nicolaum de Uilak, ſub cujus dominatu valido, & potenti ipſe idem Joannes (de Hunyiad) cum quinque, vel ſex equis ſuam militiam inchoavit.* Fateor tamen, id mihi creditu arduum eſſe, ſi enim ſub illo mereri coepit, ſeniorem itidem illum fuiſſe oportuit. Conſtat autem Nicolaum fere ad annum Chriſti 1470 vixiſſe. Itaque ſi conjectura noſtra de ætate Hunyiadis non abhorret a vero, Nicolaum, cum obiit, annorum fuiſſe oportuit fere centum, & decem.

(3) Diploma inter HUSTII Mſſ. adverſaria ſic habet: *Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, etc. rex, Lithuaniæque princeps ſupremus, & heres Ruſſiæ. fidelibus noſtris, magnificis, Nicolao de Ujlak, & Joanni de Hunyiad - - Vayvodis noſtris Tranſilvanis, vel eorum vice Vayvodis ſalutem & gratiam.* Clauſula autem diplomatis hæc eſt: *Datum. Budæ ferio tertia proxima poſt feſtum Mathæi Apoſtoli, & Evangeliſtæ. anno Domini MCCCCXLII.*

(4) Lib. 1. brev. pag. 49.

Annus Christi 1456.

clam ingerere: timendum videri ferox juvenis ingenium, qui cum amplissimis divitiis, quas pater corrasisset, versatilem quoque fidem hæreditario jure accepisset: jam nunc eum apertissima tyrannidis indicia præferre: Belgradum absque venia instauratum, coactus sub signa miles, ubi ab hoste metus non esset, quid aliud indicarent, quam eum ad regiam dignitatem grassari; solam regis vitam obstare, quo minus voti compos fieret: hanc autem sibi facile ereptum iri sciat, si postulatis ferocissimi adolescentis morem gereret, hoc eum prorsus velle, cum regem, ut ad urbem, quæ illius imperio obnoxia sit, inviseret, fucata humanitatis specie orasset. Valuere apud Ladislaum criminationes, metuque insidiarum correptus, urbem se ingressurum negavit, nisi Corvinus publicis litteris fidem faceret, arcem cum urbe suo arbitrio se dediturum, citraque fraudem, & dolum, regem cum comitatu intra urbis muros recepturum esse. Intellexerat Corvinus qua parte, quorumve consiliis peteretur: ne tamen suspicionem regi de se ingestam tergiversatione confirmaret, publicam fidem per litteras dedit, quibus caverat, se, quidquid rex postulasset, omnino servaturum. Placatus tam prompto Corvini animo Ladislaus, novum ab Hungariæ proceribus sacramentum exigit, & Ulricum plerorumque ingratiis regni gubernatorem creat: qui ut dignitatem eam bona Hungarorum gratia tueretur, Corvinum icto foedere in filii loco recepit. Atque sic redintegrata cum Ladislao, & Ulrico Cilejensi amicitia, Corvinus Belgradum præivit, ut regem pro dignitate acciperet. (1)

Hic simulata in Ciliæ comitem amicitia.

Regem cum paucis Belgrado immittit, ceteris exclusis.

Hæserat tamen pectori facilis in omnem partem pro assentatorum libidine Ladislai animus, atque prudens secum exigebat, num satis Ulrico, quem veteres cum Hunyiade simultates aluisse constabat, nunc autem nova dignitate ornatus, arcibus, oppidisque, quæ sibi pater reliquisset, eripiendis studere videbatur, &, quos secum ex Austria adduxerat, cruce signatis fideret. Regi quidem, quam dedisset fidem, rite se præstiturum, ab Ulrico contra, ne illius insidiis circumveniretur, cavendum sibi in primis arbitrabatur, sique opus esset, intentatam vim vi quoque repellere. Hoc cum sibi ex usu fore intelligeret, mille, & quingentos equites, quos paterno ære, cum is adhuc viveret, adversum barbaros conscripserat, arci inducit, itaque clam variis in locis dispersit, ut & inobservati laterent, &, cum periculum ingrueret, præsto facile essent. Rebus ita compositis, regi secundo flumine appropinquanti paucis familiarium stipatus, lemboque vectus occurrit, factaque ad ripam exscensione, rursus, ut ne in arcem venire gravaretur, orabat. Ladislaus Raynoldum Rozgonium cum equitibus, & decoris, & securitatis causa præire jubet, qui cum sine maleficio admitteretur, ipse quoque cum Ulrico, & cruce signatis arci appropinquans Corvinum obviam habuit; a quo cum claves castri pro more accepisset, pontemque, qui extimos muros cum arce committit, superasset, clausis Corvini jussu portis cetera cruce signatorum multitudo de industria arce exclusa est. Consternatum propterea Ladislaum, atque causam rei percontantem facile Corvinus placavit, ex legum norma, quæ exteris oppida, barbaris finitima, ingredi vetarent, reliquos non admissos contendens: regem tutissimo loco esse, Hungarisque circumseptum, qui vitam, sanguinemque pro eo, si usus ferret, libenter posituri essent: neve id fraudi sibi daretur, orare: bono ab se animo factum, quidquid fecisset, ac regem, qua fide in eum duceretur, quoad viveret, manifestis indiciis cogniturum. Placatus his rationibus, aut certe placatum se simulans Ladislaus Corvini in se studium non modo probari sibi testatus est, sed collaudavit etiam, disserte adjiciens, ut porro in fide adversum se constans maneret: quæ res juveni ceteroquin injuriarum impatienti, ad maturandam Ulrici cædem animos magnopere adjecerat, ad quam magis aliorum suasionibus, quam suopte ingenio ducebatur. Michael enim Szilagyius, ceterique haud pauci procerum, qui Hunyiadi, cum viveret, impense studebant, Ulricum dignitate, qua ab re-

Consilia ad trucidandum comitem inita.

ge

(1) Hist. Ms. rerum Austriac. ab anno 1454. ad annum 1467. auctoris coævi. Exstat in Bibl. Augusta Vindobon. Similia chronicon Cilejense apud HANIUM Tom. II.

ge ornatus erat, potiri ægerrime ferebant, veriti ne homo dominationis per se se appetentissimus, qui in Sclavonia late imperitaret, per Hungariam quoque tyrannidem exerceret. Itaque collatis mutuo consiliis virum regno fatalem e medio tollendum statuunt: cædis hæc ratio inita est: conjurati pro more eorum, qui regem officii causa sequuntur, conventum se acturos simularent: isthuc Ulricus quoque accerseretur, cujus judicio, quod apud Ladislaum gratia, & auctoritate plurimum valeret, se staturos reciperent: si venturum se negaret, manifesto hominem teneri posse, quo animo in Hungaros ferretur, sin contra adesset, tum ex temporum, locique habitu consilium capturos, quo ex vita exturbari possit. (1)

Annus Christi 1456.

Hæc sententia cum omnibus probaretur, nihil cunctandum rati, quarto idus Novembres Ulricum, qui cum rege sacris forte tum intererat, per Lambergerum comiti alias fidissimum, ad Corvinum istius nomine accersunt; esse rem gravissimi momenti, quam cum eo communicare vellet; venire ne gravaretur, Corvinum, nisi eo præsente, nihil velle constituere, quem sibi nuper in patris loco subrogasset. Ille nihil fraudis suspicatus, & novo amicitiæ fœdere, quod cum Corvino pepigerat, illectus, venturum se addicit, suamque diploidem vulneribus imperviam, quam in omnem fortunæ eventum ubique deferebat, indutus ad Corvinum properat. Venientem, ac amice in principio salutatum Corvinus, revocatis in memoriam injuriis, quibus patrem olim affecisset, leviter objurgat, tum ne regni dignitates aliorum ingratiis captaret, aut iis, quas per fraudem obtinuisset, sponte se abdicaret, monet, id ei saluti futurum, sin renueret, vivum ex Hungaria ægre abiturum. Intellexit Ulricus, quo Corvini oratio evaderet, volentemque pauca pro se loqui, conjurati ex insidiis erumpentes, nudatis ensibus circumstant: ille nihil territus, educto celeriter gladio, corvinum de industria inermem aggressus, lætali vulnere oppresserat, nisi is objecta vibranti manu fatalem ictum vitasset; in lucro reputans, quod annulum ex auro solidum gestaret, cujus ope illæsus evaserat. At Michael Szilagyius cum sociis vim prius apparantem communiter aggressi, tam diu cæsim, punctimque feriebant, quoad inane sanguinis cadaver suapte in terram corruisset. Caput a trunco corporis resectum, & tres dies per conjuratorum ditiones circumlatum, credo, ut certius indicium cædis facerent, tum famulis traditum est; qui id majorum tumulo inferrent; hunc adhuc cæso honorem haberi placuit. (2)

Ad Corvinum vocatus.

Vim prior infert.

Et a conjuratis cæditur.

Rex quamquam tam atroci facinore supra, quam dici possit, commotus esset, præter ætatis tamen rationem, iram, & dolorem compresserat, nec dubitavit, ubi cædis causas ex conjuratis comperit, jure cæsum comitem dicere, præsertim, quod Corvinum inermem fuisse, Ulricum contra, veluti conscientiæ victum testimonio impervium vulneribus amictum gestasse constaret; tametsi quid reipsa animo agitaret, postea ipso eventu, ut dicemus, ostendit. Non perinde mors Ulrici ab cruce signatis, quorum facile quadraginta millia fuere, accepta est: hi cognita nece, vi arcem aggredi, ac ultionem ex conjuratis sumere parabant, facileque, ut erant concitato ob facinoris atrocitatem animo, castrum ab ruinis nondum penitus instauratum occupassent, nisi regis auctoritate territi, & accepto cæsi Ulrici corpore deliniti, a vi abstinuissent. (3) Jurene, an injuria cædes ea patrata sit, scriptores haud consentiunt; ego qui in neutram partem vehementior videri velim; & ob regis præsentiam, ad quem causæ cognitio attinebat, & ob pacta utrinque prius fœdera, necem sine crimine patrari potuisse, ægre mihi persuadeo: tametsi & inquies Ulrici ingenium, & impotens regnandi cupiditas, tum veteres inimicitiarum causæ, ac, quo Corvinus tenebatur, insidiarum metus de criminis magnitudine multum quoque detrahere videantur.

Rex audita nece impunitatem cædis Corvino facit.

Ceterum fama de comitis nece didita, ut varios animorum motus apud exteros concivit, ita, cum ultimus Ciljanæ stirpis, & præter maximas divitias, ingentium quoque ditionum esset, magnam Corvino invidiam conflavit, & summi

Ab comitis nece lites ob ejus possessiones obortæ.

(1) Idem ibid. (2) Ibid. (3) Ibid.

Annus Christi 1456.

mi nominis principibus causam litium herifcundi jure præbuit, ut Æneas Sylvius ad Alfonsum regem Arragonum in hæc verba perscribit: (1) *Si Majestati tuæ rarius scribo, nihil obsecro vel negligentiæ, vel adversæ voluntati adscribatur - - neque enim tutum est omnia mandare litteris, & hoc præsertim tempore, quo nec, qui via recta incedunt, careant suspicione - - - nunc vero, quæ habeam, paucis explicabo: Ulricum Ciliæ comitem apud Albam græcam - - occisum accepi - - - occisorem comitis non est ambiguum Ladislaum fuisse, filium Joannis Hunyiadis, ejus, qui sæpe Turcos debellavit: & hoc anno superbiam Mahometis apud eundem locum confregit. Creditum est, non minus filium profuisse reipublicæ christianæ in occisione comitis, quam patrem in profligatione Mahometis; cum Mahometes, & comes hostes religionis essent; ille externus, hic domesticus - - sed non parva de hæreditate ejus controversia suborta est: quæ fuerunt illi bona sub corona Hungariæ, ad regem Ladislaum sine contentione pertinent: quæ sub imperio jocent, multi sibi pertinere asserunt; alii ab intestato, alii ex testamento hæredes se dictitantes, ut Albertus, & Sigismundus Austriæ duces, tum Michael comes Magdeburgensis, ut Ulricus comitis Goritiæ filius. Sed potissimum jus ad imperatorem spectare visum est. Concilium prælatorum, baronumque, & civitatum Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæque, & Marchiæ Sclavoniæ haberi placuit apud Græcium. - - - In eo auditi sunt omnes, qui Cilejensis comitis hæreditatem ad se dixerunt pertinere: denique definitum est, oppida, castella, arcesque, quæ comitis Ciliæ sub imperio fuissent, in manu imperatoris tradi: tum siquis jus in illis sibi competere dixerit, ab eo petendum esse, atque hoc pacto præfecti urbium, locorumque quorumcumque possessionem tradidere.* Hæc eum in finem a nobis memorantur, ut causam dissensionum, quæ propterea inter cæsarem, & Hungariæ regem deinceps obortæ sunt, in clariore luce locaremus.

Rex Belgrado discedens ad viduam Hunyiadis defuncti divertit.

Ladislaus ab Ulrici cæde haud diutius Belgradi commorandum sibi ratus, dissimulato, quem ex avunculi morte conceperat, dolore, Budam repetere statuit, simulque Corvino, ut sibi itineris socius esse vellet, persuasit, seu reipsa, ut aliqui volunt, ei conciliatus est, sive cognati mortem, quod nonnulli arbitrantur, certa victima, quam in potestate haberet, vindicare voluerit. In itinere ad oppidum Hunyiad, Corvinis avitum pervenit: ibi conjugem defuncti Hunyiadis, lugubri amictu squalidam cum puellarum comitatu, quæ tristitiam quoque vestibus præferebant, obviam sibi factam pro temporis ratione solatus est. Opinor ad annalium fidem pertinere, ut orationem, qua mulierem rex acceperat, ex Sylvio, coævo auctore, in medium proferam, quod & singularem religionis, qua Hunyiades enituit, laudem complectatur, & modum mihi deinceps suppeditatura est, quo regem a perjurii crimine liberem. Ut obviam Ladislao facta est, *rex matronam*, ita scribit Æneas, (2) *complexus, indigna, inquit, hæc vestimenta sunt, quæ ob mortem viri tui deferas: Joannes Hunyiades de morte transivit ad vitam: ille Hungariam Christo, mihi regnum servavit: Hungaris pacem peperit, hostes fidei catholicæ fudit, fugavit, protrivit: salutem ab eo percepimus omnes, fortiora ejus facta etiam hostes admirati sunt: & in vita, & in morte laudanda ejus opera: in prælio strenuus, in lectulo ægritudinis fortis, in bello vicit hostes, in ægritudine se ipsum superavit. Nota sunt ejus egregia facinora, quæ pugnando peregit; consilio, ac manu sustentavit acies suas, perfregit hostiles. Ubi adesse extremum vitæ tempus agnovit, & urgere vim morbi, non est passus dominicum corpus ad se deferri; neque enim dignum existimavit servum a domino visitari, surrexit e lectulo, quamvis labentibus membris, & cum suis pedibus, deficiente virtute, ire non posset, in ædem se ferri sacram jussit, ibique de more christiano, confessione facta, sacram accepit Eucharistiam, atque inter sacerdotum manus fastidientem terrena animam exhalavit. Et quo illam credimus migrasse, nisi ad eum, pro quo tot bella pugnaverat: ad imperatorem suum invictus miles perrexit, cum Christo regnat, qui pro Christo pugnavit: jam pridem debitum sibi cælum tenet; non est, cur lugere eum virum oporteat; facessant lugubres vestes, omnisque mæror absit; congaudere gaudentibus*

Eamque solatus ejus filios secum Budam adducit.

(1) Epist. 253. Bibl. Vindob. Cl. KOLLARII & Hist. Bohem. cap. 67.
(2) In rebus Friderici III. Tom. 2. analect.

denti oportet, intempestivæ lacrimæ, intempestivi luctus recedant. Quibus dictis auream afferri vestes jussit, quas domo viduæ dedit, filiisque, omnesque puellas mutare habitum imperavit, totamque diem lætitiæ dari. Convivia exinde splendide acta, inter epulas saltatum, cantatumque, & quasi celebres nuptiæ inter vina, & jocos perfectæ. His blandimentis allecti Hunyadis filii, nihil jam dudum ex morte comitis sequi posse confidebant: itaque posito metu regem usque Budam secuti sunt, palatiumque imprimis æstimati, cultique frequentabant. Annus Christi 1456.

Exactis hunc in modum inter geniales lætitias diebus aliquot, factam denuo inter regem, & Corvinos amicitiæ conciliationem Bonfinius in hæc verba memorat. (1) *Ladislaum cum Mathia ad genua in media procerum turma, instantissime supplicantem, ut patratæ cædis venia, ut dudum promiserat, donaretur, ad pectus erexit, gravi asseveratione cum juramento super Eucharistiam, sancte, ac reverenter inito, omnes injurias, ac inimicitias, ex Ulrici morte conceptas remisit; ambos fratres adoptavit, ac Elisabetham (Corvinorum matrem) pientissimæ parentis loco se semper habiturum esse recepit.* Primus omnium cum Thuroczio Bonfinius, ac reliqui deinceps, qui ex eo, aut post eum scripsere, erant, qui amicitiæ redintegrationem jure jurando ab rege firmatam perhibeant; cujus tamen cardinalis sancti Angeli, & neci comitis, & regis conciliationi præsens nusquam meminit, tametsi obtentam patrati facinoris veniam disserte commemoret: neque Aeneas coævus, cui cardinalis sancti Angeli singilatim fere omnia perscribebat, nec Jacobus cardinalis Papiensis, illius quoque temporis scriptor, quidquam de dicto Corvinis sacramento in litteras retulerunt. Quare ex quo fonte id posteriores hauserint, aut quam ob rem memoriæ prodiderint, non satis intelligo, nisi forte ob cæsum postea Ladislaum Corvinum, perjurii notam regi allinere eos voluisse credendum sit. Sed istius deinceps, ubi nos rerum series monuerit, meminerimus. *An Ladislaus Corvino necis impunitatem jure jurando promiserit.*

Hæc inter Callistus a studio promovendi in Turcos belli, præsertim, ubi de victoria ad Belgradum relata certior factus est, nihil remittens, classi, quæ ægeum mare oberrabat, in mandatis dederat, ut rem strenue in barbaros gererent, quo istorum exemplo principes christiani ad idem studium promtius excitarentur. Sed mandata pontificis Ludovicus cardinalis, qui classi præfectus erat, multo ante occupaverat, tribus magni nominis in ægeo insulis, quas Turci possederant, in potestatem redactis. Eo nuncio papa mire lætus ad cardinalem sancti Angeli litteras dedit, quibus novas primum accessiones per classem factas significat, tum monet, ut christianos in primis Germanos, ac Hungaros ad instaurandum contra barbaros bellum auctoritate sua permoveat. Litterarum hæc sententia fuit. (2) *Hæc inter classis pontificia remistrenue adversum Turcos agit.*

Callistus cardinali sancti Angeli.

„ Ut intelligas, quæ acta sunt noviter in mari per classem nostram, „ mittimus tibi copiam litterarum, quas XXIX mensis Decembris - - - acce„ pimus. Videbis tres insulas, Mitilenem, Staliminum, & Naxum Turcis mu„ nitissimas, & copiosissimas sine discrimine nostrorum subactas, & ad obedien„ tiam nostram, & sedis Apostolicæ redactas, absque solius unius militis mor„ te, ultra centum millia animarum nacti sumus. In hac igitur tanta victoria „ christianorum, in hoc tam expresso divini auxilii præsidio, in hac tanta infide„ lium trepidatione, in hac tanta Turcorum exterminatione, quis erit ita pusil„ lanimis, ut cum Turcis treugam facere intentet, aut supersedimentum, etiam „ sufferentias, aut inducias modicum? quod ne fiat, gravissimis censuris, & ali„ is poenis prohibeas. Quis erit tam trepidus, tam ignavus, tam timidus, qui „ fugientes hostes persequi non festinet? qui ad victoriam nobis undique terra, „ marique *Pontificium ob rem ad legatum suum in Hungaria litteræ.*

(1) Dec. III. Lib. VIII.

(2) ODOR. RAYNALD. hist. eccl. Tom. X. ad annum præsentem.

Annus Christi 1456. „ marique pollicitam, dextera omnipotentis præcedente vel inermis etiam concurrat? quam gloriam exspectamus, & hostes crucis dissipare, exterminare, „ & funditus delere. Eja ergo fili dilecte, robustissimos istos populos excita, „ principes illos magnanimos hortare, regibus persuade: Hungaros, robustissimum, & constantissimum genus hominum convoca, Germanos potentissimos, „ & animosos compelle tuis adhortationibus ad hanc tam promtam victoriam „ persequendam, ad tantam gloriam consequendam, ad tantam laudem reportandam trahe, conducas, & ut una tecum crucem suscipientes Christum sequantur, in reliquias hostium procurrant, solus terror hostibus incussus nos victores efficiet. O Hungarorum potentia quid exspectas? habes enim classem „ nostram cum legato nostro in mari potentem, quæ in dies fortificatur, rex„ que Portugalliæ quotidie cum exercitu magno exspectatur, nosque omnia „ oblata terra, marique, adimplevimus & ultra, & augmentare non cessamus, „ & qui nobiscum non est, alienus est, profanus est. O Germanorum magnanimitas! quid dormitas? o christianorum firmissimum præsidium, quousque „ triumphum, & immortalem gloriam ac paratam tibi laudem differes? Nos „ omnia exponimus, vitam affligimus, ut victoriam a Deo datam prosequamur: „ si sequelam habuerimus, excidium tam nefandæ gentis propediem videbimus. „ prout firmissime credimus, & tenemus. Datum Romæ die XXXI. Decembris. MCCCCLVI. pontificatus nostri anno secundo. „

Simultas inter cæsarem, ac Ladislaum. Frustra tamen pontificis conatus fuere, quod Fridericus cæsar, cum Ladislao rege simultates aleret: neque enim ereptum sibi ex tutela adolescentem ferre æquanimiter poterat; & nova rursum diffidii causa ex Ulrici cæde objecta erat, quod Hungariæ rex magnam, quæ comitis fuissent, ditionum partem jure necessitudinis ad se attinere contenderet. Quod cum in rei christianæ damnum vergere videretur, & res prope bellum spectaret, Callistus utrique nisi foedus jungerent, anathema intentavit: cujus metu conciliatos quidem ad tempus constat, sed gravioribus rursum diffidiis implicandos, quibus molliendis quam operam pontifex locarit, ad annum sequentem memorabitur.

Annus Christi 1457. *Rex Giscram cum milite suo Budam accersit.* Ladislaus redintegrata cum Friderico ad speciem amicitia Budæ consistit, ut si quid barbari, quemadmodum fama non obscura erat, in Hungariam rursus molirentur, præsto esset; habito per regnum delectu, Vienna quoque, quos multo antea militiæ auctoraverat, Budam accersit; tum Joanni Giscræ, ut cum Bohemis adesset, in cujus viri virtute, ac militari scientia plurimum spei, ab Hunyiadis morte, collocabat.

Il Corvinus metuens clam equitatum conducit. Confluxerat haud multo post tempore ingenti numero miles, ut adeo spes plerisque injecta esset, præclarum aliquid, si fama appropinquantis hostis, eventu ipso firmaretur, patrari posse. Sed bi apparatus, qui ad quietem rei publicæ spectare videbantur, Michaeli Országio, & qui Corvinorum genti studebant, turbarum, quibus postea regnum involutum est, occasionem præbuere. Ut enim erat aulici moris non ignarus, & machinationum præterea, quas cum sui, tum defuncti Hunyiadis æmuli, clanculum regi identidem admovebant, probe sciens, eam militum concursationem, ob cæsum Ulricum, in Corvini necem fieri existimabat. Itaque Ladislao auctor est, conciliationi amicitiæ, quam rex nuper secum iniisset, nimium ne fideret, esse permultos, qui ejus animum adversus se irritent, consuleret sibi, & periculum, quod Belgrado a barbaris ingrueret, aut etiam quamvis causam prætexens, matura fuga se discrimini eriperet, quoad rex Austriam, quod proxime futurum speraret, peteret, ac detecta inimicorum fraude pacatus videretur. Impotens adolescentis animus, rerum a patre gestarum memoria, & clientelarum multitudine incitatus, ut discrimen ab se amoliretur, eam salutis viam inierat, qua capitale sibi deinceps periculum accersivit. Clam sexcentos equites, ac ingentem rusticorum turmam conscribit, armisque munitos circum Budam locat, quorum ope, si rex inimicum aliquid in se moliretur, tutus esset. Ad hæc familiarium majore, quam antea numero stipari, crebriusque, ne suspicioni locum præberet, aulam adire, regemque colere,

Annus Christi 1457.

re, five ea palpum obtrudere voluerit, feu clandeftinos inimicos ab incepto abfterrere: (1) Utrumvis fit, amici cæfi comitis, qui adolefcentis potentiam haud æquis oculis intuebantur, poftquam tanto numero militem circum urbem comparari intellexiffent, *regias aures dietim pulfare, nobilem comitem, avunculum regium, fine caufa necatum conqueri, majeftatem regiam graviter læfam dicere, inultum tam atrox fcelus minime relinquendum effe; corrigendum audacem juvenem, temerarium, qui regium fenatum nobili cruore fpargere non timuerit: atque nifi mature coerceatur, in temeritatem verti; nullum inveniri clementem virum, qui audaciam, juventutem crudelitate infigniverit; arma in manu nefarii adolefcentis periculofa effe, aufurum procul dubio etiam in regem, qui regi proximum obtruncaverat. Jam illi regnandi fpem factam, patrem ejus idem concupiviffe, fed defuiffe animum; graviorem ætatem pericula magis metiri: juveni, quodcunque libuit, videri factu facillimum, per æqua, & iniqua ad regnum tendere, delictum apparere, occurrendum prius, quam malum amplius ferpat, in Ladislao & facta, & meditata facinora puniend*a. (2) Rex tam ingenti criminationum mole obrutus, atque animo etiam commotus, defignata hora, qua Ladislaus cum Mathia fratre in regiam officii caufa concedere folebant, armata juvenum manu portas obfervari, adolefcentes nihil tale veritos per defignatos milites capi, & rapi in carcerem jubet: cum quibus & Joannes Varadienfis epifcopus, raræ virtutis, ac facundiæ, tum Sebaftianus Rozgonius, Emericus de Canifa, Paulus Madaráfzius, & plerique, qui defuncto Hunyiadi familiares fuere, comprehenfi funt. (3) Ea re miri animorum motus exciti, plerisque ut fit, caufam, cur capti juvenes effent, ut cuique animus comparatus erat, apud fe defignantibus. Aeneas ad Alphonfum Arragoniæ regem fcribens, ob cæfum Ulricum captos fufpicatur; ad mala enim, quæ Hungariæ imminere ab hoftibus refert, *accedit quoque*, ait, *filiorum olim gubernatoris Hungariæ captura, qui per regem in arce Budenfi deprebenfi cuftodiuntur: cumque bis non parvi nominis prælatus interceptus eft, Joannes Varadienfis epifcopus: feruntque & aliis plerisque nobilibus indita vincula. Incomperta eft adbuc caufa, fed vero fimile eft, necem Ciliæ comitis boc peperiffe.* Quamquam ferius poftea, aliam & capti, & cæfi Corvini caufam memoriæ prodiderit, ut in loco citra affentationem dicturi fumus.

Ex quo æmulorum fe fe invidiæ objecit.

Itaque illum rex cum fratre, aliisque capi imperat.

Ac Ladislaum quidem Mathiæ natu majorem, XII. calendas Aprilis, eodem nimirum quo captus eft, die, fupplicio affectum lego, criminis poftulatum, & convictum non lego (4) Triftis, & meliori fato digni adolefcentis cafus facit, ut lugubrem fupplicii fcenam malim Æneæ verbis, quam meis expingi. *Ladislaus*, ita narrationem ille orditur, *quatuor ferme, & viginti natus annos, egregio corpore adolefcens, flavis de more crinibus fuper humeros paffis, revinctis poft tergum manibus, talari, atque aurea vefte indutus; & fortaffe eadem, quam fibi paulo ante rex donaverat, in publicum producitur: erecta cervice, oculis huc, atque illuc fpectantibus, impavidus, atque intrepidus ad fupplicium pergit. Ubi ad locum ventum eft, quo cervix amputanda erat, juffus genua flectere, pauca prius pro fua expurgatione locutus, carnifici paruit. Præco, qui de more damnatorum crimina proferre confuevit, imperato filentio, nihil aliud dixit, nifi eo modo corrigi, qui domino fuo infideles effent. Carnifex religata Ladislai cæfarie, ne collum impediret, juffus percutere reum, nutans, labansque vix tandem quatuor ictibus candidam cervicem abfcidit. Atque ita nobilis adolefcens occifo comiti parentavit: frater ejus in vinculis retentus eft.*

Et indicta caufa palam capite plecti.

Caufam

(1) Auctor Mf. coævus rer. Auftr. ab an. 1454 ad an. 1467.

(2) AENEAS SYLV. in rebus Friderici III.

(3) Auctor Mf. laudatus ita habet: *an mittichen* (1457) *nach den Sontag Reminifcere in der Vaften hat der durchleuchtigift: Furft Kunig Ladisla, graf Laslawen von Hunyad, und Sein bruder Matiafchen in der Burck cze Offen gefangen.*

(4) Idem auctor Mf. rer. Auftriacarum ita fcribit: *und im* (Ladislao Corvino:) *das haupt, als umb Complet Zeit, des benanten Tags* (die mercurii poft dominicam Reminifcere) *laffen abfchlagen.*

Annus Christi 1457.

De necis causa variæ scriptorum sententiæ.

Causam properatæ necis nostri in Ladislaum de Gara regni palatinum, tametsi Corvinus jam gener illius designatus esset, tum Nicolaum de Ujlak ob veteres cum Hunyiade simultates, ac Giscram Bohemum, nec nulla conjectura ducti conjiciunt, ut in rebus Mathiæ Corvini locus memorandi erit. Paulo aliter Bonfinius rem complexus est: *lictor*, scribit, *a prætore gladium in cervicem formosissimi juvenis stringere jussus, commiseratione, ac metu juxta correptus, ictus tres intulit, & nondum caput absciderat, immo ne lethali quidem vulnere læsus erat. Constanter generosus ille juvenis tria in cervice vulnera exceperat: sed cum ad tertium procubuisset, mox vi magna erectius, deorum, hominumque justitiam exclamat, quartum lictori ictum ex lege interdictum esse, miraculum pro læso innocentiæ numine intercessisse. Ad hæc nonnulli proceres, qui e Sigismundi palatio, præsidente rege, spectabant, & Ladislai necem anhelabant, lictorem increpitant, ense cervicem repetere jubent: quare vix quinto ictu obtruncatur infelix, annos natus quatuor de triginta. - - - Supplicium de ipso, neque in foro, neque ad gradus gemitorios, neque legitima, & usitata denique hora sumtum est. Rex populi, ac rusticorum, quorum colendarum gratia vinearum innumera multitudo Budam confluxerat, furorem expavit, haud inscius, plebem ejus mortem ægerrime laturam, & propter indignationem rei in tumultum facile ruituram. Corpus, haud mora, atro panno involutum, ad divæ Magdalenæ basilicam effertur, & ante lucem clam evectum in ædicula corporis Christi, quæ in suburbii clivo sita est, in parricidarum, regaliumque proditorum momonenta relatum est. Id quamvis ad confirmandam necis causam factum esset, ut jure cæsus esse videretur, populi tamen indignitatem nimis auxit, cum ad iniquitatem mortis infandæ, etiam infamia criminis accederet. Verum ne minor quidem nota, non sine supplicio hinc regi, & hujusce mali auctoribus inusta. Rex perfidiæ turpitudinem, infamiam perjurii, violatæ fidei, & execrabilis inconstantiæ crimen subivit: illi crudelitatis, invidiæ, ac iniquitatis perpetuam sibi notam inussere. Hinc intercipiendæ regis vitæ, qui annum non circumegit, ansam fata sumsere, qui autem adolescentis probitatem malis consiliis coinquinarunt, pœnas non immeritas dedere.* (1) His alii deinceps scriptores multa ex suo ingenio adjecere, ut narratio sensim in celeberrimam fabulam abiret, qua imperiti homines regem evoluto anno, eodem prorsus die, miro Numinis judicio mortem oppetiisse commenti sunt, quo prius Corvino aut impunitatem criminis sacramento roboratam fecerat, aut cum perjurii scelere obtruncari jusserat. Quin fuere, qui non vererentur in litteras referre, dum Corvinus ad supplicium duceretur, ab hoc elata in foro voce ad divinum tribunal post anni spacium cum rege condictum fuisse, ut causas injustæ sententiæ illustraret; valuisseque innocentis adolescentis preces, ac litis contestationem, quod rex ipso cædis die anni sequentis in ætatis flore brevissimo morbo consumtus esset.

Sed erroribus obnoxiæ.

Postulat annalium fides, ut calumniam, probo ceteroquin regi, imperitia, aut maleficio scriptorum conflatam, hoc loco illustrem. Ac juris jurandi quidem, quo se rex Ulrici cædem non ulturum Corvino receperit, præter recentes chronographos, nemo ex coævis, ut alias monstratum est, meminit; tametsi impunitatem ob patratam comitis necem, Ladislao factam, memoriæ prodiderint, ut adeo perjurii crimen in commentis potius, quam historia reponendum esse videatur. Neque minus inficeta sunt, quæ de talionis pœna regi eodem, quo Corvinus cæsus est, die ab Deo inflicta, imperite prorsus oggerunt: quando ex temporum illorum scriptoribus, manifestum fit, regem eodem prorsus anno, rebus humanis exemtum fuisse. De Corvino enim ex litterariis documentis nullum mihi dubium est, verni jejunii primordio, atque ut alias indicavi XII. calendas Apriles, supplicio affectum. (2) Regem contra in festo divi Clementis, quod

(1) Dec. III. Lib. VIII.

(2) Diploma, quod a CL. KAPRINAY obtinui, in hæc verba habet: *Ladislaus de Hunyiad comes Bistricensis, agazonum regalium magister egregio Paulo Bakus Castellano castri nostri de Tokay. - - Datum Budæ feria sexta proxima post dus cinerum Anno 1457:* Ergo nondum captus hac die, ut liquet. Alterum autem diploma Ladislai regis datum Budæ feria quinta

quod in vicefimam tertiam Novembris incidit, itaque feptem, aut fi quid fupra eft, menfium fpacio ab Corvini exceffu mortem cum vita commutaffe, quod deinceps nobis declarandum fumimus. *Annus Chrifti 1457.*

De fupplicii caufa non eadem omnibus opinio eft. Plerique ob cæfum Ciliæ comitem, regis avunculum, infami carnificis manu trucidatum fcribunt: fed quando iidem mortis fententiam perfidiæ caufa, a lictore ex judicum arbitrio pronunciatam perhibent, facilis conjectura eft, quæ illis fides eatenus haberi poffit. Alii regem a Corvino re ipfa infidiis appetitum fcribunt, eamque ob rem in manifefto crimine tentum indicta caufa neci datum. Ex horum numero Æneas Sylvius diferte comprehenfum refert, *tanquam infidiarum, quæ regi pararentur, confcium.* (1) Hafelbachius circa eadem tempora vivens, Corvinum Ladislai regis vitæ infidias pofuiffe memorat: (2) ad quas ftruendas fpe, quam fibi aftrorum quidam fpeculator fecerat, adipifcendi regni adductus effet. Anonymus rerum Auftriacarum fciptor, & temporibus his coævus, regem ludi equeftris fpecie extra urbem a Corvino ea de caufa prolectum perhibet, ut eo per milites capto, ipfe extra difcrimen effet: regem tamen prodito per familiares dolo, ex infidiatoris caffibus feliciter fe fe explicuiffe. (3) Sed hunc pauci, credo, quod Ulrico Cilejenfi præter æquitatem faveat, in teftium numero juxta mecum effe patientur. Quidvis fuerit, facile tamen ex horum teftimoniis conficitur, Corvinum de infidiis regi ftructis accufatum effe: locum fufpicioni ex equitum turma, quam falutis caufa eum conduxiffe memoravimus, datum effe veri fimillimum fit, qua occafione & cæfi comitis amicos, & Corvini æmulos de induftria ufos fuiffe credibile eft, ut adolefcentem nihil hoftile in Ladislaum meditantem infidiarum poftularent; quorum auctoritate rex, & gravitate fceleris adductus, neque enim reges per fe fe omnia cognofcere compertum eft, nihil tale commeritum morti addixerit. Atque hunc in modum & regem fuorum, quos cognofcendæ caufæ adhibuerat, confcientia innocentem, & Corvinum poftulati criminis minime reum fuiffe, fine ullius injuria pronunciare poffumus. *Quid nobis ea de re verifimile videatur?*

Ceterum Corvini mors, ut per regnum vulgata eft, non modo ingentem apud populares commiferationem ob patris, & rerum ab eo geftarum memoriam conciverat, fed iis etiam, qui adolefcentem neceffitudine fanguinis contingebant, implacabile ad fumendam vindictam ftudium ingeffit. Michael Szilagyius ante ceteros infamis fupplicii dolore actus, ut erat auctoritate divitiisque potens, haud multis diebus poft, quam Corvinus cæfus effet, non temnendo numero copias fub figna coegit, & Tranfilvaniam, faventem fibi præ reliquis provinciam ingreffus, bellum adverfus eos, qui caufa necis ferebantur, meditatus eft. Addiderant fe illi mox focii, quos cum Corvinis interceptos narravimus, qui aut elu- *Corviniana factio turbas ob cædem per regnum ciet.*

proxima poft feftum Pafchæ eodem anno inter cetera fic habet: *adverfus eos rebelles, quos nonnulli ex familia quondam Ladislai filii Joannis gubernatoris de Hunyiad.* Igitur inter feriam fextam poft diem cinerum, & quintam poft feftum Pafchæ fupplicio affectus Quo loco & id notatum velim: prius diploma in fcuto referre leonem: itaque in Corviniano infigni, non videtur effe leo Bohemiæ, quod nonnulli arbitrantur, fed gentilitius

(1) In rebus Friderici III.

(2) In Chronogr. ad An. 1457. *Nulla illi* (Corvino) *facta injuftitia, quia cum ab aftrologo fibi prædictam coronam regiam crederet, infidiatus eft primum vitæ comitis Ciliæ, quem etiam occidit, deinde infidiatus eft vitæ ipfius Ladislai regis.*

(3) Ad an. 1457. *er* (Corvinus:) *richt zu ein rennen für die Statt ze Ofen, und patt den Kunig darzu zekomen, und hett heimlich beftelt ain geraifig volk als auf fex hundert pferd - - - wen der Kunig kem zu dem rennen, dann fo folten fie trachten, das fie kennen zwifchen fein und der Statt, das er, und das ander volck darin nicht möchten komen, und folten darnach nemen den Kunig, und in von dauen fueren - - - nu wolt Gott - - das der geraicfig zeug zu frue kom ee wen der Kunig aus der Statt reid, und alfo vard die fach laudmierig, und der Kunig belaib in der Purg.*

Annus Christi 1457

elusis, aut non imprudentibus excubiis præter episcopum Varadiensem evaserant, quem rex Dionysio Strigoniensi, ut de illo cognosceret, ad preces cardinalis sancti Angeli, Strigonium transmiserat. At factiosi sumtis ipso tempore incrementis, circumlata per Hungariam vastitate regem adeo metu intestini belli compleverant, ut habito militum delectu Joannem Giscram copiis, quas in factiosos immittere constituit, fide publicarum litterarum præficeret. (1) In hæc enim verba regem civitati cuidam mandata misisse comperio: *ut gentes suas, quas cum omnibus ingeniis*, id est, bellicis machinis, *ad octavum diem festi beati Georgii martyris, proxime affuturi sistant, sub ductu Joannis Giscra pugnaturas adversus eos rebelles, quos nonnulli ex familia quondam Ladislai, filii Joannis Gubernatoris de Hunyiad in diversis regni partibus concitarunt.* Et consertas quidem inter factiosos, ac Giscram manus Æneas satis aperte prodit, (2) at quo eventu, fortunave pugnatum sit, non perinde memorat.

Rex Giscram in factiosos mittit.

Do-

(1) Ita me Cl. vir e societate nostra Stephanus Kaprinay edocuit; quem cum per litteras convenissem, orassemque, ut quædam annalium capita, in quibus propemodum adhæseram, illustraret, data ad me erudita prorsus epistola, conatus meos mirifice adjuvit. Operæ precium est, eam, quantum huic loco propria est, in medium afferre, non tam, quid doctissimus vir de tenui alioquin opella mea sentiat ut vulgem, quam ut populares nostri intelligant, quantum sibi ab eruditissimis illius molitionibus ad illustrandam patriæ historiam polliceri possint. Epistola sic habet: *Accepi litteras tuas multa, ut soles, humanitate, & elegantia scriptas. Mihi nihil potius, nec volupe magis, quam pulcherrimos pro historia patriæ nostræ conatus tuos, & labores adjuvare. Utinam una, ubicunque tandem gentium agere possemus, profecto tu mihi, & ego tibi mutuis consiliis, ac studiis, multo majori cura, quam per litteras, adjumento esse possemus. Interim si quid in tenui penu mea reperitur, libens illud ad provehendum opus tuum conferam. Sciscitaris ex me, quando, & quomodo Hungaria mea diplomatica lucem sit visura? annis præteritis duobus, ligna, lapides, cæmentum solummodo congregavi, more ædilium provide domos construere volentium, id est, tabularia Hungariæ superioris perlustravi. Cassovia, & Bartfa amplam mihi supellectilem dedere. Hoc medio anno, a quo Tirnaviæ dego, prima fabricæ lineamenta ponere, id est, res collectas in ordinem redigere, argumentis illustrare cœpi; quibus Scholia in quodvis diploma succedent: operis titulus hic erit: Hungaria diplomatica, sacra & profana; sive analecta, varias summorum pontificum, regum nostrorum, principum exterorum, Antistitum, optimatum, comitatuum, urbium, aliorumque litteras ad illustrandam Hungariæ historiam facientes complectentia, in tres periodos chronologico regum sibi succedentium ordine proposita. Prima periodus, quam domesticam, vel, si malis, Hungaricam voco, ob reges domi, unum si demas Petrum, evirili Hungarico sanguine prognatos, ad usque annum MCCC proferetur: periodum alteram mixtam compello; quoniam varias, jam exteros, jam domesticos reges mixtim continet: hanc ad annum MDXL, quo Joannes diem suum obiit, ac solus Ferdinandus regnare cœpit, perduco. Hinc sequitur periodus tertia, quam Austriacam ob reges continenti ordine e domo Austriaca Hungariæ dominantes nomino. Hæc operis mei est idea, & moles: his præmittam prolegomena, sive introductionem ad rem Hungariæ diplomaticam, cum tribus vetustis SS. Calendariis, ac serie chronologica litterarum dominicalium, & paschatum, ut unusquisque dies dati diplomatis facile a quovis inveniri queat. Ante cujusvis regis diplomata præmittam breviter ejusdem regis acta in diplomatibus adferendis potissimum contenta: sub finem adjungam indicem copiosum, ac multiplicem. Quando hæc finienda? tu ipse tecumet constitue. Certe una hæc omnia nocte, ut quidam fieri posse putant, & a me petunt etiam, somniari posse ridiculum est. Multa collegi quidem, at incredibile dictu, quantam in periodo prima lacunam experiar: putabam ex Mss. Hevenessianis me illam expiere posse: verum ea hactenus tantum eminus vidi. Quare siquid tua inter adversaria repositum habes, oro te quam maxime, ut mihi quam primum submittas. Noveris me semper veteri paroemio studuisse: aquam hauris, puteum corona.* Tum iis, quæ petieram, prolixe, doctoque illustratis subjungit. *Hæc sunt, quæ tibi propera certe manu scribenda habui. Deus te opt. Max. quam diutissime incolumem servet. Scribebam Tirnaviæ 27. Feb. 1766.* Opto lane, ut, quam præterea meditatur, res Hungariæ numaria, & scriptores patrii quamprimum lucem videant.

(2) Epist. 273. ad Joannem Nihilum. *Conflictiones*, ait, *Hungariæ didicimus: omnia sunt ad Turcorum potentiam augendam.*

Annus Christi 1457.

Novus Turcis metus

Domesticis Hungarorum turbis Mahometes ad spem sarciendorum damnorum erectus, icto cum Ægypti Soldano, Caramano, Tartarisque fœdere, ingentes copias coegerat, ut honoris jacturam, quam superiore anno ad Belgradum fecerat, nova obsidione repararet. Consternatos propterea urbis cives, cum domi nihil fere ob partium studia subsidii esset, a summo pontifice opem petiisse, Æneas ad Arragoniæ regem scribens in hæc verba auctor est. (1) *Hac ipsa die rex inclite, ac potentissime, allatæ sunt litteræ ex Hungaria summo pontifici, omnemque curiam conturbarunt. Referunt enim Mahometem Turcorum dominum cum Soldano Ægypti, cum Caramano Ciliciæ, cum Tartaro Scythiæ inito fœdere, coactis ingentibus copiis, rursum ad Hungariam properare, Albam, quod alii castrum Belgradum vocant, summis viribus obsessurum. Jamque iter accepisse: nec dubium est, quin diebus quindecim cum toto exercitu ante oppidum se se collocet. Ferunt quoque jurasse eum, etiamsi Asiæ majorem partem amissam audierit, non se se retro abiturum. Hæc Albenses legato Apostolico scribunt, pleni metu: quippe quibus sola spes de cœlo est: neque enim tam securi homines Dei, quin humanum expectent auxilium.--- Percussit de cœlo Deus superiore anno Turcos (2), neque enim humana victoria fuit, quæ apud Albam parta est. Voluit experiri Deus, quidnam reges agerent, ceterique christiani populi rectores: profligavit hostes, occidit, qui ferociores videbantur: abstulit innumerabiles machinas, spatium dedit, quo, si vellent christiani populi, se se accingerent, redituroque Turco armati occurrerent. Sed quanto magis indulget Deus, tanto negligentiores sumus abutentes otio. Ecce redit hostis, & nemo est, qui laboranti Hungariæ opem ferat: & vereor, ne Hungaria pessumeat, & nobile illud regnum hostilis gladius evertat. Quod si Deus tulerit, cadit murus nostræ religionis, & itinere plano per carnos, & forum Julii, in Italiam Turcorum turmæ decurrent.*

Quo dissipato rex in Austriam concedit ducto secum Mathia Corvino.

Sed ex eventu postea cognitum est, aut vanam fuisse de barbaris famam, aut metu classis pontificiæ, quæ aliarum itidem accessione magnopere aucta est, Mahometem ab Hungaria abstractum, ut maritimas ditiones periculo subtraheret, tametsi legato, qui classi præfuit, cominanti, si Hungariam infestare pergeret, Turciam sibi a christianis ereptum iri, responderit, hanc sibi curæ non futuram, modo Hungaria potiretur. Tantum barbaro insederat potiundæ Hungariæ desiderium. Ladislaus cognito rumorem de hoste vanum fuisse, suamque ad sedandas domi factiones auctoritatem fere vilipendi, Austriam repetiit, ut turbarum semina, quæ se manifestis indiciis prodiderant, in ipso ortu præfocaret. Mathiam Corvinum, quem a cæde fratris onerari vinculis jusserat, ut captivus Viennam secum duceretur imperans, Strigonium appulit. Hic Joannem Varadiensem episcopum ad se accersens, collaudata ejus virtute, & captivitatis causam in æmulos conjiciens, liberum pronunciavit, rectaque Viennam petiit. Eo beneficio magnam rex invidiæ, quam sibi apud Hungaros conflaverat, partem detersisse visus est; deditque Æneas ad episcopum plenas lætitiæ litteras, quibus ei libertatem primum vehementer gratulatur, tum ut in regis fide constans permaneat, etiam atque etiam auctor est, in hæc verba, ut illi alias solebat, familiariter scribens. (2) *Æneas cardinalis Senensis, episcopo Varadiensi S. P. D. Quantum de captivitate tua indigna, & acerba doluimus, tantum modo de liberatione gavisi, & summopere exhilarati sumus. Quippe non solum dignationi tuæ, cujus bonitas, ac innocentia magnifice patefacta est, verum etiam serenissimo regi Ladislao congaudemus, cujus beneficentia, & animi rectitudo indies magis, ac magis elucescit. Namque sicut nobis relatum est, cum persona tua in arce Budensi retenta fuit, minime animus regius ad eam rem inclinatus erat, sed seduxerunt eum eorum consilia, qui tuæ virtuti invidebant: nec rex adhuc juvenculus, & in regno novus, magnis consultoribus adversari audebat: cessit furori, loco, & tempori: illud tamen cavit, ne quid in corpus tuum æmuli tui molirentur. Sed nunc, quæ sua mens fuerit, aperte liquet. Nam qui alieno consilio, atque importunitati dignationem tuam in carcerem conjecit, idem suopte ingenio libertatem tibi restituit. Ob quam rem nemo est,* qui

Strigonium divertens Varadiensem episcopum liberum esse jubet.

Cui libertatem Æneas vehementer gratulatur.

(1) Epist. 266.
(2) Epistola habet: *hoc anno*; sed errorem ex diei inscriptione, quæ septima Aprilis anni 1457. fuit, obrepsisse liquet: itaque in ejus loco substitui: superiore anno.
(3) Epist. 370

Annus Christi 1457. *qui non intelligat capturam tuam ab æmulis tuæ probitatis, liberationem vero, ac salutem a solo rege processisse. Est igitur, quod & tu Serenitati regiæ, quemadmodum hactenus fecisti, ita & in posterum summa cum integritate servias: nos autem, & ceteri, qui te amamus, gratias referamus, quod nos quidem minime negligemus. Eramus hactenus occupati, ut liberationem tuam litteris Apostolicis, & nostris procuraremus, quas bis regio culmini transmisimus: quarum primas mox intellecta novitate transmitti curavimus; alteras vero Laurentius Rovarella, nuncius Apostolicus, secum attulit. Cui etiam verbo procuratio tuæ salutis nobis annuentibus commissa est. Sed intelligimus eum tuam dignationem jam restitutam libertati inventurum, quod quidem gratissimum est. Nam & regratiari regi, quam supplicare, longe est præstantius, & honor tuus major procul dubio redditur, cum non precibus, sed innocentiæ libertatem tuam concessam esse, manifeste liqueat. Rogamus igitur, deinceps bono animo sis, & jucunde vivas, de nobis vero, tanquam de veteri, & fideli amico fiduciam obtineas, sciens, quod votis tuis, quæ quidem in nostra potestate fuerint, nunquam deerimus. Vale, & reverendissimis patribus, Strigoniensi, & Sancti Angeli cardinalibus Apostolicæ sedis legatis, si quando cum eis convenies, memoriam nostri facito.*

Gratiasque propterea regi per epistolam egit. Nec multo post, quod episcopo Varadiensi pollicitus est, ad regem ipsum, ut primum Viennam eum petiisse constabat, scripsit, eique pro beneficio Antistiti præstito, perinde, ac si id collatum sibi esset, humanissime gratias egit. (1)

Æneas Cardinalis Senensis Ladislao regi Hungariæ.

„ Cum superioribus diebus Joannes Varadiensis episcopus ad Budam „ in vincula conjectus esset, idque tuo jussu factum diceretur, ægre id mihi du„ plici de causa fuit. Nam & præsulis integerrimi, ac mihi amicissimi infelici„ tati compatiebar, & honorem tuum parumper obnubilari dolebam; cum epi„ scopum de tua Serenitate optime meritum, & doctrina præditum singulari „ tua Sublimitas in carcerem retrusisse affirmaretur. Scripsi itaque mox Excel„ lentiæ tuæ, quæ mihi in ea re facienda videbantur, pro gloria tua, quemad„ modum fideles famuli benignis dominis suis consulere aliquando solent. Scri„ psit etiam sanctissimus dominus noster semel, atque iterum - - - nescio an hu„ jusmodi litteræ tuam Sublimitatem adierint: illud nunc relatum est; quod tuam „ hanc curiam gaudio replevit non sine præcipua, & ingenti laude tuæ sublimitatis. „ Nam cum episcopus idem non tuo motu, sed aliquorum potentum impulsu, „ quibus non facile resistere poteras, in captivitatem ductus affirmaretur, nunc „ illud plane dicitur, quod innocentem prælatum, quem alieno impulsu cepe„ ras, tua sponte solummodo relaxasti; ex qua re patefacta est animi tui innata „ probitas, & episcopi innocentia liquefacta. Quippe sanctissimus dominus no„ ster, totusque cardinalium cœtus rectitudinem animi tui, & singularem pruden„ tiam magnis extollunt præconiis. Ego vero, qui eundem episcopum jam du„ dum virum probissimum esse cognovi, eique singulari amicitia sum conjun„ ctus, non solum laudo circumspectionem, & beneficentiam tuam, sed gratias, „ quas possum, tuæ Sanctitati ago pro salute homini amicissimo restituta, intel„ ligens non me minus ea de causa tuæ gloriæ obligatum, quam ipsum episco„ pum. Eram etiam ante servitor Sublimitatis tuæ multis de causis obnoxius; „ sed accedente hoc beneficio, nihil est, quod mihi jam reliqui sit, quin totum, „ quod possum Majestati tuæ debeam. Ex Roma anno MCCCCLVII.

Causa intercepti episcopi Varadiensis. Nullo negotio ex utraque epistola intelligitur, regem, ut in comprehendendo episcopo, potentiorum consiliis, ac, ut Sylvius meminit, furori, loco, & tempori cedere debuerat, ita iisdem rationibus ad condemnandum Corvinum verisimiliter impulsum fuisse; ut adeo novum ex Æneæ litteris pro regis innocentia argumentum depromi possit. Ceterum id episcopo, cur vinculis teneretur, præcipue crimini esse datum reperio, quod insidiarum molitiones in Ulricum

(1) Epist. 365.

ricum Cilejensem non prodidisset, & ab Corvino rogatus, quid sibi eatenus videretur, præter, quam dignitatem suam decebat, disserte respondisset, se necem comitis nec suadere, nec, si facta fuisset, improbaturum. (1) *Annus Christi 1457*

Rasciæ despota ex insidiis Belgradi præfectum necat.

Hæc inter despota, postquam instare sibi a barbaris periculum crebris nunciis edoctus fuisset, in Hungariam primum, indeque cognito Ladislaum Viennam abiisse, in Austriam concessit, ut in præsenti discrimine opem ab rege efflagitaret. Sed præter amplissimam spem, eamque, si pax cum cæsare conflaretur, ac Hungaria a partium studiis respiraret, nihil retulit. Neque enim e re visum est, hominis, qui in utramque partem pro commodorum ratione duceretur, defendendi causa, barbaros, alioquin bello paratos, sponte ad arma concitare. Itaque redux cum Belgradum tenuisset, urbi præfectum, Michaelis Szilagii fratrem, seu vindictæ studio, seu solito ad fraudes ingenio, per insidias incerceptum, occidit. Mihael, qui ipse ex eo periculo vix quoque evaserat, collecta celeriter equitum manu, despotam jam reditum in Rasciam parantem ad Danubii ripam assecutus, oborta velitatione, & accepto levi vulnere capit, persolutoque redemtionis precio liberum dimittit, ratus hominem, tametsi fraternæ cædis dolor graviora suaderet, suis redditum, Hungariæ adversum barbaros multum commodaturum. Sed quantopere spem hanc prius, quam extremum diem obiret, luserit, ex Pontificis litteris narraturi sumus. (2)

Captus ab Szilagyio liber dimittitur.

Pontificis in eo conciliando cæsare, & Ladislao studium.

Pontifex facili regis animo, quem nuper in dimisso Varadiensi episcopo luculenter prodidisset, utendum ratus, nihil opere prætermisit, ut eum cum Friderico cæsare, positis dissidiis, conciliaret. Nam & belli apparatus utrinque fieri ex Australium litteris compererat, & rumor in dies crescebat, barbaros, si classis inclementia tempestatis Italiam repetere cogeretur, Hungariæ incubituros esse. Itaque ut periculo caveret, cardinalem sancti Angeli, cujus incredibile in conciliando utroque studium ex Ænea alias intellexerat, majorem in modum obtestatus est, ut iras utriusque prius, in apertum quam erumperent, & cognato sanguine manus turpiter polluerent, extinguere, aut sedare omni conatu niteretur. (3) *Cardinali S. Angeli legato - - - Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Gravi dolore, atque molestia animus noster afficitur ex discordiis, & turbulentiis, quæ bonorum omnium turbatore cooperante in partibus illis vigere mnciantur - - Nec possumus satis explicare conceptum dolorem, & mæstitiam ex hac calamitate. Videmus enim eas partes intestinis incendiis ardere, principes in domesticam perniciem arma cepisse, quorum authores firmamenta fidei, & propugnacula christiani nominis habiti sunt. Omnis autem hæc contentio pro hoste est, qui longe acrior ad oppugnationem Christi fidelium insurget, ubi viderit illos manum inter se conserere, qui soli sibi obstabant, ne suum malignum propositum conculcandæ fidei exequi posset. Ex quo hoc etiam malum redundat, quod omnes nostri, & reliquorum christianorum conatus ad nihilum recidunt. Nam quid prodest, nos in tantis difficultatibus omnium rerum classem incredibili celeritate, & innumerabili sumtu, uno quasi tempore, & construxisse, & in orientem misisse? quid contulerunt obnixæ implorationes, quid adhortationes, quid denique lacrimæ nostræ profuerunt, quibus universum jam christianum orbem commovimus, si Hungaria, quæ aditus, & porta est barbaris ad occupandam christianitatem, & Germaniæ, in cujus opibus firmissimum subsidium fidei est, domesticis vexationibus quatiuntur? profecto hæc mala excruciant animum nostrum, & cis aliqua ratione occurrere, ac mederi vellemus. Scribimus super hoc eidem Imperatori, archiduci, & duci Austriæ, nec non regi Hungariæ illustri, eosque, quantum obnixe possumus, ad pacem hortamur, mittimusque ad eos dilectum filium Georgium de Lapide, Notarium nostrum, qui pro concordia, & unione eorundem omnia experiatur. Nec minus circumspectionem tuam hortamur, ut diligentissime studeas, taiata scandala prohibere, teque his dissensionibus sedandis viriliter interponas, ex quo maximum honorem, & gloriam consequeris. Intellexinus te in re-*

Scribit propterea ad legatum suum.

(1) Gerard. DE ROO hist. Austr. lib. VI.
(2) DU FRESNE in Famil. Dalm. & Sclav. cap. V.
(3) RAYNALD. Tom. X. Annal. Eccles.

Annus Christi 1457.

regnum Bosniæ parare proficisci, credimusque circumspectionem tuam optimo consilio id facere, sed cum tantæ turbationes in Hungaria, & Alemannia sint, vide, & circumspice, quid optimum factu sit: nos enim in tua singulari prudentia plurimum confidimus. In facto es, & vides, quid, qua ratione providendum sit. Superest, ut quod melius est, exsequaris, & nos continue de occurrentibus certiores reddas: semper enim est in suspenso mens nostra, & in horas satagit audire, quæ fiant. Datum Romæ die XXIV. Maji. MCCCCLVII.

Qui tamen novis diffidiis implicantur.

At serius, quam usus esset, litteræ pontificis adfuere. Incruduerant adeo jam inter cæsarem, & Ladislaum odia, ut ad apertum utrinque bellum veniretur. Causa Friderico ab insidiis, quarum tamen Ladislaus omnino imprudens erat, objecta est.

Quam ob causam

Forte cæsar ab Ulrici morte Cilejensem ditionem ad se, ob pacta conventa, pertinere arbitratus, Cilejam provinciæ caput, petiit: ut fidei sacramentum ab subditis acciperet. Eam rem cum cæsi comitis vidua, & qui cum Ladislao sentiebant, inter quos Conradus Holczerus, Australium ærario præfectus primas tenebat, indigne ferrent: clam ad Vitoveczium, erat is copiarum sub Ulrico ductor, litteras dant, monent, quo in loco res sit, hortanturque ne pulcberrimi facinoris opportunitatem præterlabi sinat, facile, si cum paucis per viarum diverticula advolet, aut cæsarem, aut præcipuos ejus consiliarios, qui a defensoribus imparati essent, capi posse, idque regem Ladislaum, cui Fridericus in exactione sacramenti grandem injuriam inferret, permagni facturum, & multis præterea præmiis remuneraturum esse. Vitoveczius & præmiorum spe, & rei gerendæ facilitate illectus, cum fido suorum manipulo accurrit, oppidumque ingressus Gurcensem Episcopum, Joannem & Georgium Ungnadios, cum haud parva nobilium manu cepit, Fridericus de insidiis mature admonitus in arcem evadens, conatus Vitoveczii feliciter elusit. (1) Hinc implacabiles fere cæsaris in Ladislaum iræ, quod ejus jussu conflatum sibi esse periculum putaret. Itaque primus educto in campum milite bellum orsus est, fuitque crebro, tametsi non justis copiis, sed levi velitatione dimicatum, fortuna jam in hanc, jam in illam partem ut fit, secunda, alternaque.

Duæ in Hungaria factiones rem publicam turbant.

Hungaria quoque fœdum in morem intestino partium studio miscebatur, pars sub Nicolao de Ujlak ab rege stabat, alii duce Szilagyio ob trucidatum Corvinum, facta secessione, vicinas Transilvaniæ provincias ferro, flammaque percursabant: quorum conciliandorum cum spes nulla superesse videretur, tam misera regni facies fuit, ut Æneas ad cardinalem sancti Angeli non dubitaverit in hæc verba scribere: *doleo armis plenam esse Hungariam, quibus non in Turcos, sed in se barones ejus terræ depugnent: illud quoque molestissimum est, quod inter imperatorem, & Hungariæ regem vetustæ contentiones recrudescunt. Mallem tua studia huic morbo mederi, &, quæ sunt in visceribus nostris, auferre mala potius, quam quæ cutem attingunt.* (2) Erat enim tum legatus in Bosnia, ut populos, illius Provinciæ adversus barbarorum incursiones communiret. Ut vero in Hungariam eum rediisse ex litteris intellexit, extemplo Austriam petere, ad conciliandum regi cæsarem ne omitteret, admonuit, facilemque compositionis modum ita suggessit. *Breves more tuo scripsisti ad me nuper epistolas: vidi eas libenter, quia significabant te ex Bosnia reversum prope Hungariam degere, ac bene valere, quod mihi jucundissimum fuit. Spero hæc scripta mea repertura esse in Austria personam tuam, inter mitiores gentes. Utinam ita fiat. Nam præsentia tua futurum opinor, ut principes illarum partium prorsus componantur. Ait enim cardinalis Papiensis, se, cum anno superiore ageret in Austria, omnes lites inter imperatorem, & regem Hungariæ adeo attenuasse, ut parum ad integram concordiam superfuerit. Composuisset omnino partes suas, ut est opinio, nisi coactus fuisset, Nurenbergam ascendere. Existimo igitur haud dubie dignationem tuam sine debito terminaturam, quod ille infectum reliquit, si tamen ita est, ut compositioni tam parva, ut referunt, res defuerit. Un-*

cun-

(1) DE Roo hist. Austr. lib. VI.

(2) Epist. 269.

Annus Christi 1457.

tunque sit, elaborandum est eo in negotia. Nec minus erit composuisse imperatorem, & regem, quam Turcum delevisse: & ego quidem hanc coronam tuæ dignationi auguror, & opto. (1)

Pontifex a calumnia apud Germanos sibi conflata

Inauspicatum tamen Æneam hac in re fuisse augurem ex eventu patuit. Neque enim legatus, quamquam nervos omnes intenderet, quidquam in conciliandis partibus promoverat: quin ut ejus conatus inutiles redderentur, famam, Friderico, ut opinio erat, haud imprudente, nescio, a quibus sparsam in vulgus scriptores prodidere, quasi pontifex dedita opera bellum cum barbaris aleret, ut Germaniam ad faciendos in classem sumtus, specioso titulo exinaniret. Callistus, ne quid ex calumnia sibi adhæresceret, prolixam ad cæsarem epistolam dedit, qua sparsam de se malignam famam non solum gravissimis momentis diluit, sed rationem singillatim reddit etiam, in quem usum auri summa, quam Germania sponte obtulerat, congesta esset. Inter cetera enim, quæ ad sui purgationem affert, *licet*, scribit (2), *nobis in domino gloriari, qui per ministros suos, torpentibus, ac pene dormientibus cunctis ferme christianis principibus, nobis tantummodo instantibus, atque urgentibus, Turcorum superbissima cornua, & insolentissimas acies apud Hungariam confregit, magnumque illum, & potentissimum exercitum prostravit, qui sibi non Hungariam modo, sed Germaniam totam, Galliam, atque Italiam proterere, legemque Christi funditus evertere promittebat. Itaque liberavit Dominus populum suum præsulato nostro, plebemque suam ex ipsis quodammodo faucibus crudelissimi, sive immanissimi draconis eripuit. Nunc quoque classis nostra Rhodum tuetur, Cyprum, Mytilenem, Chium, & omnes in oriente christiani nominis insulas, quæ sine tali præsidio haud quaque Turcorum navibus in dies incursantibus resistere potuissent, quodque laudabilius est, ac divino nobis munere concessum, non tantum, quas diximus, insulas legatus noster sua prudentia, & armorum robore tutatus est; sed alias plerasque Turcorum domino servientes, ad Apostolicæ sedis devotionem, obedientiamque redegit, novissimeque non pauca eorundem Turcorum navigia, ad oppugnandas christianorum insulas exeuntia, potenter invasit, debellavit, in potestatem recepit. Nec Albania ingruentes barbarorum impetus proximis diebus inclinare potuisset, nisi nostrarum intervenissent pecuniarum auxilia, quæ Scanderbego misimus. In his nos rebus pecunias consuminus; in his profundimus, quidquid undecunque corradere possumus auri, vel argenti: honorem Dei, non nostrum quærimus; pro salute populi nobis commissi laboramus, non pro privata utilitate nostra. Curamus, ne nostro tempore christianum nomen spurcissimi Turcorum pedes conculcare possint. Sed non sunt hæc onera, quæ nos soli portare queamus, vel sedes Apostolica valeat per se ipsam tolerare: facimus tamen quod possumus, & quiescentibus aliis, qui nobis auxilio esse deberent, instamus, acceleramus, urgemus, nihil omittimus ex his, quæ facultates nostræ permittunt. Necessaria nobis detrahimus, ut incumbenti necessitati pro parte nobis possibili subveniamus. Quæ cum ita sint, audent tamen nonnulli, parum quidem religiosi, & ad commune bonum minus intenti, nos redarguere, quod ab his pecunias recipimus, qui promoventur, quamvis sponte oblatas in classem contra Turcos emissam. Quod quam inique agant, jam plane perspicis.*

Litteris ad cæsarem datis se purgat.

Simulque ad meundam cum Ladislao amicitiam eum hortatur.

Tum captata occasione ad id, quod, ut scriberet, rei caput erat, delapsus, cæsarem, ne cognato sanguine manus inquinaret, ac ut dignitate prior, ita superior prudentia cum adolescente rege positis armis, fœdus, amicitiamque iniret, cohortatus est. *Ceterum*, inquit (1) *quia charissimum in Christo filium nostrum, Ladislaum Hungariæ, ac Bohemiæ regem illustrem, nondum reconciliatum tibi esse percepimus, sed adhuc inter te, atque ipsum lites esse feruntur peringentes, quamvis non dubitamus, pro tua sapientia, ea duntaxat seu quærere, seu velle, quæ sint æquitati, ac justitiæ consona, quia tamen discordia vestra tanto magis nos angit, quanto magis christianæ reipublicæ damnum resultat, Serenitatem tuam rogamus, ut ante tuos oculos ponas primum, cum quo contendis, & ubi contendis? quia cum carne tua, cum*

(1) Inter SYLVII epist. 371.
(2) Epist 283.
(3) Ibidem.

Annus Christi. 1457.

cum sanguine tuo, cum fratre tuo, & in domo tua, in agris paternis, in hæreditate avita bellum geris, in quo nec perdere, nec vincere tutum est. Considera, quod tu imperator es, advocatus ecclesiæ, protector fidei catholicæ, primus inter seculi principes, primus, qui arma pro defensione religionis nostræ induere debeas. Considera, quod tu ille es, in quem omnium christianorum oculi conjecti sunt, qui si, quemadmodum tibi ex officio incumbit, adversus impiam Turcorum gentem arma promoveris, universos ferme reges, ac principes, ut te sequantur, provocabis, labantemque rem christianam magnifice sublevabis. Intellexisti, quæ fecerunt Turci superioribus annis, ut Constantinopolim orientalis imperii caput, ac totius Græciæ columen invaserunt, ut urbes quam plurimas incenderunt, ut christianum sanguinem effuderunt, ut altaria everterunt, ut sanctorum reliquias pro canibus objecerunt, ut imagines Dei nostri, gloriosissimæque matris ejus, aut lanceis effoderunt, aut sputis, lutoque deturparunt. Scis, quæ nunc cogitent, quæ patrent, quæ moliantur: nullum illis studium ardentius, nulla cura propensior est, quam ut ea agant, per quæ possint christianam gentem funditus perdere: vincula, verbera, neces fidelibus omnibus comminantur. Prope est eorum gladius, & adesse festinant tempora, & tu interim, ac patruelis tuus, arma, quæ merito in hostes fidei verterentur, contra subditos, & vasallos vestros exercetis. Dices fortasse, quievissem, nisi me magna necessitas impulisset, sed paratæ mihi fuerunt insidiæ; hæreditas mea in periculo est posita, coactus sum arma pro defensione capessere, invitus pugno cum sanguine meo. Possibile est, quod ais, nihil inficiamur: age, sint vera, quæ refers, omnia; sit justissima tua causa: at justius est pro Christo pugnare, & major necessitas est, hæreditatem Christi, quam tuam defendere. Si tua perit, est adhuc, ubi salveris; si perit Christi hæreditas, quod tamen nullo pacto futurum putamus, & tuam hæreditatem perire oportet, & christianæ rei publicæ fundamenta corruere. Cogita igitur de communi periculo, & majora minoribus antepone. Exquirito omnes vias, quibus cum patruele tuo, quantum sanguine jungeris, tantum dilectione, & affectu sincero copuleris, nec illi imputes quoquomodo, quæ per alios ætati teneræ subgeruntur. Audivimus dilectum filium nobilem virum, Ludovicum Bavariæ ducem inter te, & ipsum patruelem de pace acturum in Austriam descendisse. Credimus & dilectum filium nostrum, Joannem cardinalem sancti Angeli, apostolicæ sedis legatum, quemadmodum sibi scripsimus, eisdem tractatibus interfuturum. Age, flecte animum, & amplectere bona mente concordiam, noli omnia, quæ tibi debentur, exquirere: esto contentus his, quæ potes obtinere: nec graveris pro bono pacis de tuo jure pauca dimittere. Deus, pro cujus causa pacem accipies, majora tibi retribuet. Commendabunt omnes tuam sapientiam, quæ furori temperantiam, arrogantiæ humilitatem, duritiei mansuetudinem, tenacitati largitatem objecerit. Sit finis aliquando civilis, & intestinæ discordiæ, ut tandem cum patruele tuo reconciliatus, & tu ipse, & ceteri Germaniæ terræ proceres, quorum consuevit in armis esse invicta virtus, unitis jam viribus, ac concordibus animis in Turcos militaria signa feratis, infelices christianos, qui per Græciam captivi mærent, a jugo servitutis eximatis, ac regiam civitatem, quæ de Constantino cæsare nomen habet, quam turpiter pridem amissa fuit, tam gloriose recuperetis. Hæc scripsimus Serenitati tuæ, non sine fiducia singulari, pro ea, qua tibi, & inclitæ nationi tuæ ingenti charitate sumus affecti. Tuum est, ut hæc tam bono animo recipias, quam sunt a nobis optimo corde prolata. Datum Romæ apud sanctum Petrum pridie calendas Septembres, anno MCCCCLVII.

Ejusdem argumenti ab eodem ad Hungariæ regem literæ.

Et re ipsa Ludovicus Bavariæ dux cum Ottone fratre, tum episcopus Passaviensis, & comes Magdeburgensis, ut cardinalis sancti Angeli significaverat, Viennam conventuri erant, ut, sublatis discordiarum causis, pacem, aut, si hanc non possent, inducias inter cæsarem, & Hungariæ regem conflarent. Quorum opera, ne frustra videretur suscepta, pontifex, haud satis se fecisse ratus, quod Fridericum futuro foederi tractabilem reddidisset, ipsum quoque Ladislaum, ut hac quoque parte, si quid ad constabiliendam penitus amicitiam, obstaculi oriretur, multo ante complanaret, litteris seorsim conveniendum putavit. (1)

(1) Inter epist. Sylvii 331.

Calli-

Callistus episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio, Ladislao regi Hungariæ illustri, salutem, & apostolicam benedictionem. Annus Christi 1457.

„ Intelleximus non sine gravi displicentia mentis nostræ, & amaritudine „ cordis, quod adhuc inter charissimum in Christo filium nostrum, Fridericum „ Romanorum imperatorem Augustum, & tuam Serenitatem non solum discor„ dia, sed apertum bellum perduret, & hinc inde subditi vestri vexentur, & „ lacerentur. Quæ res tanto molestior nobis est, quanto majus exinde christia„ næ reipublicæ detrimentum resultat. Est profecto res detestabilis, quod vos, „ qui una ex familia nati estis, proximi sanguine, fratresque patrueles, tantis „ invicem odiis ferveatis, ut etiam armis decertetis. Dolendum est, quod opu„ lentam, & nobilem patriam vestram nunc ferro, nunc igne dissensio vestra de„ vastet, & illas vires inter vos consumatis, quas deberetis in hostes fidei pro „ tutela christianæ religionis effundere. Et quamvis imperatori præfato, tan„ quam primo inter seculi principes advocato ecclesiæ, & protectori fidei ca„ tholicæ potissime incumbat, pace in suo imperio procurata totis conatibus „ in eos militaria signa transferre, qui nomini christiano insultare nituntur, tibi „ tamen non minor cura esse debet, ad hostes fidei propulsandos, & maxime „ Turcos, qui regno tuo Hungariæ latissimo, & quondam florentissimo non so„ lum vicini sunt, illique molestias in dies inferunt, sed etiam non parvas ejus „ provincias sibi usurpaverunt. Dolemus certe, & angimur vehementer, cum „ in dies ex illo regno christianos capi, & in barbaricam deduci captivitatem „ accipimus, miramurque, te non majori studio teneri pro defensione ipsius re„ gni, quam videamus, qui, dum in Austria cum patruele tuo contendis, præ„ fati regni curam postposuisse videaris, tanquam plus doleas unam tibi per „ christianos villam auferri, quam si per Turcos una provincia surripiatur. Cer„ te illud palam est, quod cum tu, & dictus imperator invicem discordes „ estis, & domestico bello impliciti non solum Hungaria, sed tota fere christia„ nitas in periculo ponitur. Nam quomodo Galli, & Hispani, vel Angli „ contra Turcos exercitum ducere curabunt, in remotis agentes, quando vos, „ qui prope estis, & quorum potissime res agitur, inter vos diffidentes nihil „ cogitare videmini super his, quæ Turcorum perfida gens adversus christianos „ in dies molitur. Est igitur, supra quam dicere possumus, periculosa hæc ve„ stra discordia, nec dubitamus, quin mala infinita prorumpant, nisi quam ce„ lerrime tu & imperator præfatus simul conciliamini. Audivimus tamen unum „ quod nobis consolationi est, dilectum filium nobilem virum, Ludovicum Ba„ variæ ducem in Austriam descendisse, concordiam inter vos, tanquam com„ munem amicum practicaturum: nos autem dilecto filio nostro Joanni cardina„ li sancti Angeli, apostolicæ sedis legato, qui jam dudum pro salute regni tui „ Hungariæ, proque communi christianorum utilitate, non sine magnis labori„ bus & expensis ibidem commoratus est, litteras dedimus, ut ad imperatorem, „ & tuam Serenitatem confestim se conferens, omne studium suum ad id con„ vertat, ut tandem lites vestræ tollantur, & penitus sopiantur, redeatque ea „ inter vos benevolentia, quam propinquitas vestra requirit, & nos desidera„ mus. Interea dilectus filius Laurentius Rovarella sacræ Theologiæ professor, „ nuncius, & subdiaconus noster, simul cum dilecto duce ad eam pacem pro „ viribus se agitabit. Velit igitur tua Serenitas ad ea, quæ pacis sunt, animum „ inclinando ita se habere, ut jam denique finis imponatur domesticæ dissensio„ ni vestræ, nec velis audire eos, qui fomenta suggerunt dissensionum, sed „ modos quoslibet idoneos perquire, ut in Austria, ceterisque tuis dominiis „ pacificatus ad defensionem Hungariæ, prædictorumque Turcorum exitium in„ surgere possis, & ita efficias, ut imperator tuam erga se charitatem intelli„ gens, una tecum, vocatis ex Alemania subsidiis, exercitum pro tutela fidei, „ & regni tui salute ducere invitetur. Insuper, quia nonnullos per Germani„ am rumores esse audivimus, tanquam nos rationem ipsam diversis modis ag-

 „ grave-

Annus Christi 1457.

„ gravemus, mittimus copiam litterarum nostrarum, quas imperatori dirigimus, „ tam super pace tecum habenda, quam super rumoribus hujusmodi, ut, si „ forte ad aures tuas oblocutiones istiusmodi pervenerint, habeas ex nobis, unde Serenitatem tuam, & innocentiam nostram tueri, atque ostendere possis. „ Hæc scribimus tibi pro ea charitate, qua personam tuam prosequimur, qui, „ postquam te hic Romæ in minoribus constituti vidimus, & tuam indolem adhuc in ætate tenera consideravimus, ab illo tempore personam tuam singulari „ quodam affectu diliximus, & existimantes te pro magno aliquo christianitatis „ bono ad maxima reservari, de bona valetudine tua, ac felici statu semper curiosi „ fuimus. Tuum nunc est, quæ a nobis scribuntur, bona mente recipere, & spem, „ quam de tua probitate concepimus, adimplere. Datum Romæ, pridie calendas septembres. Anno MCCCCLVII.

Indicto Corneuburgi conventu de induciis, & sponsa regis agitur.

Ab adventu Bavariæ ducis placuit ad novum Tritici forum, Corneuburgum alii dicunt, ex pacificatorum arbitrio legatos partium convenire, ut loci infrequentia, & solitudo nihil libertati consultantium detraheret. Adfuit a Friderico Albertus Austriæ archidux, jam enim hac prærogativa cæsar ducatum ornaverat; ab Ladislao contra Eyczingerus, qui ab Ulrici morte plurimum apud regem gratia & auctoritate valuit: quamquam ipse Ladislaus quoque haud mul to post consultationi per se se interesse voluerit. Quid in eo conventu actum, & quem in modum partibus convenerit, nihil habeo, quod affirmare queam: illud constat, postquam diu frustra de pace, & conditionibus, quas Callistus ex urbe miserat, dimicatum inter oratores fuisset, inducias non invito rege confectas, & eo usque prorogatas esse, quoad conventus Pragæ in Bohemia haberetur, in quo reges, & principes, ex tota pene Europa nuptiarum causa affuturi essent. (1)

Legitur Margarita Francorum regis filia.

E re enim publica, & regnorum quiete plerisque in eo conventu visum est, ut rex ad ducendam uxorem animum appelleret. Multæ, quæ tantum conjugium expeterent, virgines offerebantur, nulla tamen nobilissimo rege dignior præ Margarita filia Caroli Francorum regis est habita, cum propter ætatem ab Ladislai haud multum dissimilem, egregiamque formam, ac pudicos mores, tum ob præcellentem sanguinis nobilitatem, & majorum late vulgatam gloriam. Itaque cum in hanc rex quoque, ab re uxoria non plane alienus, consensisset, placuit nunciis ultro citroque missis rem primum transigi; qua, quod Ladislaus ultro etiam a plerisque gener expeteretur, citra ambages, & difficultatem confecta, oratores, qui pro dignitate tanti regis sponsam maxima pompa adducerent, leguntur: inter hos primas partes habuit Ulricus Passaviensium præsul, quem octoaginta equos, candidi coloris omnes, & phaleris aureis ornatos Lutetiam adduxisse auctor coævus perhibet: ab Hungaris Colocensis archiepiscopus cum duobus regni optimatibus missi, qui clientelarum frequentia, equorum generositate, ac auri, gemmarumque copia ceteros anteibant: totidem Bohemi, nihilo reliquis ab ornatu minus comparatos legere: ab Australibus Ulrico Passaviensi, Rudigerus Starembergius, & Oswaldus Eyczingerus comites adjecti sunt. Septingentos universe equites ei legationi adfuisse memoriæ proditum est: ad hæc quadrigas auratas, quibus matronæ, ac virgines sponsam deducturæ, & dona, quæ regina Hungariæ digna essent, veherentur. (2)

Legatio ad eam destinata.

Consultatur de nuptiarum loco.

Ut facile omnibus de legenda sponsa convenerat, ita de loco, ubi nuptiæ celebrantur, ingens disceptatio oborta est. Hungari Budam, Viennam Australes, Bohemi Pragam ei celebritati destinabant. Diu ea altercatio, rege, ne in utramvis partem offenderet, nutante, agebatur: quoad re comperta Georgius Podiebradius cum octingentis equitibus in Austriam profectus, ac prope Danubium contra Viennam, subsistens, Ladislaum ex urbe ad colloquium excivisset. Insolens id postulatum, plerisque, atque illiberale etiam visum: itaque Viennam venire jussus respondit, haud tutam sibi eam urbem videri, neque tamen

(1) Auctor Mſ. rer. Austr. & SYLVIUS epist. 340.

(2) Auctor Mſ. rer. Austr. & SYLVIUS in rebus Fridr. III.

Annus Christi 1457.

men re infecta abscessurum, quod, quæ regi cummunicanda haberet, gravissimi momenti essent: rogatus missis nunciis, quæ vellet, pandere, facturum se negabat, esse enim res arcanas, quas per alios vulgari oportere minime arbitraretur. In ea sententia cum perstaret, neque urbem Podiebradius vellet ingredi, hæsitatum aliquamdiu est, essetne homini parum officioso, & metum de nihilo simulanti mos gerendus; an pro auctoritate regis Viennam cogendus: *Senatui non placebat, tantum licentiæ dare subditis, insolentes eo modo fieri, & majestatem vilescere. Ladislaum contra movebat gubernatoris auctoritas, & aliquid subesse arduum existimabat: neque latebat eum, honestatem utilitati cedere, ac tempori serviendum esse. Perrexit igitur inermis ad armatum; tria millia equitum sequuta, togatus magis, quam loricatus exercitus. Tentoria in ulteriore Danubii ripa protensa, dimisso spatio inter bina castra, & tabernaculum in medio collocatum, in quo rex cum gubernatore conveniret. Quatuor diebus colloquium productum est, rex per noctem in urbem rediit. Primus congressus publicus fuit, in quo salutatio de more facta, & honos regi habitus. In altero, atque item altero, duo tantum sermonis testes adhibiti, in quarto semotis arbitris, solus cum rege Georgius tabernaculum introivit, verba inter eos habita, non sunt prodita. Ex iis tamen, quæ postea sequuta sunt, palam est, de transitu regis in Bohemiam fuisse tractatum. Ubi sermone sæpius habito non convenere voluntates, indignabundus Podiebradius, minabundusque retro in Moraviam iter flexit. Regi haud salubre consilium visum est, dimisisse hominem male pacatum, quem penes regni potestas esset, quive nocere pariter, ac minari posset. Misit ergo primores ex curia proceres, qui placatum retraherent, sin minus, facturum postulata regem promitterent. Juventus in itinere, nec de reditu verbum fieri passus est, nec de sua sententia quidquam detraxit.* (1) Itaque ne homo importunus aliquid mali daret, Praga, in qua conjugii futuri celebritas adornaretur, ab rege designata est.

Importunitate Podiebradii rex victus Pragam deligit.

Ubi nuptiarum fama Romæ quoque certis nunciis cognita est, Callistus, ne quid ex sua parte ad condecorandam eam solemnitatem prætermisisse videretur, cardinalem sancti Angeli eisdem interesse voluit, præsertim quod eo præterea loco de conciliatione Friderici cum rege Hungariæ, & armis in barbaros commovendis principes communiter acturos intellexisset. Itaque, ut quam primum ex Hungaria Viennam contenderet, scriptis in hunc modum litteris imperavit. (2)

Papa legatum suum, ut nuptiarum solemnitati intersit,

Callistus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Joanni cardinali S. Angeli, salutem, & apostolicam benedictionem.

„ Ex litteris, quæ de partibus Austriæ ad curiam nostram in dies deferuntur, intelligimus dilectionem tuam, cum litteræ illæ scriberentur, adhuc fuisse in Hungaria, de qua re plurimum admirati sumus, cum jam pridem tibi scripserimus, ut ad partes Alemaniæ te conferres, eam discordiam pro tua facultate sedaturum, quæ inter charissimos filios nostros Fridericum Romanorum imperatorem, & Ladislaum Hungariæ, & Bohemiæ regem versatur, quæ quantum periculosa sit, & quantum rei publicæ christianæ damnosa, pro tua singulari prudentia non ignoras. Nescimus, quæ res te tamdiu retardaverit, cum non lateat, non minus utile fore dictos principes adinvicem reconciliare, quam Turcorum perniciosis obviare conatibus: siquidem noxiora multum sunt intestina bella, quam externa, & frustra his, qui foris sunt, resistimus, si aliis, qui intus sunt, vulneramur. Itaque voluissemus te, quamprimum recepisti litteras nostras, ad imperatorem, & regem præfatos iter arripuisse, quod quidem fuisset judicio nostro expeditissimum. Verum cum novissime nobis relatum sit, dictum Hungariæ, ac Bohemiæ regem circa festum sancti Martini proxime futurum, decrevisse Bohemiam petere, ut sibi sponsam suam charissimi filii nostri Caroli regis Francorum natam conduci faciat, „ &

Per litteras admonet.

(1) ÆNEAS SYLV. Hist. Bohem. cap. 69. (2) Inter ÆNEAE epist 339.

Annus Christi 1457.

„ & cum eadem ibidem solennes nuptias celebret, pro qua jam fertur oratores mi-
„ sisse, committimus tibi, & harum serie mandamus, ut omnibus aliis posthabitis, ad
„ ipsum regem quam celerrime te conferas, ejusque nuptias tam sui, quam
„ dicti regis Franciæ consideratione, nostro, & apostolicæ sedis nomine, ut di-
„ gnum est, tua præsentia honores. Erunt enim, ut fama est, hæ nuptiæ plu-
„ rimum excellentes, ac magnificæ, tam respectu personarum invicem contra-
„ hentium, quam principum, qui conventuri eo dicuntur, cum non solum di-
„ lecti nobiles viri, Bavariæ, & Saxoniæ duces, marchionesque Brandebur-
„ genses cum conjugibus, sed etiam charissimus filius noster, Casimirus rex
„ Poloniæ, simulque consors ejus regina, earundem nuptiarum celebrationi as-
„ serantur interfuturi. Consideramus autem, quod in tantorum conventu princi-
„ pum multa tractabuntur, in quibus erit tua præsentia nedum utilis, sed etiam
„ necessaria, per quos religio nostra contra Turcorum impetus defendatur,
„ commode tractare. Et cum sint ibi nonnulli male de fide catholica sentien-
„ tes, eorum malitiæ, ne quid in tanta congregatione nocere possit, opportu-
„ ne obviabis. Quibus ex rebus necesse est, ut eidem congregationi prorsus
„ interesse cures, & ita nos dilectioni tuæ, iterum, atque iterum committimus,
„ & mandamus, responsum tuum super his quam celerrime exspectantes. Da-
„ tum Romæ die prima Octobris.

Idem, ut Æneas legato scriberet, imperat.

Simul Æneæ Silvio cardinali Senensi in mandatis dedit, ut legatum, quid illum ea in re facere vellet, singillatim magis edoceret. Morem is gessit mandanti, & suam quoque epistolam pontificiæ in bæc verba adjecit. (1) *Cognosces ex litteris Sanctissimi domini nostri, quam necessaria sit præsentia tua in nuptiis, quas Serenissimus rex Hungariæ celebraturus est in Praga. Ob quam rem quamvis celerrime eo te conferas, quia tamen ejus rei utilitatem non solum animo percipio, sed manibus quodammodo, ut ita loquar, palpare videor, non possum facere, quin tanquam servitor & filius tuus ea scribam, quæ honorem tuum concernere animadverto. Sane quamvis pietas domini nostri id judicium de tua dignatione faciat, quod de viro prudentissimo, & optimo babendum est, quamvisque omnia, quæ per te facta sunt, miro modo commendet, illud tamen plurimum admiratur, quod dissidentibus inter se serenissimis principibus, Romanorum imperatore, & Hungariæ rege, non statim te ad sedandas eorum discordias, sepositis aliis negotiis, præparavisti; cum certum sit, illis inter se contendentibus, non solum nobilem illam Austriæ provinciam conturbari, sed etiam Turcis viam præberi, qua facilius ad christianitatis invasionem prorumpere possint. Videtur igitur mibi admodum expediens, quod tua dignitas ad præfatas nuptias iter suum acceleret, quæ, ut intimatur, mense Januario, aut tardius Februario celebrabuntur. Erit conventus ille celeberrimus, in quo duo reges, & tot principes comparebunt. Non dubito, quin magna ibi tractentur, & ut, arbitror, quin principaliter, agitabuntur in eo loco negotia. Namque cum lites imperatoris, & regis nondum compositæ sint, erit cura illorum principum imprimis illas sedare. Inter Poloniæ regem, & fratres sanctæ Mariæ Teutonicorum agetur de concordia: Bobemi de suis articulis curiosi erunt: illi, qui sunt in Rbeno, & res novas contra sedem apostolicam practicare nituntur, non omittent per oratores suos in eo conventu aliquid attentare. Postremo etiam de defensione fidei contra Turcos, ut mea est opinio, inter tantos Proceres sermo fiet. Magna sunt bæc, & profecto tuam præsentiam merito exigunt. Itaque tanquam servitor tuus suadeo, ne quo pacto ei congregationi absis; quod esset & inbonestum, & incommodum apostolicæ sedi: quod si interfueris, complacebis procul dubio non solum regi Hungariæ, sed etiam regi Franciæ, cujus filiæ nuptias bonorabis, obviabis malis, quæ per nonnullos procurantur. Et multa bona opera procurare poteris, tam pro pace christianorum, quam pro defensione fidei contra inimicos crucis Christi; pumque sanctissimi domini nostri desiderium boc potissimum modo adimplebis, & rem facies tua virtute dignam, duabusque maximis nationibus Galliæ, & Germaniæ, simulque maximis duobus principibus, boc est, imperatori, & patrueli suo, & regi*

(1) Idem epist. 340.

Fran-

Franciæ, in filiæ ſuæ honoratione rem gratam faciens demulcebis capita. Datum Romæ die prima Octobris, Anno Domini MCCCCLVII. Verum pontifex, ſive ſplendorem per ſuos augere voluerit, ſeu plus ad res tractandas ſpei in Ænea, Auſtralium, & Bohemorum ingenii gnariſſimo, quam in legato eſſe crederet, illum quoque, ut ſolemnitati nuptiarum intereſſet, Pragam deſtinavit, quemadmodum poſtea memorandi locus erit.

Annus Chriſti 1457.

Rex dum nuptiis omnia apparantur,

Interea nuptiis quanta fieri poterat magnificentia celebrandis omnia ingenti ſtudio apparabantur: imperator & Auguſta vocati, ambæque regis ſorores cum viris acceſſuræ erant: Hungariæ, Saxoniæ, Bavariæ, Franconiæ, Sileſiæ, Rhenique principes, tum multi ex Gallia reguli primores quoque, non modo eam celebritatem ſua præſentia ornaturi, ſed expletis hilariis de republica adverſum Turcos defendenda acturi ferebantur. Ladislaus, cum jam pene omnes itineri bohemico accincti eſſent, ſingulari ad poſteros pietatis exemplo, paucis familiarium ſtipatus, imprudentibus pene omnibus, ad divam virginem, quæ a cellis in Stiria nomen habet, pedeſter adiit: indeque, ubi ſe religionibus pro temporis habitu, & loci ſanctitate procurari feciſſet, per Mellicium redux, iter ante præſtitutum tempus in Bohemiam auſpicatus eſt (1) *Intranti Pragam Robeczana cum ſacrilego presbyterorum comitatu pompam ducens, obviam venit; & habita oratione, fauſto, feliciqne reditu congratulatus eſt, vix admonente Podiebradio rex gratias egit, hæreticum, ac peſtiferum torvis oculis clerum inſpiciens. Ubi vero majoris eccleſiæ ſacerdotes ſacra ferentes ocurrerant, hos, inquit, Dei miniſtros agnoſco, atque ab equo proſiliens, conſalutatis omnibus, ſacram crucem oſculatus eſt. Erant enim Romanæ fidei ſectatores, qui pro teſtamento Dei exilium longo tempore paſſi, Sigismundi tandem vocatione ſua loca recuperaverant. Hæc Ladislai pietas multorum offendit animos, qui Robeczanæ ſtudebant ineptiis, ſuppreſſum tamen, ac diſſimulatum odium.* (2) Dehinc nova ad placandum cæſarem conſilia haberi cœpta: neque enim, quamquam induciæ confectæ eſſent, ſatis tuta per abſentiam Auſtria videbatur, præſertim, quod, ut nuptiis intereſſet, rogatus, venturum ſe negaſſet.

Ad cellas Marianas devotionis cauſa abit.

Redux in Bohemiam proficiſcitur.

Miſſus eſt Ulricus Eyczingerus; qui poſt longam diſceptationem, adnitentibus ceteris quoque legatis, concordiæ leges ita temperavit, ut ab utraque parte publicis tabulis firmarentur. Et ne quid communem deinceps pacem interciperet, eadem opera Petovium Eyczingerus proficiſcitur, ut cæſi comitis viduam, ac Vitoveczium Friderico conciliaret. Facilis erat tractatio, quod vires, ſi cæſar vim admoturus eſſet, ſociis deſtituti in promptu non habebant: itaque vidua in poſſeſſionem ditionum, quas ab viro adepta eſt, reſtituta, Vitoveczius, ubi arces bello captas Friderico remiſit, oblitterata injuriarum memoria in gratiam receptus eſt. (3)

Et amicitiam cum cæſare per nuncios conciliat.

Cum hæc in Auſtria, ac Bohemia fiunt, crebris ex Gallia nunciis affertur, legatos, cum Pariſios veniſſent, effuſa ad ſpectaculum urbe, & non viſam antehac legationem ſtupente, liberaliter ab rege acceptos, & haud multo poſt, quam ſponſa ſuos poſtremum ſalutaſſet, Pragam redituros: affuturos quoque ex primo ordine viros principes, & ingentem nobilium frequentiam, qui plerique omnes reginam comitari, & nuptiis intereſſe cupiant. Ferunt Podiebradium ea fama vehementer perturbatum, palam de hominum multitudine, quæ regno oneri, & ſumtui futura eſſet, queſtum fuiſſe: Rocheczanam vero metuiſſe etiam, ne tot principum adventu, vires ſuæ factionis acciderentur. Quo id animo ab utroque factum, & rectene iſthinc ad res futuras conjectura capi poſſit, apud alios arbitrium eſto. Ladislaus contra libenti hæc animo accipiens, quæcunque ad ſplendide accipiendam ſponſam, ex Gallia mox affuturam, facere quoquomodo videbantur, diligenter, magnoque ſtudio parari juſſit, ſpei plenus, non modo connubium, quod ex ſuorum voluntate iniſſet, feliciter caſurum, ſed ex frequenti præterea tot principum eventu, qui ſe per legatos celebritati affuturos

Legatio Pariſiis ingenti ſplendore, & lætitia accipitur.

(1) R. P. ANSELMUS SCHRAMB. in chron. Mellic. ex MſſC. confecto.

(2) ÆNEAS SYLV. hiſt. Bohem. cap 69.

(3) Auct. Mſ. coævus rer. Auſtri. ab anno 1454 ad 1467.

Annus Christi 1457.

affuturos ſpoponderant, commune adverſus barbaros bellum unanimiter decretum iri, præſertim, quod & placatum per ſuos cæſarem jam intellexit, & ab Ænea, qui recens a pontifice miſſus advenerat, cujusque conſilio permultum tribuebat, fides facta eſſet, Italiæ principes, regis ſtudio, quacunque in re poſſent, omnia delaturos eſſe.

Hæc inter rex contra omnium opinionem morbo correptus.

Sed ingentes hos apparatus, tantam de rege optimo apud Europæ principes concitatam expectationem, pulcherrimas has ſpes, & rerum quæ ad agendam celebritatem conſtitutæ erant, ordinem immatura, ac repentina mors, Ladislao a nuptiali thalamo in tumulum elato, interrupit. Prima morbi indicia, ſi tamen morbus erat, X. calendas Decembris circiter duodecimam noctis horam ſe ſe prodidere. *Pridie*, ut ſcribit Æneas (1) *ſederat in judicio rex, quod de nobilitate inter Georgium gubernatorem, & Csernachoram Moravum magnis contentionibus agebatur, ita ut alter alterum ad duellum provocaret. Neque de more ſuo rex veſtes induerat, linea tantum indumenta ſuſceperat, & deſuper Perſicum habitum, quem vocant Schubam. Id ſignum videbatur animi præſagientis ægritudinem, neque toto auditorio regis ſacies viſa hilaris. Dimiſſo tribunali cœnavit inter purpuratos, non quidem læto vultu, nihil tamen queſtus ſermones compoſitos habuit, magis graves quam hilares. Poſt multam noctem in cubiculum ductus rapula afferri juſſit, & ſiceram: comedit, bibitque non triſtis inter cubicularios, & ſermones miſcuit. Priusquam lectulo decumberet, orationem de more ad ſuperos habuit, ea finita gravatum ſe, & ſtomachum dolere vehementer dixit, cui unus ex cubiculariis Bohemus, aſcende, inquit; ſtratum, ubi dormieris paululum, mox ceſſabit dolor. Paruit rex, quietique ſe tradit, cumque ad horam dormiſſet, vocato iterum cubiculario vim doloris, qui paulatim creſceret, ſe ferre non poſſe ait. Cubicularius, qui libenter dormiſſet, ſomnum regi ſuſcipiendum affirmabat, ſic dolorem abiturum. Jam noctis hora duodecima effluxerat, regi nulla quies dabatur, ne tamen cubiculariis moleſtiam afferret, tacitus in diem dolorem pertulit. Tum medici vocati, & Georgius accerſitus. Medici, quod ſuarum partium erat, deſperata ſalute fecerunt: Georgius percontari ex rege, cur doleret, quid morbi eſſet, ſpem bonam præbere, hortari, ne ſibi ipſi deeſſet, peteret, quæcunque vellet, omnia in arbitrio ſuo eſſe, mandaret parere cupientibus. Ad quem rex: tua mihi Georgi jam pridem cognita fides eſt, ſpectata virtus, per te regnum mihi Bohemiæ in hanc uſque diem ſervatum eſt: ſperavi potiturum me regno, quod ipſe paraveras; nunc contra ſuperi jubent, mihi moriendum eſt, regnum in tua manu remanebit. Duo ex te peto: alterum, uti provinciales juſte regas, pupillis, viduis, imbecillisque injuriam ne fieri permittas: alterum ut, qui me ſecuti ſunt ex Auſtria, ceterisque provinciis, in patriam ſuam reverti libere permittas; hoc mihi ſupremum beneficium præſtiteris. Præmaturas regis cogitationes Georgius eſſe reſpondit, futurum eum brevi ſoſpitem, ſuoque nutu regnaturum; deſineret ea cogitare, ac conſideret. Tum rex apprehenſa manu, age, inquit, promitte, quæ petii, nam me mori certum eſt. Si feceris, quæ jubeo, Deum tibi propitium reddam, neque enim ita vixi, ut cœlum mihi negari putem, pro cæleſtibus terrena relinquo, tu cave, ne poſtulata deneges. Non potuit tenere lacrimas Georgius, deditque fidem, facturum ſe, quod rex imperaſſet. Finito ſermone accerſiti ſacerdotes, de curatione animæ actum eſt, chriſtiano more ſacramenta exhibita. Rex ornamenta ſua Pragenſi eccleſiæ legavit, juſſitque crines ſuos, in auri modum fulgentes, ne qua ſupereſſet vanitas, amputari, id miniſtri, moræ cauſas nectentes neglexere. Ubi anima ægra amplius dimorari non potuit, candelam benedictam afferri juſſit, eamque manu prehendit, & intuens crucifixum, orationem dominicam dicere cœpit; pronunciatoque verbo:* SED LIBERA NOS A MALO: *nihil amplius locutus, non extrema pati, ſed quietem accipere viſus, mortalis vitæ lumen reliquit. O imbecillem naturæ humana conditionem! - - - Ladislaus nobiliſſimus adoleſcens, duo de viginti natus annos, tot gentibus imperans, inter tot auxiliantium manus, intra ſex & triginta horas quam ægrotare cœpit extinctus eſt,* nono calendas Decembres, die divo Clementi ex faſtis eccleſiæ ſacro. (1)

Intra XXXVI horas, quam ægrotare cœpit, moritur.

Quo

(1) Hiſt. Bohem. cap. 70. & in reb. Friderici III.

(2) Hanc diem omnes coævi ſcriptores conſignant, inter quos pompæ funebris ſpe-

Quo bonorum luctu exstinctus sit, non attinet dicere, & facile ex eo capi conjectura potest, quod illi non ad scitum, sed sponte natum, ORBIS DELICIARUM nomen a plerisque inditum esset. Corpus regio amictu, & corona ex solido auro conflata ornatum majori dolore, quam pompa in arcem Pragensem Caroli IV. monumento illatum est. Pompæ ab regia domo, in qua mortem obiit, mediaque in urbe sita est, initium datum: isthinc prælatis divi Wenceslai Lipsanis, comitantibus incredibili numero non modo civibus, sed late ex vicinia concurrentibus accolis, cadaver magistratus urbici humeris ad pontem arcis promotum: tumbæ aureus gladius cum vexillo pro more gentis prælatus, ab tergo duodecim equi atro panno ad talos vestiti, ac funeralibus lugubre ornati sequebantur. Ut ad arcis pontem ventum est, regias exuvias regni principes ecclesiæ inferendas ab magistratu accepere, ubi peractis ex ritu ecclesiæ religionibus, spes Hungariæ ac Bohemiæ inter tristissimas complorantium lacrimas tumulo illata est. (1)

Annus Christi 1457.

Funebris pompa, & apparatus.

De morbi genere, quo sublatus est, tam varia, multiplexque opinio fuit, ut ipsi quoque scriptores, qui ea ætate, cum rex obiit, aut longinque positi, aut præsentes Pragæ erant, nihil, quod certum, exploratumque esset, litteris consignarint. Quare ne in utramvis partem vehementior sim, famam, quæ tum passim obtinuerat, in medium afferre, quam aliquid, quod compertum penitus non sit, affirmare malim. Nonnulli cruditate stomachi, peste alii peremtum volunt, ejusque indicia circa inguen apparuisse affirmant. (2) Plerique tamen veneno enectum scribunt, suitque ea opinio statim ab regis decessu late postea per Europam vulgata. *Nam medici Teutones, (2) quorum potissima corporis cura fuit, Viennam reversi vulgaverunt, quam primum ægrotare rex cæpisset, se vocatos urinam inspexisse, in qua manifesta mortis, ac veneni signa comprehenderint: neque ausos*

De morbi genere scriptores non consentiunt.

Plerique veneno extinctum autumant.

ctator apud CL. HIERON. PEZ. Tom. II. script. rer. Aust. pag. 679. in lessu poetico, quem regi adornaverat, stropha XVI. ita canit: *an sant Clementen tag, was ein Jahr das kunig Lassla sein geist aufgab.* Ut adeo mirer posteriores scriptores ab emortuali die tam vehementer aberrare.

(1) Prolixiores in funebri pompa describenda fuissemus, si BOHUSLAUS BALBINUS Mſ. codicem historiæ Reginohradicensis in lucem emisisset, ut scribit in epit. rer. Bohem. Lib. V. c. 3. Itaque ex poeta coævo CL. HIERONY. PEZII loco supra laudato nostram narrationem depromsimus; qui sic habet:

Stropha XII. Da der Furst lag in der par
Dy purger trugen in offenbar
Zu Prag der gancze rat
Pys auf die Purg mit grosser Klag
Do hub sich jamer und not.
XIII. Darnach nam in die Ritterschaft
Si trugen in wohl mit ganczer macht
Furbar ich euch das sage,
Ein Kron von gold was yem berait
Die sezt man yem auf sein hare.
XIV. Konig Wenczlas heiltum trug man yem vor
Das gelaubet sicherlichen furbar
. . . .
XV. Man opfert yem zehen gedackte pferd
Und auch darzu ein guldeins schwert.
Ich meins die frumen Heren
Si furten dy panier, und auch die schilt
Ir lob stet zu meren.

(2) Da Roo, cumque eo alii.

(3) ÆNEAS SYLV. in rebus Frider. III. & hist. Bohem. c. 71. Auctor Mſ. coævus rer. Austr. ac laudatus modo a nobis poeta Germanus stropha XXIV. CL. BURKHARTUS, qui in Mellinii rem numariam Hungariæ commentarium fecit, refert, esse sibi ad manum epistolam typis nondum vulgatam de miserabili morte regis Ladislai, in eaque Podiebradium mortis auctorem non obscure indicari.

Annus Christi 1457. *sos in aliena terra vulgare facinus; timuisse potentiam eorum, quorum scelere rex periret, accessisse se tamen regem, &, quæ invenerant, patefecisse clanculum: respondisse illum, non ignorare, toxicum datum, jussisse tamen eos silere, ne regiæ morti suam adjicerent. Senatus Viennensis, ubi vulgari eam famam animadvertit, medicis ea amplius vulgare prohibuit, ne Bohemorum adversus se ferociam provocarent.* Qui ita extinctum memoriæ prodiderunt, Georgium Podiebradium, & Rochezanam necis auctores faciunt: *ac Georgium jam tum regi infensum fuisse, cum ad Danubium usque profectus, Viennam ingredi voluit, suspicatum de rege adversus se aliquid, atque ab eo tempore regiæ vitæ insidiatum. Rochezanam nunquam regi placuisse, ingredienti urbem, cum sacerdotibus suis sacra ferentem, obviam profectum, verbisque magnificis regem extollentem, vix dignatum gratias referre principem: at ubi sacerdotes majoris ecclesiæ obviam exivere, regem læto vultu ex equo prosiliisse, sacrasque reliquias exosculatum. Inde concepisse odium Rochezanam, quod se regi invisum sciret. Fuerunt quoque, qui dicerent, idcirco regem apud Pragam nuptias celebrare decrevisse, ut concurrentibus eo catholicis principibus, potenti manu hæreticos apprehenderet, finemque tandem Hussitarum insaniæ daret: id præsensisse Georgium, ac Rochezanam, necemque regi pro salute machinatos.* (1)

Veneficii auctores vulgo crediti. His alii addunt: Ladislaum ab Ulrico Passaviensi episcopo clam admonitum, ut sibi ab Joanna Podiebradii uxore veneficiorum non experte caveret: (2) ab hac regi pomum toxico imbutum, cum accumberet, viro, & Rochezana consciis, porrectum, quo delibato confestim ægre habere coeperit, ac serpente per viscera veneno celerrime consumtus. Quod quidem ab nonnullis Ladislai amicæ, cujus consuetudine turpiter fruitus esset, quasi se spreta, thoro regali novam sponsam inferri graviter tulisset, tribui solere non me fugit. (3) Sed eam calumniam ipsa adolescentis regis innocentia per se convellit, quem sanctissime procul ab his amoribus vixisse, ac mortuum esse, ii etiam scriptores, qui id commentum in litteras retulere, testantur. Hæ eorum fere, qui regem a Podiebradio enectum veneno memorant, sententiæ. *Bohemicarum rerum scriptores contra sentiunt* Bohemicarum contra rerum scriptores, conquisitis undique rationum momentis gravissimum hoc calumniæ genus ab homine, quem Bohemi paulum post regem sibi optarunt, removere contendunt. Famam ab Germanis, qui religionis studio ab se dissidebant, non modo summa injuria sparsam, sed nec ad similitudinem veri satis apposite confictam videri, quod Podiebradium regis morte gravissimo luctu, moeroreque perculsum lacrimis etiam, quo nullum certius veri doloris indicium esset, defuncto parentasse constaret; ac postea, quam de se veneficii rumor diditus fuisset, Austriam obmoto bello tam diu pressisse, quoad Eyczingerum, quem malignæ famæ auctorem, sed perperam, credebat, in potestate haberet. *Satis gravibus momentis innixi.* Quæ si tanti non forent etiam, ut calumniam penitus illustrarent, maximum innocentiæ testimonium, cuique nemo refragari ausit, in Wladislao, qui postea rerum in Bohemia, ac Hungaria etiam potitus est, situm esse: a quo, cum is decimo,

(1) Æneas Sylv. ibid.

(2) Laudatus poeta germanus apud Cl. Hieron. Pez. in hæc verba ait.

Stroph. XX. Der bischof von Pasau was ein weiser Man
er gab dem Kunig ein lere
das er nyemand solt gelauben
er solt sich hueten vor Gersiken weib.
sy wer ein falsche fraue.

XXIV. Also cham er umb sein leben
der Gersik, und sein frau habn yem vergeben
der Rokiczan ist der ander.

(3) Cochlæus, Camerarius, Schikhusius, & Bohek apud Balbinum in Epitom. rer. Bohem. Lib. V. cap. 3.

Annus Christi 1457.

cimo ac quinto poſt anno, quam Ladislaus obiit, ſepulchrum, quo conditus erat, aperiri juſſiſſet, publicis litteris, fides facta ſit, nulla veneni indicia reperta, quin corpus ab omni putore intaminatum, atque ita tractabile, quaſi recens tumulatum eſſet, ſpectantibus regni optimatibus repertum fuiſſe. Ne quis hac parte fidem noſtram deſideret, juvat ipſum diploma annalibus inſerere. (1) *Nos Wladislaus Dei gratia rex Bohemiæ, marchio Moraviæ, dux Lucenburgi, Sileſiæ, & Luſatiæ &c. Notum facimus, hiſce litteris, omnibus; quod cum ſermones hominum nonnullorum audiviſſemus, dicentium, ſereniſſimum principem dominum Ladislaum, Hungariæ, & Bohemiæ regem, conſanguineum noſtrum dilectum, veneno ex hac vita ſublatum eſſe, quam potuimus, accuratiſſime id nos inquiſiviſſe, utrum poſſemus de ejus rei veritate indicia quædam cognoſcere. Juſſimus itaque in præſentia multorum optimatum, atque nobilitatis, ſepulchrum ejus aperiri. Hic vero una cum ipſis vidimus corpus memorati regis, conſanguinei noſtri, integrum, neque collapſum, ſed nec habens indicii quidpiam quod in ſuſpicionem inducere poſſet quemquam veneno interemtum eſſe. Ut igitur his, quæ hic ſcribimus, fides adhiberi queat, mandavimus, litteras præſentes ſigillo noſtro communiri.* (2)

Quod regis documentum, cum centeſimo deinceps, ac decimo ſeptimo anno rurſus publica auctoritate firmatum eſſet, (2) vecordem omnino videri, qui ſuſpicionem de porrecto regi veneno non penitus profligatam fuiſſe, ſibi perſuaderet.

Quæ tamen Æneæ, qui morituro regi adfuit, epiſtola in dubium vocat.

Gravia hæc ſunt, non inficior, atque ejusmodi etiam, quæ eorum, quos ſupra memoravimus, ſcriptorum auctoritatem prorſus elidere queant: mihi tamen res eorum temporum contendenti, haud ſatis animi eſt, ut aut his refrager, aut ab illis quoque diſſentiam: quæ judicii in utramvis partem aliquid, in neutram vero, quod certum ſit, ſtatuentis novitas, ne cui admirationem moveat, Æneæ Sylvii, qui regi ægroto ſæpe aderat, ad amicum ſcribentis verba in medium proferre operæ precium putavi. *Calamitatem*, inquit, *illam lugubrem, deplorandamque regis Ladislai mortem, aliorum officio tuæ dignationi innotuiſſe autumo. Ob quam rem pro tua erga ipſum devotione jam plene inveterata incredibili te dolore affectum eſſe, certum ſcio. Nunc autem cum de Praga, ad quam in fauſto totius orbis auſpicio cum regia celſitudine conceſſi, Viennam remigraſſem, putavi mihi de hac re ad te aliquid ſcribendum eſſe, conantem tamen id facere, ſuſpiria, lacrimæ, & ſingultus ita impediunt, ut mihi ex ea morte conceptus dolor non modo renovari, ſed augeri videatur. Quid autem potiſſimum in hac publica clade explicem neſcio. Magna eſt varietas ſermonum, quo genere mortis fatum obierit. Ego vero, etſi ſcio nemini prorſus me cedere oportere habitudine notitiæ hujusce rei, qui quam creberrime apud regem etiam ægrotantem ſim verſatus, tamen ſilendum potius eſſe duco hoc tempore, quam loquendum; cum ſciam rem illam in dies magis clareſcere. An adoleſcentem robuſtiſſimum, nullum prorſus vel doloris indicium ſentientem, cum quo die Lunæ, præeunte mortem, uſque ad noctis horam tertiam, ſumma poſtrema, & facili lætitia fui, triginta ſex horarum intervallo aliquod genus mortis natu-*

(1) BELIUS Tom. III. Sect. I. Périod. I. pag. 213.

(2) Clauſula diplomatis hæc eſt: *Datum Pragæ feria quinta ſancti Valentini, anno a nativitate Dei MCCCCLXXII.*

(2) PONTANUS in Bohemia pia Lib. II. fol. 30. de re ita ſcribit:

Ego, cum haberem ſub cuſtodia mea, corpora imperatorum, regumque mortuorum, dum nova cæſarea ſepultura in templo Metropolitano conſtrueretur, & ſereniſſimus Maximil. Archi-dux Auſtriæ, ordinis militum Teutonicorum ſupremus magiſter &c. videret Ladislai corpus integrum, & ex omni parte incorruptum, etiam quoad veſtimenta ſacra, quibus indutus erat, caligas item, & calceos, ungues excreviſſe, & per me brachium Ladislai moveri ſine ulla difficultate, quæreretque ex me de tempore, & cauſa mortis ſuæ: reſpondi mortuum anno 1457. cauſam vero Bohemos aſſerere rapula ſupra dicta. Ad quæ bonus princeps poſt paucum ſilentium & ſuſpirium reſpondit: Deus in illo extremo judicio declarabit, quæ cauſa fuerit.

Annus Christi 1457.

naturalis prosternere potuisset? ante quem vel minimus quisque ex ejus familia, neque post eum ullus, etiam eorum, qui ei ægrotanti quotidie adstitimus, aut aliorum quispiam minime fortis hoc genere mortis periit. Sed reprimam ego me, ne dolori nimium indulgere videar. Scio Procopium, & Nicolaum tuum aliter ad te scripsisse, quibus certe nihil cedo hujus rei notitia: nam neuter eorum regem ægrotantem alias vidit. Et ut quisque optime de Bohemis sentit, ita hanc rem maxime dissimulat. De hoc satis. (1) Dubium non est, Æneam iis vehementer refragari, qui regem pestifero morbo obiisse existimabant, quod nemo unus eorum, qui prime etiam admissionis, & cum ægroto assidui fuere, ea lue afflatus esset. Itaquæ aliam mortis causam intervenisse arbitratus est: quam cum ne ipse quidem vulgare tutum suo tempore putavit, nec nostrum fuerit, de ea, quid sentiamus, pronunciare.

Hungari ab regis excessu comitia Pestinum indicunt.

Ab Ladislai excessu mira regnorum, quæ illius imperio obnoxia erant, conversio sequuta est. Carolus Franciæ rex, ut tristissimum de morte nuncium accepit, revocata ex itinere filia, legatisque magna doloris contestatione domum remissis, ad Bohemos oratores misit, qui amplissima promissa adferrent, si in regni orbitate, aut filium suum, aut eum, cui filiam nuptui locaturus esset, regem legerent. Friderico cæsari de dividenda Austriæ hæreditate lis cum Alberto fratre, & Sigismundo principe Tirolensium, utriusque patruele, oborta est: quod Albertus, cui Australes studere videbantur, id maxime ageret, ut Austria, Friderico excluso, sibi, & Sigismundo traderetur. Hungaris tamen, ut præcipua, exstincto rege, jactura eorum fuit, ita, cum neminem regiæ stirpis, qui decessori subrogaretur, superesse viderent, major quoque cura ac solicitudo habuit; præsertim quod jam tum manifesta satis indicia essent, optionem regis haud sine partium studio abituram, quibusdam Fridericum cæsarem, aliis Casimirum Poloniæ regem, aut Guilielmum ducem Saxoniæ, quibus ambæ Ladislai sorores nuptui locatæ essent, tacite designantibus. Quæ res cum plerisque optimatibus ingens Hungariæ discrimen allatura videretur, placuit indicto ad sequentis anni calendas Januarias generali conventu omnes concire, ut communi voluntatum conspiratione de re gravissima in medium consuleretur. Eam ob causam IV. nonas decembres, quæ decima post Ladislai mortem dies erat, litteras per universum regnum misere, quibus, ut litterarum verbis utar, *post dolorosam mortem Serenissimi Domini Ladislai regis - - - pro electione novi regis una voluntate facienda, ad congregationem generalem in civitate Pestiensi, ad festum circumcisionis Domini proxime venturum, celebrandam,* (2) singulos invitant, quibus optandi regis ex legum norma suffragium esset.

Annus Christi 1458.

In his variæ de optando rege factiones

Ut præstitutus conventui dies illuxit, adfuere maxima frequentia non modo proceres, ceterique, qui ex patrum scito jus comitiale habebant, sed ingens præterea populi multitudo, seu rerum novarum per se se cupida, seu partium studio ad extorquendam suffragiorum prærogativam allecta Pestinum confluentis. Re enim vera optimates plerosque, ut multo ante contrariis studiis divisi erant, ita præter comitiorum morem, libertatemque factiones de industria alituros apparebat, quo facilius quique id, quod animo designabant, captata plebis gratia ad finem adducerent. Gemina erat dissententium factio: alteram Ladislaus Gara regni Palatinus, cum Nicolao Uylakio ducebant, Corvinianæ quondam virtutis, ac potentiæ æmuli, nunc præpostera ambitione regni rivales, qui cum Paulo Banfio de Lendva, quem Bonfinius, nescio, quo errore ductus, Luidvanum

num

(1) Epist. 324. ad JOANNEM ROCH. data Viennæ XX. Decembris, anno 1457. Itaque vigesima secunda post regis mortem die serius postea, quam res Frider. III. scriberet, in hæc verba mentem suam de regis morte explicat. *Verum ego, quid horum verum sit, non facile dixerim; alterum hæc judicio relinquo.* Neque tamen satis isthinc certum fit, mutaritne sententiam suam, an Pontifex jam creatus noluerit opionem invidia plenam refricare, ne Bohemos, quos unire Ecclesiæ volebat, parum prudens offenderet.

(2) Ex Hungaria diplomatica Ms. Cl. KAPRINAY.

Annus Christi 1458.

num Bani filium appellat, cum plerisque nobilibus, qui Hungariam Austriæ, ac Moraviæ vicinam colebant, Budam convenere, ut secessione ab aliis facta solitam comitiorum libertatem tuerentur, re autem ipsa, ut popularium studia, neutri enim ad capessendam dignitatem regiam seu spes, seu voluntas defuit, citra periculum, aut invidiam captarent. Alteri Michael Szilagyius, Mathiæ Corvini avunculus, præstante sive bello, seu pace ingenio vir præfuit: cum hoc Thomas Szekelius Auranæ præfectus, & ipse militia præclarum consequutus nomen, tum Sebastianus Rozgonius, Ladislaus Canisa, Pancratius de sancto Nicolao, ac de quibus Hunyiades olim præclare meritus fuisset, cum inferioris Hungariæ, & Transilvaniæ primoribus, Palatini literis exciti Pestinum confluxere. Szilagyius, cum reliquos Budæ secessionem moliri videret, id, quod erat, animo præsentiens, consilium primo obtutu periculosum, sed exitu felix aggressus, adversariorum studia secundo eventu intervertit. Cum enim constitutum haberet, Mathiam ad regale solium evehere, cui destinationi Elisabetha soror, Mathiæ mater, ingentem thesauri vim prodegerat, singulos, qui convenere, per se se, ac familiares suos obiens, captansque facile eo adduxit, ut neminem deinceps ex Germanis regem se optaturos pollicerentur. Inde factionis adversæ studia in invidiam vocare: hanc ob causam relicto contra gentis morem Pestino Budam convenisse, ut defuncto Ladislao Fridericum cæsarem subrogarent: magnum quidem ei dignitati nomen inesse, sed regno ab Sigismundi temporibus parum utile, qui externis curis distractus Hungariam in postremis habuisset, hunc morem ceteros deinceps reges secutos, regnum multis calamitatibus objecisse, neque spem ullam videri, ut ærumnis modus poneretur, nisi se se respicerent, ac domesticum regem, quem patriæ charitas, suorumque amor tangat, communi voluntate legerent. Spem autem hanc eo usque vanam, inutilemque futuram, quoad Palatinus cum ceteris Buda accerseretur, suaque cum popularibus studia conjungeret: id nobiles, penes quos suffragiorum jus non postremum esset, facile, si legatos mittant, comperturos esse. Valuit Szilagyi oratio cum ob auctoritatem apud populares partam, tum ob metum, quem armatæ preces plerorumque animis ingesserant. Szilagyius enim viginti equitum, quos stipendio conduxerat, millia in armis habebat, ut libertatem in comitiis usurpatam ad speciem tueretur, re ipsa vero, ut suffragationem pro Mathia, si spe sua frustraretur, vi extorqueret.

Szilagyius Mathiæ Corvino studet,

Itaque legati confestim Budam mittuntur, qui proceres isthic commorantes orarent, ut veteris odii acerbitate, & simultate detersa in præsentem regni necessitatem conspirantes, reliquis, qui Pestini ex more conventui initium fecissent, se se conjungere ne graventur, neve privato affectu saluti communi obsistere pergerent: venirent ad publica comitia; hanc unam concordiæ, & periculi, quod rebus communibus impenderet, depellendi rationem esse, si conjunctis studiis reipublicæ consulant: absuturum metum, & pristinam libertatis formam, quæ hactenus in comitiis apud Hungaros dominari solita fuisset, servatum iri: alioquin illos in causa futuros, si eorum tergiversatione, aut pertinacia bello intestino Hungaria, nondum a malis penitus respirans, fœdum in morem corriperetur. Illi orto ex conscientia metu hærere primum, tum ex sensu imbecillitatis, præsertim quod ob Danubium præ frigoris vehementia ex improviso glacie duratum timebant, ne quod fieri sponte præstabat, ingratiis facere cogerentur, spem legatis facere, polliceri denique venturos se, si oblata incolumitatis fide veterum injuriarum oblivio, ac libera comitiorum potestas sanciretur. Utroque haud difficulter per publicas litteras impetrato, ac postridie Pestinum venientibus, prælecta comitiorum forma est. Quæ cum omnibus probaretur, ac tempus rogandis sententiis jam adesset, Szilagyius, vim propulsaturum se simulans, armatos equites optimatibus circumfudit, ipseque in mediam procerum se se coronam inferens, elata voce, ut ab longe positis etiam exaudiretur, postea, inquiebat, quam immatura Ladislai regis morte necessitas ad novam nos electionem compellit, nemo erit nostrum, qui vel utile consilium dare, vel dato, si patriæ commodum sit, aquiescere nolit. Ad regni fastigium ambitu, & malis artibus ni-

Accitis Buda proceribus

Ar. equites circumfundit, & ut Mathiam eligant, suadet.

Annus Christi 1458. ti turpe est: orbatam jam, & ad præsidium nostrum confugientem rempublicam deserere in periculo, ne ignavi, & segnes videamur, providendum erit. Facile huic cautum fuerit, si modo persuasum vobis esse velitis, posse gentis consensu novos reges institui, quod, nisi fallor, ipsa regiæ potestatis natura satis docemur, quæ, ut populi voluntate, primum exorta est, ita ejusdem arbitrio si sic usus, resque postulet, transferri in alios potest. Vagi initio homines, incertisque sedibus errabant, donec naturæ ductu in quaque familia ei præ ceteris honos habitus est, quem ætate, prudentiaque reliquos anteire constabat: hinc Urbani cœtus primum, regiaque deinceps majestas orta: non fraude, atque ambitione, sed moderatione, innocentia, virtute obtinebatur, populique voluntate alios aliis subrogatos compertum est: imperaturus enim omnibus, legebatur ab omnibus. Serius postea, vi, potentiaque effectum, ut regibus filii pravis sæpe moribus succederent: itaque externos aliunde ad solium quoque vocatos legimus. Recens est istorum apud nos etiamnum memoria. Postquam enim divorum regum felix ille sanguis in Maria extinctus est; Sigismundus nullo suo jure, virtute tantum & favore regnum apud nos nactus est: huic Albertus successit eodem principum, & populi consensu: Wladislaum Polonum eadem gentis nostræ voluntate regem factum non potestis non meminisse. Sed hos, quamquam præclaras ad regendum dotes attulere, minus feliciter tamen regnasse constat; seu parum patrii moris, ac consuetudinis gnari erant, seu adulta jam ætate ad nos traducti haud perinde populo in amore erant, quo ceteroquin hunc in illos ferri ad reipublicæ felicitatem permultum interesse solet. Atque hæc fere semper ab exte.is metuenda sunt, quod legum ac institutorum patriæ aut ignorantiam, aut contemtum regno inferre consueverunt. Nullum his ab domestico, & gentis nostræ periculum. Hunc in modum finitimi nobis Bohemi suo periculo sapiunt; qui, ut mihi ex litteris compertum esse, asseverare vobis ausim, spreto potentissimorum candidatorum ambitu, ex suo gremio regem optaturi sunt: quin nos istorum exemplum sequimur, atque eum, quem apud se captivum tenet, Mathiam legimus, quem, cum præclara militiæ rudimenta sub patre posuit, his temporibus plane necessarium existimo. Natus ille in castris, alitus in sago, in veteranorum contuberniis educatus, sæva Turcorum ora, armaque non expavescere, ducum præceptis obsecundare, ab equis, & a pedibus juxta dimicare, per frigus, & æstum sub galea dies, noctesque agere, labores, inediam, sitim tolerare, præludiis, ac certamine gaudere, nil ignavia, ac desidia tristius ducere, & omnia voluptatis instrumenta abominari a patre didicit. Accedit ingenita mansuetudo, religionis amor, & præmatura sapientia cum summa morum honestate conjuncta: quorum malim vos deinceps fructus, ut ipsi usu vestro comperiatis, quam ut spe futurorum vos solum oblectem. Itaque talem num regem optare velitis, in vestro arbitrio erit. Ceterum meminisse vos velim, ut & paternorum meritorum, & fraternæ cædis, & hujus, quem gesto, gladii rationem in suffragatione habeatis.

Optio propter armorum metum prorogatur. Vix dicendi finem fecerat, cum plerique & dicentis, & armorum metu perculsi ipsum Michaelem salutare regem constitutum habebant; negat ille tanti se ingenii, ac virium, neque ambitiosi propterea notam velle incurrere asserebat, malleque, ut quidquid bonæ voluntatis in se contulissent, in Mathiam avunculum traducerent, ea una re materiam bellis intestinis, quorum haud leve periculum esset, præcisum iri. Ladislaus Gara, & Nicolaus Uylakius populi arbitrio confusi, ægre spem capessendi regni tacite sustentarunt: odium in occulto erat, palam approbatio, dumque ceteri suspensis animis, quem res exitum esset habitura, proceres hortarentur, &, quod in re tali difficillimum est, primus auctor, primaque vox frustra diu exspectaretur, nihil ob confusas voces, & privatas procerum inter se coitiones effici potuit. Itaque optione in alterum diem per Palatinum prorogata, cum Szilagyius præter armatorum vim, furcas, laniariasque mensas palam in campo defigi jussisset, res eousque protracta est, quoad optimates Michaelis sententiam XI. calendas februarias ratam, firmamque pronunciassent: cui, quoniam Uylakius, & Gara tenuis, & modicæ jam factio-

Denique Mathias XI. Calendas Februarias ab omnibus rex eligitur.

ctionis erant, sancita prius veterum injuriarum, ac vindictæ oblivione, sacramentoque firmata, postridie suam quoque, quamquam inviti, suffragationem adjecere. Vulgata pro more ad plebem principum sententia, ubi ad Mathiæ nomen ventum est, populus præ lætitia vix se animo continere, vitam, victoriam, felicitatem novo regi ingeminare, atque alii alios intueri tanquam vano somnii simulacro defixi essent, ægreque suis auribus fidem habere, rogareque proximos, optimates laudibus in cœlum tollere, qui divino Numini in optando rege morem gessissent. Hunc in modum Mathias partim admota vi, partim conciliatis procerum studiis rex electus est, non sine aliqua manifesti numinis suffragatione, quod & adolescens, & mediocri ortus genere, ut Sylvius ait, nobilissimo regno potiretur. *Annus Christi 1458.*

MATHIAS I.

Re tam feliciter, citraque tumultum confecta, supplicationes primum per omnem Hungariam, precesque indictæ, tum Michael Szilagyius regni gubernator publico ordinum consulto, in quinquennium decretus, regique adjunctus, ut esset, qui lubricam adolescentis ætatem, decimum enim & octavum, cum lectus est, annum agebat, prudentia sua firmaret. Is ab adito magistratu sancitis ex procerum arbitrio legibus, quæ iis temporibus accommodæ essent, ad singulas regni provincias litteras dedit, ut communis gaudii, quo præsentes ob electum regem delibuti essent, itidem participes redderet. Juvat earum partem, quod electionis diem extra dubitationem constituunt, huic loco attexere. (1) *Michael Szilagyi de Horogzeg, Banus Machoviensis, & capitaneus Nandor-Albensis, ac nomine, & in persona serenissimi principis, & domini domini Mathiæ Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. novi electi regis, Gubernator in regno Hungariæ constitutus - - - Prudentes & circumspecti viri, amici nobis sincere dilecti! Quia Domini prælati, barones, proceres, & nobiles regni Hungariæ universi, in hac præsenti congregatione generali eorumdem in civitate Pestiensi celebrata, divina inspirante clementia spectabilem ac magnificum dominum Mathiam, filium quondam domini Joannis de Hunyiad gubernatoris, & comitis Bistricensis, fratrem nostrum charissimum, in regem Hungariæ unanimi voluntate elegerunt, & præfecerunt, quod vobis pro singulari gaudio, & tripudio lætitiæ vestræ, ampliorisque commodi, status augmenti, & incrementi hujus regni, & vestri duximus significandum. - - - Gaudeatis itaque, & lætemini de tantis lætitiis, & gaudiis, quæ Deus altissimus e cælo ipsi Domino Mathiæ, & nobis, ac hinc regno Hungariæ præsenti die concedere dignatus est. Datum in civitate Pestiensi, feria tertia proxima ante festum conversionis sancti Pauli Apostoli, anno Domini MCCCCLVIII.* *Litteræ propterea ad omnes regni provincias missæ.*

Abhinc celeres ad Georgium Podiebradium nuncii in Bohemiam missi, qui Mathiam ex patrum scito regem jussum significarent, orarentque, ut quamprimum in Hungariam liberum dimitteret, occursuros in Moraviæ limitibus proceres, qui cum gubernatore de lytro, firmandaque amicitia acturi essent. Podiebradius, qui Mathiam eodem die, quo Ladislaus posthumus obiit, hujus, non item suo, ut aliqui perperam scribunt, jussu Vienna Pragam adductum liberaliter habuerat, captusque adolescentis ingenio, filiam suam ei desponderat, ubi minime speratum nuncium comperit, ne gaudii novitas animum percelleret, juvenem, ut alias quoque solebat, mensæ suæ adhibitum, nunc vero supra se etiam collocatum, inter epulas interrogare cœpit, ecquid præmii tandem accepturus esset, si felici, ac insperato eum nuncio bearet? Mathias quid re subita is sibi vellet incertus, magnas quidem res magna decere præmia respondit, se vero in alius potestate esse, atque ab omni etiam pecunia imparatum: tum Podiebradius honoris causa assurgens, salve, inquit, Mathia Hungariæ rex, non mihi pecunia tua, sed amicitia opus est, lætorque contractam tecum prius, rex quam esses, affinitatem nova *Destinatique Pragam legati, qui Mathiam adducerent.*

(1) Ex Hungaria diplomat. Mſ. Cl. Kaprinay.

Annus Christi 1458.

nova dignitate ſtabilitum iri. Itaque jam liber deinceps eſto, meamque hanc filiam, quod ſelix, fauſtumque ſit, tibi conjugem habeto. Mathias, ubi rem poſtea ab oratoribus Hungaris, maternisque litteris, ordinumque intellexit, gratiam inprimis Georgio habuit, ob ſe liberaliter hactenus acceptum, tum inſtaurata amicitia, cum primum rerum potiretur, relaturum ſe etiam pollicitus eſt.

Pontificis ad liberandum regem conatus.

Haud parum operæ ad liberationem Mathiæ Calliſtus pontifex contuliſſe viſus eſt; qui cum Hungariam inteſtinis partium ſtudiis illius cauſa fervere cerneret, veritus, ne turbulento tempore barbari in ſuum commodum uterentur, cardinali ſancti Angeli, ut ad captivum eliberandum conatus ſuos, qua poſſet, diligentia conferret, in hæc verba ſcripſit. (1) *Dilecte fili, ad graviſſimas curas, quibus pro defenſione fidei orthodoxæ jam a principio aſſumtionis noſtræ ſine intermiſſione dies noctesque gravati ſumus, acceſſit, quod nos inenarrabili dolore affecit, ut in regno Hungariæ tot turbulentiæ, & tempeſtates ſubito ortæ ſint, ut inteſtina ipſius regni mala non mediocrem turbationem proſecutionis hujus felicis impriſiæ attulerint. Notum eſt circumſpectioni tuæ, quam graviter tulerimus cauſam filiorum illius invicti, & glorioſi militis Chriſti, Joannis de Hunyiad Vayvodæ, & quam impenſe curavimus, ut ſcandala, quæ exſurgere videbantur, ceſſarent: videbamus enim, quantum audaciæ ea turbatio allatura eſſet peſſimo Turco, ſi regnum illud diviſum, & diſſenſionibus implicatum cerneret, cujus occupandi diuturna libido, & rabies eum tenuit, & quo unito, & ad reſiſtendum parato, peſſimum ſuum propoſitum fruſtrari ſciebat. Providit omnipotens, non meritis hominum, qui, quantum in illius fuit, haud multum reliquerunt, quin hoſti ſæviſſimo aditum ad extremam cladem chriſtianitatis patefacerent, ſed ſua clementia, & pietate non eſt paſſus tantum mali in ſuum populum redundare. Nos vero dilecte fili, ne præterita, quæ tibi ſatis nota ſunt, recenſeamus, percupimus, ut liberetur dilectus filius, nobilis vir Mathias, dicti Joannis de Hunyiad filius, qui, poſt necem alterius fratris a rege Hungariæ in vincula conjectus, nunc poſt dicti regis obitum, a Jerſich gubernatore regni Bohemiæ aſſervatur, & in carceribus manet. Credimus enim ipſius Mathiæ liberationem ad pacem, & tranquillitatem illius regni, & uſum fidei chriſtianæ ceſſuram, cum, ut ſæpe audivimus, juvenis ſit clarus, & qui paternis veſtigiis haud dubie inhærebit. Quapropter circumſpectioni tuæ committimus, & mandamus, ut hunc toto pectore amplectaris, partesque noſtro nomine tuas diligenter, apud quos opus eſſe videbis, interponas, & nuntiis, litteris, ac interceſſionibus opportunis agas authoritate noſtra, ut nihil prætermittatur, quod pro conficienda re videbitur neceſſarium, etiam, ſi opus fuerit, te ad eos conferendo, qui ope, auxilio, conſilio, vel poteſtate uſui eſſe videbuntur. Quod ſi propter urgentiores occupationes tibi commodum non eſſet accedere, volumus, ut per venerabiles fratres noſtros, Varadienſem, & Vacienſem epiſcopos, qui ſua ſponte ad hoc ſatis, ut intelleximus, animati ſunt, omnia pro hujusmodi liberatione opportuna tractes, & conficias. - - - Datum Romæ IX. Februarii, MCCCCLVIII. anno tertio.* Sed tum pontifici, cum hæc ad cardinalem ſcripſerat, nec, quem in modum Mathias a Podiebradio habitus ſit, nec regem ab Hungaris optatum fuiſſe conſtabat; tanto majore poſtea quam rem comperit, lætitia, ut narrabitur, affectus, quanto magis præter ſpem hæc eveniſſent.

Decretis Ladislao Corvino novis exequiis legati in Moraviam regi obviam mittuntur.

Interea dum legati, quos Pragam miſſos narratum eſt, cum Bohemis Mathiæ cauſa tranſigunt, Michael ſoluto conventu, ac principibus Budæ adventum novi regis præſtolantibus, ut Corvinam dignitatem ab dedecore & infamia, cæde Ladislai fratris accepta, novo funerationis honore vindicaret, corpus ipſius inter perduelles, ac parricidas, ut narravimus, tumulatum, non ſine multis lacrimis ex eo loco erui, atque Albam Juliam Tranſilvaniæ paterno monumento inferri juſſit. Curato regia magnificentia funere, delectus procerum habitus, qui regi venturo obviam mitterentur. Præcipuæ partes Szilagyio oblatæ, nec mater novi regis ſe continere poterat, quin filium poſt ſqualores carceris amplexa, ei de nova dignitate prima omnium gratularetur. His additi comites Joannes epiſcopus Varadienſis, Thomas Szekelius, Sebaſtianus Rozgonius

(1) RAYNALD. ad ann. 1458.

nius, Ladislaus Canisa cum Pancratio, & Petrus Zokolius vir impiger, & bellis Turcicis sæpe, ac feliciter exercitus, cum ingenti nobilium, equitumque manu, qui accelerato, quantum per hiemen licuit, itinere Strasnicium, finitimum Hungariæ in Moravia oppidum ante octavo idus februarias tenuere, ubi castris secundum fluminis ripam positis, regem postridie cum Podiebradio, primisque Bohemiæ, Moraviæque principibus venientem explicato alarum, vexillorumque splendore inter faustissimas acclamantium voces lætissimi accepere. Elisabethæ matri primis gaudii officiis perfunctæ Joannes Vitesius Varadiensis antistes ex ordinum decreto successit, qui ubi regem brevi, elegantique oratione Hungarorum nominibus salutasset, Mathias oratori, ceterisque optimatibus tanta gratia, quovis pro dignitatis ratione singilatim exculto, respondit, tanquam ei honori jam dudum insuesse videretur. Oppidum deinde, regia pompa ingressus, ut Podiebradio gratiam referret, communicato cum matre, & optimatibus consilio, sponsionem, quam cum eo inierat, publicis litteris firmavit, centum millium aureorum mulctam pollicitus, si Catharinam Podiebradii filiam ex pactis conventis, ubi primum viro matura esset, uxorem non duceret; simul communes hostes, communesve amicos quicunque aut bellum obmoverent, aut pacis secum colerent studia, deinceps se cum Bohemis habiturum recepit. Litteræ, quæ & res, & scriptorum illius temporis errores mirifice illustrant, sic habent. (1)

Annus Christi 1458.

Qui cum Podiebradio fœdus, ejusque filia sponsalia celebrat.

„ Nos Mathias Dei gratia electus rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. „ notum facimus universis, præsentes litteras inspecturis: quod cum nos post „ illam captivitatem, in qua per Serenissimum dominum Ladislaum, quondam „ regem Hungariæ, usque ad ultimum diem vitæ suæ tenti fuimus, demum ad „ manus magnifici domini Georgii de Cunstat, & Podiebrad, regni Bohemiæ gubernatoris, devenissemus, ipse dominus Georgius gubernator nobiscum amice, „ & fraternaliter egit, nosque in hujusmodi necessitate nostra, & turbatione „ cum omni benevolentia tractavit, & ex hujusmodi captivitate liberavit, & „ libertati restituit, immo etiam, quantum in eo potuit, fautor noster fuit, & „ adjutor, ut ad dignitatem regiam eligeremur; nos volentes hujusmodi benevolentiæ vicem reddere, & etiam de tali beneficio grati esse, promiseramus „ eo tempore, cum adhuc ad dignitatem regalem electi non fuimus, cum eo „ amicitiam, & individuam fraternitatem, ac affinitatem contrahere, & firmare: „ ut igitur ipse Georgius gubernator, (2) & alii has litteras visuri cognoscant „ priorem intentionem nostram, & voluntatem per hoc, quod post illam promissionem nostram (3) ad dignitatem regalem electi sumus, mutatam non fuisse, „ nec esse, sicuti præsentes - - - - promiseramus, unionem & amicitiam, ac „ fraternitatem cum prædicto domino Georgio gubernatore inire, & firmare, ac „ cum egregia virgine Catharina, alio nomine Cunigunde appellata, secundum „ ritum, & legem sanctæ romanæ, & christianæ ecclesiæ sponsalia, & matrimonium contrahere, ita nunc matura deliberatione præhabita, & in libertate „ nostra constituti, habendo respectum ad - - - beneficia, quæ ab ipso domino „ Georgio gubernatore in nostra necessitate percepimus, cum eodem, & filiis „ suis tenore præsentium perpetuam amicitiam, & fraternitatem, ac benevolentiæ unionem nunc inimus, & firmamus, ita videlicet, quod nos a modo in „ posterum eidem fideliter, consilio & auxilio adhærebimus, & contra omnes „ eum turbas, aut damnificare volentes ipsum adjuvabimus, illisque qui amici „ ejus sunt, aut erunt, amici erimus: his vero, qui sunt, vel esse volunt ejus „ inimici, una cum eo erimus inimici.

Pactorum tabulæ.

„ In

(1) Cl. Sommersberg. Tom. II. rerum Silef. quam Mathiam Hungariæ datum scripsere.

(2) Itaque Bonfinius, ceterique errant, qui Podiebradium prius Bohemiæ regem

(3) Iidem sponsionem nuptiarum post electionem insigni errore collocant.

Annus Chriſti 1458.

„ In horum autem omnium confirmationem, & obfirmationem ſolidiorem, ut eis ad hujus amicitiæ, & benevolentiæ unionem, etiam vinculum affinitatis, quod ipſa naturæ lege firmius eſt, concurrat, illa ſponſalia, quæ cum præfata Catharina, filia ipſius domini gubernatoris contrahere promiſeramus, nunc ſponte, omni via, & modo meliore, quo poſſumus, per præſentes juramento contrahimus, ipſamque puellam Catharinam, cujus formam, faciem, & corporis integritatem ipſi vidimus, nobis in ſponſam, & matrimonio, more chriſtiano, accipimus, & ſuſcipimus, promittimusque eam, infra unius anni revolutionem, vel quanto citius poterimus in noſtram curiam, & ad manus noſtras traducere, & præcedenti coronatione noſtra, more regni noſtri in reginam coronari faciemus, ac demum adveniente nubili tempore, & completis duodecim annis ipſius, ipſam nobis recto, & individuo mitrimonio copulare tali obligatione - - -, ut ſi nos temporis in proceſſu, quorumcunque conſilio, ab bujusmodi contractu, & intentione mutato voto reſiliremus, ſeu ipſa ſponſalia ſolvere vellemus, & dictam puellam traducere, & nobis in matrimonium copulare nollemus, aut non curaremus, ex tunc pro contemtu dicti domini Georgii gubernatoris, & præſatæ puellæ, ſponſæ noſtræ, in poenam centum millium florenorum aureorum convincamur ipſo facto, & ad hujusmodi poenam, & pecuniam reddendam, ſeu ſolvendam, ſub fide noſtra chriſtiana ſimus obligati, nec in hoc nobis quodcunque auxilium juris canonici, vel humani ſuffragari valeat, aut nos ab hujusmodi poena, & pecunia abſolvere. Ad quæ omnia præmiſſa firmiter & inviolabiliter obſervanda ſub verbo regio, & ſub fide noſtra chriſtiana nos obligamus, & inſcribimus teſtimonio præſentium mediante, quas ſcripto manus noſtræ proprio, & ſigillo noſtro annulari conſignavimus, & in majus teſtimonium, ſigilla illuſtris dominæ Eliſabeth genitricis noſtræ, & magnifici domini Michaelis Szilagyii, regni Hungariæ gubernatoris, ac reverendi in Chriſto patris, domini Joannis epiſcopi Varadienſis, Vincentii Vacienſis epiſcopi, Joannis de Rozgon Vayvodæ Tranſilvani - - - (1) ſunt appenſa. Datum in caſtro Straznicze, feria quarta proxima poſt feſtum Dorotheæ, anno domini MCCCCLVIII. electionis vero noſtræ primo. „

Podiebradius viciſſim ſe filiam deducturum in Hungariam recipit.

Podiebradius viciſſim publicis litteris cavit, ſe niſi filiam intra annum Mathiæ Poſonium deducturus eſſet, eadem centum millium aureorum poena teneri, plerisque Moraviæ, ac nonnullis Bohemiæ proceribus, pro gubernatore fidem ſuam ſtipulantibus. Et adductam quidem tertio abhinc anno Trenchinium, non item ut conventum erat, Poſonium ſponſam ex litteris publicis conſtat, eamque in manus Mathiæ conveniſſe.

Pontificis de electo rege gaudium.

Ceterum pontifex maximus, ubi Mathiam ad ſolium regale evectum intellexerat, imperare ſibi non potuit, quin incredibilis lætitiæ ſenſum, quo propterea affectus erat, legato ſuo in bæc verba communicaret. (2) *Immortalis Deus miſeratus populum ſuum, non eſt paſſus regnum illud, in quo tot certatim turbulentis obortis ſol prope modum lucere deſiiſſe videbatur, in tantis jacere, & caligare tenebris, ſed ſua clementia, & inenarrabili pietate afflictis rebus eum reſtituit regem, quo neque commodior quisquam propulſandis periculis fidei orthodoxæ, neque in quem omnium Hungarorum ſtudia magis accenſa eſſe potuiſſent. Illi quidem, ut cetera omittamus, quæ ampla ſunt, quæ ad capeſſendam fidei defenſionem eum non ſolum animare, ſed acriter excitare debent, propoſitus eſt ſtimulus paternæ gloriæ, & veneratio, genti Hungarorum ingeſta, ex tot rebus, quas ductu illius clariſſimi ducis feliciſſime pro fidei tutela geſſerunt. Itaque credibile eſt, animam ipſius invicti athletæ, Joannis de Hunyiad, quam in æternam ſedem pro ſuis meritis baud dubie receptam eſſe confidimus, exoraſſe immortalem Deum, ut patriam, & regnum illud, pro quibus ipſe tot annos indefeſſe pugnaſſet, & a quibus tot inſignibus cladibus avertiſſet Turcorum furorem, non pateretur domeſticis diſſenſionibus lacerari, ſed ſuis eximiis*

miis

(1) BALBINUS in Epit. lib. V. cap. 4. refert, diplomati decem Hungariæ proceres ſubſcripſiſſe, quorum tamen nominatim non meminit.

(s) RAYNALD. loc. cit.

Annus Christi 1458.

miis factis eum daret successorem, qui ab ipso non degeneraret, tutelamque christiani nominis ea constantia susciperet, quam ipse cum summa gloria antea ab ineunte ætate suscepisset, & susceptam nunquam, nisi cum vita simul amisisset. Quapropter ex tanto beneficio, merito divinæ clementiæ gratias agimus. Ad Elisabetham vero regis matrem in hanc sententiam animum explicat: *Certissimam spem semper habuimus, prædicavimusque palam, quod Deus omnipotens in suis judex, & miserator, non pateretur domum præfati Joannis in tantis tenebris jacere; sed eam erigeret, & propter merita illius quæ orbi nota sunt, ad lucem, claritatemque reduceret. Rata fuit prædicatio nostra, & vidimus repentinam mutationem divino mysterio factam, cum uno, eodemque tempore filium tuum illustrem Mathiam in regem, & Michaelem fratrem in gubernatorem regni istius electos fuisse vidimus, ex quo nemini dubium esse potest, immortalem Deum suam in hoc admirabilem potentiam ostendisse in oculis cunctis: nemo tamen divinæ voluntati resistere valet. Nec dubitet aliquis, quin anima præfati genitoris sui cum aliis concomitantiis, a piissimo Deo, omnium remuneratore, hoc de filio suo obtinuerit, & sit exaudita: & ita addendo prius per nos dictis, hæc vera, & multa alia, hic, & ubique ad animandum cunctos, dicimus, & prædicamus.*

Mathias in Hungariam profectus, ingenti Budæ lætitia accipitur.

Percusso cum Bohemis fœdere in Hungariam itum, Budamque modicis ob hiemem itineribus ventum est. Regi ad urbem appropinquanti Dionysius Strigoniensis cardinalis magna antistitum frequentia, clerique multitudine cum infulis, crucibus, ac sacris Divorum lipsanis obviam factus, breviter, ac, ut ætate jam erat gravis, paterne salutato felix, diuturnumque ab Deo regnum comprecatus est. Ceteri principes cultu magnifico certantes, summo decore regem pro porta acceptum, in urbem deducunt, plerisque animi lætitiam ipso vultu, & corporis habitu, contestantibus: Prætor urbanus cum duodecim viris atque singulis magistratuum ordinibus, effusaque civium, ac populi late ex omni Hungaria concursantis multitudine, oblatis pro more urbis clavibus, regem salutans, plebem per compita, vicosque undantem, tanquam dato signo excivit, incondita vociferatione, lætitiaque Mathiæ felicitatem, vitam, ac victorias comprecantem. Hac pompa, & gestientis populi gaudio Budam inductus Mathias, principem urbis basilicam divæ Virgini sacram adüt, actisque Deo, ac divis Hungariæ indigetibus ex ritu ecclesiæ gratiis, regiam ingressus sacramentum fidei a principibus solenni more accepit, deditque; quæ res ad devinciendos popularium animos plurimum contulisse visa est.

Primumque omnium de redimenda corona cum cæsare per legatos agit.

Ea officiorum servitute expeditus rem publicam ingenti animo, & non solita illi ætati prudentia complexus, ante omnia de repetenda a Friderico cæsare regni corona agendum existimabat, haud tutam sibi fore dignitatem ratus, nisi ex legum norma diademate inauguratus potentiæ auctoritatem quoque adjiceret. Itaque, vocatis Michaele Szilagyio, Dionysio Strigoniensi, Joanne Vitezio, Stephano Rozgonio, Ladislao Canisa, Petroque Zokolio, quos consiliorum suorum non modo auctores, sed arbitros quoque habuit, quid secum constituisset, aperit, jubetque, ut quem in modum sacrum illud regni pignus ab cæsare rursum Hungariæ redderetur, pronunciarent. Illi ante omnia Friderici animum, legatione pertentandum censent, promissisque emolliendum, ut coronam cum oppidis reddere ne gravetur, tergiversanti, aut nolenti bellum denunciandum esse. Lectus est Joannes Varadiensis cum duobus præcipui nominis proceribus, qui eam rem, ut erat eloquentia præstans, ac in rerum publicarum tractatione mire felix, omni studio effectum daret.

Factiosi clanculum imperatorem de re admonent.

Id ubi Nicolaus Uylakius, ac Ladislaus Gara compperere, tempus, quo regi ægre facerent, occupandum rati, adscitis in societatem Paulo Bánfio, Ladislao Palocio, Sigismundo sancti Georgii comite, ac Paumkirchero, Hildebornioque, qui, quamquam Germani essent, civitate tamen jam donati ad magnam in citeriore Hungaria potentiam pervenerant, clam nuncios cum litteris ad cæsarem mittunt, orantque, ut Hungarorum legatos, qui proxime affuturi essent, re infecta redire fineret, spem regni haud levem cæsari objicientes, si ea in re illis morem gereret. Itaque Varadiensi episcopo dif-

Annus Christi 1458. ficillima provincia confecta est. Ut enim Fridericum adiit, causamque legationis prolixe explicuisset, ab cæsare, qui tergiversando factiosorum animos explorare constituerat, præter verba nihil retulit. Quin ferunt Fridericum, ubi bellum sibi ab Mathia denunciari intellexisset, in istum ob mediocritatem generis, immodice etiam dicacem fuisse. (1) Neque magis domi res sese ex sententia dabant: Giscra, qui Mathiam regia dignitate ornatum esse, ob veteres cum ejus patre simultates, ægre ferebat, novam factionem extraque regnum moliri cœpit. Comperto Polonos Petricoviæ conventum habituros, ad Casimirum concessit, eique auctor fuit, ut ad invadendam hæreditario uxoris jure Hungariam animum adjiceret, neve nobilissimum regnum ab Mathia, homine novo, occupari pateretur: se, quidquid virium in Hungaria, ac ditionum haberet, habere autem permultum, regi sociaturum, ut jus suum armis persequeretur: facturum præterea, ut pace inter regem, & crucigeros, qui mercenariis Bohemorum armis hactenus usi fuissent, in solidum stabilita, libere, citraque periculum Mathiæ bellum obmovere posset. Sed cum crucigeri hibernis successibus elati pacem respuerent, neque Casimiro ad alia occupanda, dum domi periculum erat, animus, tempusque esset, homo inquies, & jurgiorum supra modum amans, nullo operæ relato precio in Hungariam redire coactus est; daturus tamen olim turbas, quæ, ut memorabimus, vix justo bello sopiri poterant. (2)

Giscra Polonis regnum offert.

Regem so dus cum Turcis initurum.

Dum hunc in modum initia discriminis plenissima, difficilem Mathiæ administrationem redditura viderentur, spes aliunde, unde minime exspectabatur, oblata est Hungariam ex tot periculis, quæ ab christianis maximam partem incubitura erant, feliciter ereptum iri. Turcæ, ubi Mathiam rerum apud Hungaros potiri intellexere, partim victoriarum, quas pater ex illis tulerat, memoria exterriti, partim christianorum classe, quæ Aegeo dominabatur, pressi, ad pangendum cum rege foedus legatos in Hungariam mittere decreverant. Ea fama cum certissimis nunciis ad Mathiam ex Rascia perferretur, plerosque optimates, ne regnum diversis hostibus eo tempore, quo domi res haud satis pacatæ erant, objiceretur, ad sanciendas cum barbaris inducias, si legati venirent, permovit. Neque dubium erat, quin amicitia ea conflaretur, nisi commodum a Callisto litteræ ad regem allatæ essent, quibus de nova regi dignitate gratulatus, Mathiæ animum ad meliora consilia reflexerat. (3)

Mathiæ regi Hungariæ illustri!

Pontifex, qui ei de obtenta dignitate per litteras gratulatur, avertit.

„ Charissime in Christo fili! salutem, & apostolicam benedictionem. Cum „ gravissimæ curæ, quibus jam a principio assumptionis nostræ affecti fuimus, „ acrius in dies urerent, sensus nostros propter pericula, quæ populo christiano instare ex nefariis conatibus pessimi Turcorum tyranni videbamus, eoque „ vehementior esset anxietas nostra, quod re in extremum discrimen adducta, „ summam Christi fidelium potentatuum negligentiam cernebamus, illuxit tandem „ felicissimus dies, quo te divina pietate regem Hungariæ electum esse percepimus, domumque tuam exaltatam, quod futurum & prædixeramus, & credebamus. Deumque, pro quo, totaque christianitate bonæ memoriæ genitor „ tuus, tam gloriose, strenueque decertavit, minime passurum, ut domus tua „ calamitatibus offuscaretur. Nuncio igitur hujus tuæ electionis tanto gaudio elatum est cor nostrum, tantaque lætitia repleti sumus, ut vixdum constituere „ mente potuerimus, unde Serenitati tuæ potissimum scriberemus, aut quibus „ verbis digne conceptam lætitiam significaremus, quæ quidem tanta est, ut nullius lingua exprimi merito possit. Immortali Deo gratias agimus, qui hujus „ gaudii compotes nos fecit, teque ineffabili potentia ad illius incliti, & memorandi regni culmen evexit, ut esses, qui lapsis rebus succurreres, & ut „ tua excellens indoles jam a pueritia omnibus pollicita est, singulare specimen pro-

(1) De Roo hist. Austr. lib. VI.
(2) Cromerus rer. Polon. lib. XXIV.
(3) Raynald. loc. cit.

probitatis, & virtutum, ita succedens felicitas exspectationem hominum, votaque compleret: in quo animi nostri gaudia tanto aliorum lætitiam antecellunt, quanto acriores erant stimuli solicitudinum, quibus propemodum soli præ omnibus pungebamur, & quanto hoc ipsum divina fiducia repleti exspectabamus, prænuntiationem quamdam pectoris nostri impletum iri, & fore, ut omnipotens brachium extenderet super plebem suam. Etenim de tua Serenitate, ut debemus, cogitantes, tuamque felicem promotionem jucunda consideratione animo revolventes, credimus haud dubie, ex hoc jam fructum orationum, & lacrimarum nostrarum percepisse, teque cælesti munere, quasi divinum aliquem hominem, non solum isti regno, sed universo orbi christiano missum esse, qui regni ipsius florida ætate gubernacula exorsus, sublatis intestinis seditionibus animum adhibeas ad gloriosum certamen Mahometicæ sectæ exterminandæ; in quo cum ineffabilis fuerit, & sit ardor mentis nostræ, nullaque acrior pectori cura insideat, omnes existimare possunt, quanta sit nostra lætitia, cum te tali, tantaque indole, & exspectatione opportunissimo tempore rebus christianis cælitus accomodatum esse videamus. Equidem cum patris tui, invictissimi militis, & athletæ Christi nobis in mentem cogitatio venit, cujus æterna sunt in universam christianitatem felicium gestorum monumenta, æterna laus, & præconium, existimavimus, post illius lugendam mortem, te alterum illius regni firmum columen, & præsidium esse futurum, & eo firmius, quo ante oculos, patris ipsius tui gloria proposita est, quam non dubitamus, Serenitatem tuam esse non adæquaturam solum, sed omni conatu superaturam, quod eo facilius tibi erit, quo major est tua, quam illius fuerit, felicitas, & tu rex, & ille minister regni fuit. Annus Christi 1458.

„ Quare Serenitati tuæ, nobis, universæque christianitati congratulantes, hortamur eandem, ut tantum animi concipiat pro fidei orthodoxæ defensione, & infidelium exstirpatione, quantum eum regem concipere decet, in quo quasi divino nutu creato omnium christianorum, & præcipue nostra fides collocata est. Non enim dubitamus, immortalem Deum pari pietate Serenitatem tuam directurum, ut eadem felicitate, qua juveni tibi tantum regnum administrandum dedit, hostes fidei conteras, & æternam gloriam consequare. Debellandi autem Turci, & Constantinopolis non solum, sed terræ sanctæ recuperandæ, & sectæ Mahometicæ exterminandæ, nunquam tanta occasio, aut opportunitas oblata est, cum post inclitam illam victoriam ductu patris tui christianis concessam, aliasque tam per classem, quam in oriente cum legato continue tenuimus & tenemus, quam per dilectum filium, nobilem virum, Scanderbegum in Albania, contra eundem Turcum habitas maxime attenuatæ sint eorundem hostium vires, in quos si Serenitas tua vires regni illius concitabit, procul dubio victoria in manibus est. Oblationes vero, & petitiones foederum, sive pacis, quam Turcæ postulare dicuntur, omnino sunt non modo spernendæ, & rejiciendæ, sed nec audiendæ, absitque, ut tam pernicioso exemplo Serenitas tua animum inducat, ut apud se de pace, aut fœdere cum hostibus Dei verbum fieri patiatur, quod absque maxima offensa Dei, tuaque, ac regni tui perpetua infamia, & ignominia fieri non posset, sed stabilitis regni ipsius rebus, in illos viriliter insurgat, eosque omni conatu exterminet.

„ Nos vero pro hoc sancto opere, ad quod continue admodum accensi sumus, parati sumus, non modo facultates nostras, & quidquid habemus, sicut hactenus fecimus, consumere, sed etiam proprium sanguinem effundere, nec unquam, nisi cum vita, hanc divinam amprisiam dimittemus, pro cujus prosecutione continue majores facimus apparatus, classem eandem nostram orientalem, quæ non mediocriter huic amprisiæ utilis est, continuis subsidiis sustentando, roborando, & augendo, convocavimusque imperatoris, & universorum regum, principum, & potentatuum christianorum oratores, ad nos, ut consilia, & auxilia opportuna de prosecutione amprisiæ præfatæ contra Turcum capiamus, quorum aliqui ad nos etiam mittere, quemadmodum tuo præ-

 „ deces-

Annus Christi 1458. „ decessori, quas tibi præsentari præcipimus, per nostras litteras mandabamus: „ studeatque tua Serenitas maxime pro tuis fidei, & christianitatis negotiis taliter sibi imperatorem, & alios principes Alemanniæ conciliare, ut eisdem fidei negotiis omni ex parte consulatur. Postremo, quamvis necessarium non putemus, tamen ex corde, & animo commendamus Serenitati tuæ dilectam in Christo filiam relictam Despoti, ejusque fratrem, & totum dominium illud, ut tua gratia, & humanitate eos foveas, & in cunctis tuearis, & defendas, quos nos simul cum dicto domino sub nostra, & beati Petri protectione suscipi per legatum nostrum mandamus: ipsi autem legato nostro, quem scimus status tui fore amantissimum, pro tua erga nos, & sedem Apostolicam devotione, & reverentia, ac pro fidei negotiis, quæ ardentissime prosequitur, propitium, & benignum te in omnibus præbeas, & in referendis nostro nomine fidem ei habeas, tanquam nobis. Datum XIV. Martii. MCCCCLVIII. anno tertio.

Cum in hanc præterea sententiam Callistus ad universos regni ordines, & seorsim ad Dionysium quoque Strigoniensem archiepiscopum scripsisset, facile a proposito rex destitit, retinuitque id postea adversus barbaros studium constanter, miraque felicitate e bellis in eos susceptis, propulsatisque inclaruit. Ceterum de Rascia, ut litteræ, quas memoravimus indicant, pontifici ex asse transscripta vehementer miror, qui hoc juris Despota sumere potuerit, quod ex iis, quæ alias prolixe, nec nulla nixi ratione in annales retulimus, satis aperte conficitur, eam provinciam Hungariæ regibus semper obnoxiam fuisse? sed hæc Mathiæ, cum res domi nondum firmæ essent, dissimulanda erant.



LIBER

Annus Christi 1458.

LIBER IV.

Bohemi, Hungarorum exemplo adducti, Podiebradium regem eligunt.

Hæc inter Bohemi vicino Hungarorum exemplo adducti, de rege quoque eligendo curas ac ſtudia contulerant. Indicta eam ob cauſam verni jejunii principio Pragam comitia ſunt: ad quæ cum ingens candidatorum numerus cum per ſe ſe, tum per legatos affluxiſſet, ut varia voluntatum ſtudia intercedere neceſſe fuit, ita ne ex æmulorum contentione malum aliquod respublica caperet, metus haud levis erat. Præter Fridericum enim cæſarem, fratremque hujus Albertum, ac Sigismundum patruelem, Galliæ, Poloniæque reges, tum duces Saxoniæ & Bavariæ, cum Alberto Brandeburgico, ac marchione Miſnenſi aderant, partim ſpe ſuffragiorum, partim aliis de cauſis ad regni poſſeſſionem erecti. *Ac Carolus quidem rex Franciæ, qui filiam Ladislao deſponderat, regnum alteri ex filiis petere, aut ei committi, cui filiam tradere non dedignaretur. Caſimirus rex Poloniæ ſororem defuncti regis ſibi nuptam eſſe aiebat, eique regnum deberi; pari ratione Guilielmus Saxoniæ dux utebatur, cui ſoror natu major nupſiſſet. Fridericus imperator ejusdem regni ordinationem ſuam eſſe affirmabat, in qua feudi ſolemnia neglecta fuiſſent. Nec ſine ſpe Sigismundus, & Albertus Auſtriæ duces fuere, qui deficiente rege Bohemiæ ſine virili ſobole, ex Auſtriis vocandum veteri fœdere principem norant. Rochezana venenorum ſator crebris ſermonibus uſurpare aut regem ſuæ profeſſionis eligendum eſſe, aut, ſi nemo tanto faſtigio dignus videretur, Hebraico more judices aſſumendos, veteris legis exempla memorans. Ubi dies conſtituta illuxit, auditis legationibus in conventu procerum, utilitate regni diſcuſſa, Georgius Podiebradius rex pronunciatur, militiæ, domique apprime clarus, cui ad res gerendas, nec conſilium, nec ætas deeſſet. Ea res necati regis ſuſpicionem auxit. Ipſe ex prætorio primum in ædem beatæ Mariæ, ubi Rochezana præſedit, ſolemni pompa deductus, Deo gratias egit, ibique novello regi publica ſalutatio exhibita. Mira rerum mutatio! - - duo potentiſſima regna eodem tempore rege orbata, ex nobiliſſimo, atque altiſſimo ſanguine ad mediocres homines pervenere. Sic Deo placuit, ludere fortunam dixiſſet antiquitas; nos divinæ providentiæ cuncta tribuimus. Utrinsque regis electionem nonnulli calumniantur, vim adhibitam dicunt, neque jure valere, quod metus extorſerit; nobis perſuaſum eſt, armis acquiri regna, non legibus.* (1) Hactenus Æneas.

Miſſis ex Hungaria legatis per Jaurinenſem, & Vacienſem epiſcopos coronatur.

Ab electione, cum nemo eſſet, qui regem coronaret, Pragenſis enim ſedes vacabat, & Protaſius Olomucenſis nondum ab pontifice confirmatus erat, legatos ad Mathiam generum ſuum in Hungariam miſit oratum, ut ea in re ſibi ſubſervire ne gravaretur, mitteretque aliquos, penes quos coronandorum regum jus eſſet, & auctoritas. Metus enim non de nihilo Podiebradium habuit, Bohemiæ proceres, niſi ex ritu gentis corona inauguraretur, obedientiam detrectaturos eſſe. Mathias, quo aliquam ſocero gratiam haberet, Auguſtinum Jaurinenſem, & Vincentium Vacienſem epiſcopos cum nonnullis optimatibus in Bohemiam miſit, ut regi eatenus morem gererent: vetuit tamen, ne prius inaugurationem auſpicarentur, quam Georgius jurejurando fidem faceret, publicisque litteris teſtaretur, ſe miſſo erroribus nuncio religionem catholicam indemnem ſervaturum, ac, quam par eſt, Romano pontifici obedientiam præſtiturum eſſe. Podiebradius regni cauſa religionem haud multum penſi habens, facturum ſe, quod Mathias poſtulabat, utrique epiſcopo recepit; ne tamen Rochezanam factionem adverſum ſe irritaret, inaugurandi ritus adminiſtrari quidem palam ſibi paſſus eſt; jusjurandum contra clanculum ut conciperet, impetravit. Ejus formam hujusmodi fuiſſe memoriæ eſt proditum. (2)

Catholicam prius fidem profeſſus.

In nomine Domini Patris ſcilicet, & Filii & Spiritus Sancti amen. Ego Georgius electus rex Bohemiæ in proximo coronandus promitto, ſpondeo, polliceor, atque juro coram Deo & Angelis ejus in manibus patrum in Chriſto reverendorum dominorum

(1) Hiſt. Bohem. cap. 72.

(2) BALBIN. Miſcell. Dec. I. Lib. 6. cap. 6.

Annus Christi 1458.

norum Augustini Jaurinensis, & Vincentii Vaciensis episcoporum, ac in præsentia venerabilium Protasii electi Olomucensis, Pribislai Abbatis Lucensis, item spectabilium, & magnificorum, ac egregiorum virorum Nicolai de Uylak Vayvodæ Transilvani, Osvaldi de Rozgon, comitis Siculorum Hungariæ: Zbingonis Leporis de Hazenburg judicis regni, Procopii de Rabenstein cancellarii Bohemiæ, regiorum Baronum, ac Michaelis de sancto Nicolao, Neogradiensis, Baciensis, & Thomæ de Trutiis cantoris Jaurinensis ecclesiarum canonicorum, decretorum doctorum quod abhinc, & in antea, & deinceps fidelis, & obediens ero sacrosanctæ Romanæ, & catholicæ ecclesiæ, ac sanctissimo domino nostro, domino Callisto divina providentia, papæ III. ejusque successoribus canonice intrantibus, & eis obedientiam & conformitatem more aliorum catholicorum, & christianorum regum, in unitate orthodoxæ fidei, quam ipsa sancta Romana catholica, & Apostolica ecclesia confitetur, prædicat, & tenet, fideliter observabo, ipsamque catholicam & orthodoxam fidem protegere, tueri, & defendere volo toto posse, populumque mihi subjectum secundum prudentiam a Deo mihi datam, ab omnibus erroribus, sectis & hæresibus, & ab aliis articulis sanctæ Romanæ ecclesiæ reducere, & restituere volo, & laborabo, daboque, & adhibebo omnem diligentiam, ut omnia præscripta impleantur toto meo posse & conamine ad laudem, gloriam, & honorem Dei, & ad exaltationem sanctæ & catholicæ fidei. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia manibus meis corporaliter tacta. In fidem autem & testimonium omnium præscriptorum, ego Georgius electus rex prædictus, hic infra sigillum meum bona & propria voluntate, & ex certa scientia appendi, mandavi. Datum Pragæ die sexta mensis Maji, anno domini MCCCCLVIII. Tum testium nomina sigillis roborata subscribuntur, quorum postremus sacramenti formulam & lectam ab se, & auditam in hæc verba testatur. (1)

Et ego Petrus natus Pauli Forgach de Gara, clericus quinque Ecclesiensis diœcesis, publicus imperiali authoritate notarius, anno, mense, die, & hora, quibus supra, indictione VI. pontificatus autem sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, domini Callisti, divina providentia, Papæ III. anno ejusdem quarto Pragæ in camera secreta regali, solitæ habitationis suæ constitutus personaliter princeps dominus Georgius electus rex præscriptus, sibi ad latus ejus corporali præsentia assistente serenissima domina Joanna conthorali sua, jurisjurandi, & professionis formam præscriptam, cum primum in latino legi audiret, & tandem in Bohemicum translatam legeret, & ore proprio pronunciaret, ac in manibus supradictorum reverendorum in Christo patrum, dominorum Jauriensis, & Vaciensis episcoporum, tandem manibus suis, sacrosanctis evangeliis, & charta professionis per eum lecta tactis, obedientiam, reverentiam, fidelitatem & conformitatem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, ac sanctissimo in Christo patri & domino nostro, domino Callisto papæ III. ejusque successoribus canonice intrantibus observare juraret, & professionem expressam faceret serenissima etiam domina Joanna prædicta conthoralis sua formam præscriptæ professionis primum in manibus dictorum dominorum episcoporum & post tactis manibus suis sacrosanctis evangeliis, & charta professionis, omnia, quæ sibi per prænotatum Jauriensem episcopum proponebantur, ore proprio, ac voce intelligibili pronunciaret, & exprimeret, quia omnibus, & singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, una cum supra scriptis testibus præsens interfui, eaque omnia, & singula sic fieri vidi, & audivi, ideo me manu propria hic supscripsi, signoque & nomine meis solitis & consuetis consignavi, in fidem & testimonium singulorum & præmissorum, rogatus, & requisitus.

Sed Podiebradius non multo post, quid animo clausum gessisset, ostendit; ideo & a pontifice, quem dolo circumvenerat, diris devotus, & ab catholicis proceribus, quibus diu os sublinierat, desertus, gravissimoque cum Mathia deinde bello implicitus est, ut nobis ordinem temporum sequentibus frequens postea narrandi locus erit.

Ægre rem ferente papa, quod se inscio electus esset.

Ceterum pontifex, postquam Podiebradium a Bohemis electum comperit, datis ad cardinalem sancti Angeli litteris, immodice questus est, se inconsulto

(1) Idem ibidem.

Annus Christi 1458.

fulto eam optionem factam esse: neque, tametsi Mathiam in Hungaria rerum potiri vehementer gaudeat, probari sibi unquam potuisse, nullam sui rationem fuisse habitam, ad quem ceteroquin, qui huic illive regno præficiatur, ex vetusto jure attineret. *Satis*, inquit, *miramur, quod a multis, cum regna Bohemiæ, & Hungariæ, quæ peculiarius sint beati Petri, ut nostra, & antiqua gesta authentice docent, tam modica mentio facta fuerit, mortuo rege Ladislao, super provisione ipsorum regnorum de nostra, & sedis apostolicæ authoritate. Nobis enim etsi grata sit eorum felix concordia, & bona expeditio novæ provisionis, sive electionis non minus, maxime te ibi existente legato de latere nostro, conservare cupimus, & ex corde desideramus, nostrum in præmissis, & sedis apostolicæ decorem, & superioritatem, prudentiæ tuæ, & providentiæ, prout tibi videbitur, & temporis qualitas exposcit, remittendo. - - - Datum die XIII. Maji Anno MCCCCLVIII.* (1)

Bohemorum quæ hac in re ratio fuerit, mihi incompertum est, neque ad nos attinet: de Hungaria autem, quæ nostra sit eatenus opinio, fueritne unquam fiduciario jure pontificibus obnoxia, ut nonnulli olim arbitrabantur, an contra, sæpe alias, cum usus tulit, a nobis memoratum est.

Callisto Æneas Sylvius, sub nomine Pii II. succedit.

Haud multo post, quam hæc geruntur, Callisto rebus humanis erepto, Æneas Sylvius cardinalis Senensis, ex cujus commentariis rerum hujus temporis narrationem fere depromsimus, XIV. calendas septembres ab cardinalium collegio subrogatus est, Pii II. nomine insignitus. Natus vetusto, ac nobili apud Senenses genere, patre nimirum Sylvio Picolomineo, & matre Victoria Fortiguerra, primos honores sub Friderico cæsare auspicatus, cum in omni litterarum genere cum laude versatus esset, miraque in agendo prudentia valeret, per omnes fere dignitatum, quas ecclesia habet, prærogativas traductus, sub Eugenio, Nicolao, & Callisto ita sensim inclaruit, ut miro omnium consensu præ ceteris dignus sit visus, cui vicaria Christi in terris potestas tribueretur.

Annus Christi 1459.

Mathias rem militarem incredibili studio complexus

Mathias cum sibi ab novo pontifice, ut eventu deinde confirmatum est, summa quæque polliceretur, provideretque, eodem, quo Callistum, studio in barbaros futurum, nec nullas se in bello, si quod Turcis obmoveretur, partes habiturum esse, id ante omnia operam dedit, ut militiam, quæ ob intestinas factiones, bellaque civilia vehementer defluxerat, ad pristinum decorem, gloriamque apud exteros partam revocaret. Quæ molitio, cum & per se se ardua esset, & optimatum etiam studia, operamque requireret, conventum generalem Szegedini in principio anni sequentis indixit. Ad quem cum proceres regni omnes, ac præter morem, ex singulis provinciis quatuor legati confluxissent, habita consultatione, militiæ ratio partim ad eam, quam Sigismundus olim constituisset, normam revocata, partim ad præsentis temporis habitum, quo plura regno pericula ingruere videbantur, instaurata est, diplomaque omnium consensu per Hungariam vulgatum. Visum id mihi est, quoniam illius nusquam in nostris scriptoribus, neque jure patrio memoria occurrit, tametsi prolixum sit, integrum tamen ad faciendam fidem hoc loco depromere (2)

Edictum vulgat.

„ Nos Mathias Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. significamus tenore præsentium, quibus expedit universis, quod cum his diebus
„ post labores nostros regios bellicos pro disponendis rebus nostris, & regni negotiis per nos consumtos, de partibus inferioribus regni nostri in hanc civitatem nostram Zegediensem feliciter venissemus, tandem habita generali congregatione, prælati, barones, nobiles, ac de unoquoque comitatu quatuor
„ electi cum plena facultate missi, totum regnum repræsentantes, inter alia,
„ quæ pro bono statu, & pace, ac defensione ipsius regni nostri hinc inde concorditer expedita sunt, exhibuerunt nobis concordi animo, & præsentarunt
„ articulos infra scriptos, desiderantes, ut eos, & in eis contenta, rata habe-
„ re,

(1) RAYNALD. annal. Eccles. ad Annum 1458.

(2) Ex Hungaria diplom. MS. CL. KAPRINAY.

Annus Christi 1459.

„ re, admittere, & nos observaturos promittere dignaremur, qnorum quidem articulorum tenor sequitur in hæc verba:

„ Dispositum est, quod serenissimus princeps, dominus Mathias Dei gratia rex Hungariæ, dominus noster gratiosissimus banderia sua pro custodia personæ suæ, & tutela regni sui juxta facultatem suam levare teneatur, & per universa oppida, possessiones, & provincias regales, ubilibet intra ambitum regni adjacentia, demtis duntaxat regionibus & oppidis illis regalibus, quæ cum eorum ingeniis (1) bellicis labores belli sufferunt, connumerentur; ad numerum singulorum viginti jobagionum modo infra scripto, & regia majestas facultatem habeat, constituendi eos sub banderio, quo voluerit, bellaturos. Prælatorum vero jobagiones sub propriis eorum banderiis secundum connumerationem exercituare tenebuntur: nobiles vero ecclesiarum exercituare teneantur more antiquitus consueto, & non secundum connumerationem. Item nobiles regni Sclavoniæ secundum connumerationem reliquorum regnicolarum exercituare teneantur. Item, quod omnes prælati, archiepiscopi, episcopi, ac majores abbates, & præpositi, sicut tempore quondam domini Sigismundi regis, cum eorum banderiis, & numero lancearum exercituarunt, ita & in præsentiarum exercituare teneantur. Minores vero abbates, & præpositi, capitula & conventus, ceterique universi ecclesiastici possessionati, secundum connumerationem jobagionum suorum modo infra scripto exercituare debeant, si qui autem ex ipsis in eorum proventibus defecissent, illi secundum quantitatem proventuum, eorum banderia sua levare teneantur, quos dominus rex videre debeat. Tandem barones seculares, quibus dominus rex ad levanda eorum banderia de proventibus regalibus salaria dare tenetur, hujusmodi banderia eorum cum exercituantibus, ex jobagionum suorum connumerandorum resultantibus integrare non debeat, sed ipsos exercituantes jobagionum connumeratorum præter banderia sua faciant exercituare, & hujusmodi exercituantes in singulis comitatibus sub ductoribus belli dare teneantur.

„ Exinde universi barones & nobiles possessionati homines ubilibet intra ambitum regni constituti, tam scilicet majores, quam minores juxta præmissam connumerationem, utpote de singulis viginti jobagionibus, censum domino suo solventibus, cum uno armigero equite, bene armato gladio, clypeo, pharetra, & arcu, vel lancea fulcito, exercituare teneantur: excipiuntur tamen inquilini, vulgo *Seljer*, de hujusmodi connumeratione, atque lucrum cameræ juxta antiquam consuetudinem, & non secundum connumerationem præmissorum, temporibus solitis ad numerum portarum dicetur, perinde, atque Rutheni, Valachi, & Sclavi, qui alias lucrum cameræ solvere non consueverunt, ad solutionem ejusmodi lucri cameræ non compellantur. Demum dominus rex eligat connumeratores nobilea ex eodem comitatu, qui connumerationem facere teneantur, recusantem autem pœna quinquaginta marcarum puniat, & ab eo irremissibiliter exigi faciat. Præterea dominus rex capitaneum eligat, comitem proprii comitatus, vel alium fidelem, quem maluerit, cui dicti connumeratores ipsorum registra assignent, atque etiam paria registri hujusmodi connumerationis modo simili regiæ majestati dare teneantur.

„ Subinde dum dominus rex contra potentiam inimicorum banderium suum levare voluerit, & cum prælatis & baronibus suis levare fecerit, tum universi regnicolæ secundum connumerationem prædictam exercituare teneantur, & pro arbitrio regis subjiciantur, quando erit necessarium. Et quod si dominus rex universos comitatus ad tres menses in toto, vel in parte exercituare jusserit, id fiat pro voluntate & arbitrio suo, in præsenti uno anno ad

„ tres

(1) Eo nomine universe veniunt, machinæ bellicæ, seu ad prælium conferendum, sive urbium obsidionem.

„ tres menses tantum. Ex post, quando dominus rex cum prælatis, & baroni- Annus Christi 1459.
„ bus suis personaliter ad exercituationem qualemcunque, modo prænotato,
„ sua banderia & dictorum suorum prælatorum, & baronum levando proficisci-
„ tur, ex tunc etiam universi nobiles regni, majores scilicet & minores, cum
„ eorum gentibus exercitualibus connumeratis, personaliter cum eodem domino
„ rege, juxta consuetudinem antiquam usque metas regni tantum, unusquisque
„ secundum suum posse ire teneatur, & dum ipse dominus rex de hujusmodi
„ exercitu redire voluerit, regnicolæ ipsi cum eodem redire valeant, si vero
„ ultra, & extra metas hujus regni personaliter exercituare voluerit, univer-
„ sitas nobilium, juxta consuetudinem regni, ultra ipsas metas cum eo exerci-
„ tuare non teneantur; sed gentes ipsorum connumeratæ sub ductu capitaneo-
„ rum illuc, quo regia majestas voluerit, infra dictos tres menses integros,
„ & non amplius exercituare teneantur. Denique si castrum Nandoralbense, &
„ alia castra finitima cis flumina Danubii, & Savi, & in eorum littoribus adja-
„ centia multitudo inimicorum accumulaverit, & dominus rex banderia sua le-
„ vare voluerit, ac prælatorum & baronum suorum banderia levare faciat, tum
„ omnes regnicolæ personaliter secundum connumerationem, ad defensionem
„ eorundem castrorum ire teneantur. Item nobiles, jobagiones non habentes,
„ juxta facultatem, & fidelem revisionem electorum connumeratorum leventur:
„ simplices vero, & pauperes, facultatem exercituandi in personis, & rebus
„ non habentes, numero decem unum pharetrarium idoneum, modo prætacto
„ bene dispositum, mittere teneantur cum expensis ad tres menses. Nobiles
„ vero inferiores, qui pauciores, quam decem, habent jobagiones, connume-
„ rentur cum nobilibus, qui nullum habent jobagionem: jobagiones siquidem
„ eorum connumerantur cum jobagionibus aliorum nobilium usque ad numerum
„ viginti: Et si aliquis nobilium decem habuerit jobagiones, personaliter ad
„ exercitum ire teneatur. Insuper si aliqui regnicolarum in diversis comitatibus
„ jobagiones habuerint, tales jobagiones, legitima revisione dictorum connume-
„ ratorum electorum, connumererentur, & certificati venire debeant ad comita-
„ tum, in quo dominus talium jobagionum commoratur, & sub comite illius
„ comitatus exercituare teneantur. Ex hinc si quipiam nobilium jobagiones ha-
„ bentium ab aliquo prælato vel barone, ad numerum lancearum, aut aliter
„ pecunias levaverit, ex tunc exercituantes suos de connumeratione jobagionum
„ suorum resultantes, præter & ultra numerum exercituantium sub conductu ca-
„ pitanei illius comitatus. Deinde si homines connumeratores, & ductores belli
„ singulorum comitatuum in eorum præscriptis expeditionibus fraudem, vel fa-
„ vorem, sive pactationem aliquam, gratia relinquendi aliquos ab exercituatio-
„ ne, commisisse reperti fuerint, & in eo legitima certitudo reperietur, tales in
„ homagio eorum convincantur, & facto.

„ Item si dominus rex, ac prælati & barones hujusmodi levationem exerci-
„ tus, si necessitas evenerit, modo & ordine prænarratis facere non vellent,
„ ex tunc neque regnicolæ præter formam antiquæ libertatis & decreti exerci-
„ tuare teneantur, compellanturque. Demum, quia connumeratores in propriis
„ eorum expensis hujusmodi connumerationem facere debent, ob hoc ab exer-
„ cituatione personali eximantur: de connumeratis tamen eorum jobagionibus
„ exercituari facere tenebuntur. Ceterum nullus regnicolarum tam majorum,
„ quam minorum aliquam pecuniam cujuscunque numeri aliquibus capitaneis,
„ vel ductoribus belli, gratia remissionis alicujus ab exercituatione dare præsu-
„ mat: alioquin tam dans, quam etiam recipiens in facto potentiæ & summa capi-
„ tali convincatur. Item jobagiones tam regales, quam aliorum quorumcunque a
„ die, quo præsens constitutio in sede judiciaria cujuslibet comitatus promulga-
„ ta fuerit, usque integram dicti exercitus anni revolutionem, caussa commo-
„ randi hinc inde non deducantur: quod si factum fuerit, ex tunc ductor belli,
„ sive comes talis comitatus cum pœnis decreti sex marcarum talem jobagio-
„ nem pristino domino suo reddat sine omni prælatione & favore: insuper quod

 „ occu-

Annus Christi 1459.

„ occupationes possessionum secundum formam decreti Pestiensis (1) remitti, „ vel acquiri debeant. Item quia quam plurimi Valachi, Rutheni, & Sclavi, „ fidem Valachorum tenentes rustici, qui alias ad lucrum cameræ regiæ numerari assueti non fuissent, tales tam regales, quam aliorum ad præsentem exercitum connumerari debeant; & insuper, prout, & quemadmodum alias exercituare consueti sunt, exercituare teneantur, excipiantur tamen Comani, Philistæi, & Tartari, (2) qui juxta antiquam consuetudinem exercituabuntur secundum quod Saxones. Item quia Comani & Philistæi per officiales regios de possessionibus prælatorum, baronum & nobilium potentialiter abducuntur: itaque in talibus agatur, secundum quod fuit consuetudo temporibus antiquorum regum. Subsequenter dominus rex omnes octavas & breves evocationes continue juxta decretum celebrare, & judicare per protonotarium, & judices deputatos faciat, & non prorogentur nisi tempore levationis exercitus supra dicti secundum formam decreti Pestiensis & sigillum specialis præsentiæ suæ dandi ad conservandum, cui maluerit, cum idem suæ Majestatis est, habeat facultatem. Item servientes nobilium, videlicet, aratores, fabri, prædiales, & sartores, victum & amictum de curiis nobilium habentes, ad connumerationem prædictam non computentur, etiamsi nobilis esset provisionis curiæ, quorumcunque nobilium una persona nobilis ab ingressu exercitus supportetur. Sed & senescali, dapiferi, pincernæ supportentur in propriis personis. Et quia castra regnicolarum sine provisione relinqui non possunt, igitur castris in eisdem secundum necessitatem eorundem juxta æstimationem connumeratorum electorum, castellanus, vel castellani relinquantur; ex duobus enim castellanis unus remittatur, alter exercituare compellatur.

„ Præterea sunt plures nobiles, qui quodammodo statum baroniæ, seu alium honestum statum ultra ceteros nobiles habent, tales pro honestiori statu suarum uxorum nobiles in numero juxta æstimationem dictorum connumeratorum in domibus suis relinquere poterunt, omnium tamen talium castellanorum, & nobilium, senescali, dapiferi, pincernæ provisionis curiæ per connumeratores ante connumerationem in hujusmodi eorum officio repertorum, ex quacunque causa domi remanentium, jobagiones connumerentur per connumeratores prænotatos. Item magistri protonotarii, & sex assessores jurati, judicantes, & procuratores regni exercituare non teneantur; sed quilibet eorum pro se mittat unum pharetrarium, & quod eorum jobagiones connumerentur, atque judices nobilium ab ingressu exercitus non remittantur, sed exercituare teneantur. Item ex pluribus fratribus in uno victu existentibus, unus eorum pro aliis exercituare possit, & quamvis stipendium receperit, per hoc fratres sui non sint exemti a præsenti exercituatione, sed unus eorum exercituare teneatur modo præmisso. Ceterum nullus exercituans in domibus nobilium quorumcunque descendere ausus sit, nisi adfuerit voluntas illius nobilis, & quod omnes exercituantes universa victualia in descensibus ipsorum, secundum priorem cursum victualium, in quo vendebantur prius, quam exercitus illac veniret, usque ad locum deputatum, ubi constitui debebunt, emere, & comparare teneantur: constituti tandem in loco deputato, emant, & comparent victualia, quæ poterunt, pretio: ubi autem prout hactenus sunt assueti, ipsa victualia sine solutione quispiam accepit, ex tunc tam descendentes in domibus nobilium præter voluntates eorundem, quam victualia dirigentes juxta formam decreti Pestiensis puniantur. Item quicunque regnicolarum exercituantium cujuscunque status, & præeminentiæ existat, nobilis scilicet & ignobilis, de exercitu supra dicto clandestine, vel aliter qualitercunque recesserit, talis omnia bona & caput amittat eo facto, absque tamen pœna domini talis

„ rece-

(1) Illius nempe, quod Szilaggyius condidit

(2) An genere aut contra habitatione solum Cumanos a Philistæis distinguat decretum, haud satis mihi exploratum est. Tartaros ab Ladislai Chuni, vel Ludovici I. temporibus, cum victor ex Tartaria rediit, superfuisse probabile est.

„ recedentis, si fuerit idem sine dolo, & fraude, super quo idem dominus ip- Annus
„ sius recedentis præstare debeat juramentum, quod recessit sine voluntate sua. Christi
„ Deinde viduæ, orphani, debiles, ac membris orbati, senes, pueri, 1459.
„ & alii quilibet, qui tali defectu tenentur, qui personaliter exercituare non
„ possent, tales non teneantur exercituare; pro personis tamen eorum propriis
„ singuli eorum mittere teneantur, quorum etiam jobagiones, si ut ceterorum,
„ connumerentur. Tandem regnicolæ teneantur post admonitionem horum re-
„ giorum, infra viginti quinque dierum spacia secundum connumerationem in-
„ surgere, & illac, quo rex jusserit, procedere, ita ut ipso vigesimo quinto
„ die in loco deputato constituantur: & a die illa, in qua illic constituentur, præ-
„ fati tres menses debeant computari. Item quod a festo circumcisionis domi-
„ ni proxime præterito, usque ad aliud festum circumcisionis domini in alia revolu-
„ tione annuali venturum, & non ulterius regnicolas dominus rex ad levandum
„ exercitum connumeratum compellat. Præterea si tam magna potentia inimico-
„ rum contra hoc regnum veniret, quod dominus rex cum sua potentia, ac
„ prælatis ac baronibus suis & exercituatione præmissæ dispositionis, dictorum
„ inimicorum potentiæ resistere non posset, ex tunc universitas regnicolarum
„ per singula capita cum equitibus, & peditibus eorum insurgere, & penes do-
„ minum regem exercitualiter venire debeant, tamdiu donec necessitas expo-
„ sceret. Postremo si aliquis baronum spiritualium, vel secularium, nec non re-
„ gnicolarum majorum, vel minorum, præmissa facere non vellet, notam per-
„ petuæ infidelitatis incurrat; sed hæredes ejusdem propter hujusmodi notam in-
„ fidelitatis jus proprium non amittant; nec propter hoc iidem hæredes infideles
„ habeantur.

„ Nos igitur acceptis articulis prænotatis, maturaque super eis delibe-
„ ratione præhabita, eos & omnia in eis contenta, cum ad utilitatem reipubli-
„ cæ, commodumque regni nostri, ac præcipuam ejusdem defensionem ab uni-
„ versis hostibus, utiliter, & integerrime complecti videantur, rata habuimus,
„ & admisimus, omnesque eos & singulos eorum inviolabiliter observare, com-
„ plere & exequi promittimus, & volumus cum effectu. In quorum omnium
„ testimonium præsentes litteras nostras, universitati prælatorum, baronum, &
„ nobilium regni nostri duximus concedendas. Datum Zegedini, prædicta in
„ congregatione generali in vigilia festi epiphaniarum domini, anno ejusdem
„ MCCCCLIX.

Tum oratores ad Mantuanam synodum mittit.

Tantos belli apparatus, cum nemini dubium esset, adversum Turcos de-signari, Pius pontifex, ubi rem comperit, non modo impense regi gratulatus est, sed majorem in modum oravit etiam, ut legatos suos Mantuam mittere ne gravaretur, in quam urbem universos principes, ad decernendum in barbaros communi studio bellum per litteras convocasset. Mathias mire lætus, conatus suos cum papæ studiis ita congruere, graves ex optimatibus viros delegit, qui arrepto, Mantuam itinere, pontificem, ceterosque principes ad ferendam Hungariæ opem, si periculum a barbaris ingrueret, sua auctoritate, & precibus conciliarent. Fuerantque regis spes eatenus non incassum futuræ, nisi malo domi oborto, cum minime oportuit, interceptæ essent. Nicolaus Ujlakius, vetere æmulationis studio correptus, cum regis adolescentiam despicatui haberet, ejusque mores gravi censura notans, ad vulgum efferret, potentiamque depromtis ex nuperno conventu rationibus, tyrannidi proximam criminaretur, brevi tantam ex nobilibus factionem concivit, ut regem metus civilis belli non de nihilo haberet. Accessit ad malum clandestina factiosorum molitio, qua exteros principes, Fridericum in primis cæsarem in suas partes per occultos nuncios pellicere nitebantur. De quorum crebra ultro citroque missitatione cum regi indicium allatum esset, veritus, ne, si malum in principio non præfocaretur, molestæ ac diuturnæ turbæ orirentur, ad pontificem confugit, obtestatus, ut seditionem paucorum sua in christianos auctoritate comprimeret, alioquin, nisi id faciat, se, ut apparatus omnes, quos hactenus bello Turcis inferendo non sine magna suorum invi-

Et pontificis opem adversus factiosos implorat.

Annus Christi 1459.

invidia fecisset, ad exstirpandum domesticum malum traduceret, coactum iri. Pontifex, cui Mantuam ad cogendum conventum properanti, nihil acerbius eo nuncio, quo spes suas affligi vidit, accidere poterat, grauissimas ad suum in Hungaria legatum dedit litteras, quibus ei potestatem tribuit, ut in eos, qui regi molestiam facessere pergerent, cujuscunque essent conditionis, graviter animadverteret. (1)

Pius Papa II. dilecto filio Joanni, sancti Angeli cardinali apostolicae sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Pii ad legatum suum ea de re mandata.

Tam suo, quam aliorum testimonio habemus charissimum in Christo filium nostrum, Mathiam Hungariæ regem illustrem, in hoc generali apparatu, quem fidei hostem Turcum, ad invadendum proxima æstate regnum Hungariæ fecisse his annis præteritis, & in præsentiarum facere certissimum est, se ipsum, quantum sibi conceditur, magno animo ad resistendum parare; sed impedimento præcipuo esse, quod dissensiones quorundam regni baronum, & aliorum, qui illis assentiunt, quietum illum non sinunt, faciuntque, ut, cum animum intentum ad evitandam vim internam, externamque habere cogatur, non possit causæ Dei pro arbitrio suo tota contentione intendere. Propterea, ne ex hujusmodi concertationibus gravius aliquid oriatur, aut ad nos, ac eversionem nostram per hunc modum occasio infidelibus detur, circumspectioni tuæ injungimus, & per apostolica scripta mandamus, ut quam diu idem rex in apparatu, seu bello contra Turcos evidenter fuerit occupatus, omnibus & singulis molestatoribus suis, tam intra regnum, quam extra, etiamsi regali, reginali, ducali, aut alia quacunque dignitate ecclesiastica, vel mundana præfulgeant, sub interminatione divini judicii, & aliis censuris, & poenis, de quibus tibi videbitur, auctoritate apostolica districte inhibeas, ne illi in talibus occupato impedimentum aliquod directe, vel indirecte, aut alio quovis quæsito colore afferre præsumant, sed illum pio operi incepto, pro desiderio vacare permittant, ratas habituri poenas quascunque, quas per te præmissorum monitione in rebelles infligi contigerit. Hortantes eandem tuam circumspectionem, ut in ceteris etiam sicut hucusque fecisti, auctoritate & opera tua eidem indesinenter assistas. Datum Senis VI. calendas Martii anno primo.

Tum litteræ ad cæsarem scriptæ, ne factionem alat.

Dubium non est Fridericum tacite his a Pio designari, quasi aut factiones has auctoritate sua clam aleret, aut captatis factiosorum studiis ad Hungariæ regnum aspiraret; Id ut Pontifex variis ex Hungaria litteris didicerat, ad cæsarem quoque ob sparsum de molitionibus Turcorum rumorem, ac, quod isthinc Hungariæ regi periculum instaret, tacite eum carpens, quod præter suam auctoritatem externorum rebus se immisceret, in hanc sententiam scripsit. (2)

Quotidianis, inquit, *nunciis nobis affertur, sævissimum fidei nostræ hostem Turcum, magnis apparatibus, quibus per hosce annos indesinenter studuit, statuisse ventura æstate transmisso Danubio, Hungariæ regnum, & quæcunque christianorum loca poterit, violenter invadere; ipsum autem Hungariæ regem quantum in eo est, continuo se ad defensionem parare; sed vehementer solicitum esse, ne christianorum molestiis impeditus proposito suo minus possit libere uti. Propterea cum audiamus esse in proprio regno barones nonnullos, qui Celsitudinem tuam ad novas ibidem contra illum res exhortentur, idque veri simile sit magis privata ex caussa, quam charitate tui tentari, ne ex hoc capite scandalum gravius oriatur, pro honore Serenitatis tuæ, & charithtate fidelium, quæ nobis est debita, pie requirimus, ut cogitare interius velis, unde hoc tempore ad honorem tuum, & conservationem christianæ plebis conducat inquietorum consilia audire. Etenim si invalescente dissensione, ut te adjuvante facile posset, idem rex intestino malo, extraneoque simul oppressus, in concordia aliqua cum Turcis saluti suæ consuleret, non tam ipse a cunctis fidelibus videretur cul-*

(1) Ex cod Mſ. Bibli. vaticanæ. num. 1458. fol. 25. (2) Ex eodem cod. Mſ. fol. eodem.

culpandus, cujus bonum propositum patet, quam qui eum ad damnosam conversionem necessario compulisset. Huc accedit, quod cum idem regnum, totius christianitatis clipeus esse antehac consueverit, nosque illo pugnante otiosam semper securitatem egerimus, si aditus ille immanitati barbarorum, multitudinique pateret, non dubie ingens calamitas in omnes descenderet, auctorique hujus damnati consilii imputaret Deus, quidquid inde esset sequutum. Nos, qui & existimationi tui nominis sumus affecti, & præter ceteros gloria, & amplitudine te augeri expetimus, videntes nihilominus, quanta offensione Dei, & quanto populi sui damno hæc incerta spes possit constare, suaderemus semper tuæ Sublimitati, ut malles totius orbis judicium intueri, quam paucorum seditiosa promissa audire. Et propterea bonitas tua charissime fili, quæ semper ad salutem in omnibus valuit, valeat nunc ad conservationem gregis dominici, ne, unde patrocinium ex gradu, quem tenes, exspectat, inde causam eversionis suæ accipiat. Præcidendæ sunt malignandi omnes occasiones, & opera danda, ut communi saluti consulatur; in quo Serenitas tua rem dignam imperio faciet, fidelibus utilem, & nobis unice gratam. Qui cum te intimo affectu amemus, credere debes omnia hæc a fideli corde procedere, de conservatione laudis tuæ semper soliciti.

Annus Christi 1459.

Quo animo hæc ab cæsare accepta sint, haud satis constat: si conjecturæ locus sit, credibile est, in utramque partem, quod solebat, ancipitem, ab ipso temporis eventu consilium cepisse, quoad factiosi, qui aperte ad cæsarem jam secesserant, & Mathiæ ignobilitatem contemtui habebant, ut Hungariæ regnum vi, armisque occuparet, ei auctores fuissent. Fuit factiosorum non ingrata Friderico voluntas, ne tamen in re tam gravi temere quidquam ageret, pontificem, quid eatenus sentiret, consuluit per litteras, sive re ipsa, eo inconsulto nihil ea in re tentatum vellet, seu magis invidiam, quæ sibi isthinc apud exteros conflari poterat, amoliri conatus sit. Quidvis fuerit, Pius, ne in tam invidiosa re consilium, quod in alterutram partem præceps esset, depromere cogeretur, rerum, quæ abhinc, quam eas provincias deseruerat, gestæ essent, inscientiam causatus, nihil omnino ab se, quod ad cæsaris postulata faceret, responderi posse, in hæc verba, sed aliquanto, quam Fridericus optabat, serius rescripsit: (1) singula, quæ sibi ab imperatoris oratoribus objecta essent, convellens.

Cæsar pontificem consulit, an oblatum Hungariæ regnum accipi oportere existimet.

Charissime in Christo fili, salutem & apostolicam benedictionem.

„ Cum proximo mense Februarii iter nostrum ad diætam Mantuanam prosequeremur, & jam Spoleti essemus, redditæ nobis sunt litteræ Serenitatis tuæ, quibus nobis significabas, per nonnullos ex regni Hungariæ baronibus tractari, ut ad id regnum in regem eligereris: consulebas etiam nos, quid in ea re judicii, ac sententiæ nostræ esset. Ad quod respondemus, nos rerum particularium nullam penitus notitiam habere, ac propterea, ut prorsus ejus rei ignari, nullum rectum judicium, aut consilium tribuere valentes, plurimum in summa tua prudentia confidere, prout in aliis rebus semper prudentissime se gessit Serenitas tua, ita etiam in hoc bonam caperet deliberationem. Cum deinde Senis essemus, venit ad nos dilectus filius Senftleben, familiaris noster, qui etiam nobis retulit de practicis, & tractatibus pendentibus. Venerunt post eum oratores Mathiæ, qui se pro rege Hungariæ gerit, ad præstandum nobis, & sedis apostolicæ, ut ceteri reges, & principes catholici faciunt, debitam reverentiam & obedientiam, quos nos ut regis oratores audivimus, & recepimus, neque enim aliter salva honestate nostra, & honore sedis apostolicæ poteramus, quem - - in regni, & in regii nominis possessione reperimus, & felicis memoriæ prædecessor noster Callistus illum regem appellavit, & nos etiam in primordiis apostolatus nostri regem eum nuncupavimus. Non ergo aut juste, aut honeste poteramus eum regio nomine spoliare, in ejus possessione repertum, nec in præsentiarum possumus, præsertim nulla præcedente causæ

Ambiguum papæ responsum.

(1) Ex eodem cod. Ms. fol. 29.

Annus Christi 1459.

„ causæ cognitione. Et quia de electione tuæ Serenitatis ad id regnum, & ejus acceptatione non solum non eramus facti certiores, sed animo magis credebamus effectum nullum secuturum, prout plerumque in hujusmodi magnis rebus evenit, eo maxime, quod intrinseca & arcana eorum, quæ tractabantur, nobis incognita erant; unde dilectis filiis oratoribus Celsitudinis tuæ, qui vix ad nos venerunt, de hujusmodi re etiam conquestis respondimus, caussas designantes, quæ nos ad id moverunt. Neque enim ullo pacto existimare debet Serenitas tua, quemquam esse, cujus & dignitatem & honorem tuo anteferamus. Cum enim exigentibus maximis meritis tuis ad id magnopere cogamur, tum propter plurima in nos, dum in minoribus ageremus, beneficia collata, cum etiam, quod optimus catholicus, & sedis apostolicæ observantissimus semper fuisti: Et quia ad pontificem spectat, imperatori tanquam alteri mundi lumini in omnibus fautorem esse. Hortamur itaque Serenitatem tuam in domino, ut omne adversum, si quod forte in mente conceperas, ab ea removeas, ac putes, nos honori tuo nunquam defuturos. Et quia ex verbis oratorum tuorum suspicamur, ne oratores Mathiæ prædicti, forte gloriantes se multa a nobis impetrasse, dicant: notum facimus Serenitati tuæ id falsum esse: petiverunt enim a nobis ensem, quem denegavimus. & vexillum petentibus denegatum est: hoc solum impetrarunt, quod nullo modo honeste negari poterat, ut scriberemus dilecto filio cardinali sancti Angeli apostolicæ sedis legato, ut agente Mathia in expeditione contra Turcos, arceret censuris ecclesiasticis eos, qui hujusmodi expeditionem impedirent, & quod, si opus esset, remaneret idem cardinalis in regno. Hoc tantum obtinuit Mathias, nobis de electione, & acceptione tua nihil scientibus; nec de Serenitate tua in his ulla mentio habita est. Nec debet Serenitas tua dubitare, nos pro digitate, honore, auctoritate, & statu Serenitatis tuæ, & sacri imperii semper ad omnes favores promtum animum habituros. Datum Senis XIII. calendas Aprilis, anno primo. „

Mathiæ vexillum adversus Turcos a Pio mittitur.

Subveritum nonnihil pontificem fuisse, ne si Mathiæ aperte studeret, cæsar offendi videretur, satis, ut opinor, ex iis, quas memoravimus, litteris constat: at non multo post, quam pulcherrimos adversum Turcos ab eo apparatus fieri intellexisset, quo in regem esset animo, manifestis indiciis declaravit. Vexillum enim magnum id temporis ornamentum, quod Mathiæ oratoribus ab se negatum cæsari prius significaverat, legato transmisit, utque id regi suo nomine traderet, imperavit. (1) *Dilecte fili! audientes charissimum in Christo filium nostrum, Mathiam regem Hungariæ illustrem, exercitum Christi fidelium magno studio indies parare, ut Turcis, quos fama est, ingentibus copiis ventura æstate in regnum Hungariæ irrupturos, quantum in eo erit, resistat; æquum putavimus huic sancto proposito suo, quantum possumus, auctoritatis adjicere, & signum aliquod in acie esse, in quod intuentes, auspicio sanctæ Romanæ ecclesiæ bellum hoc geri, & constantius discrimina subeunda sibi existiment. Mittimus itaque per præsentem nuncium tuæ circumspectioni vexillum ante dictæ ecclesiæ, sacris consuetis a nobis benedictum, volentes, atque mandantes, ut si totis regni viribus exercitum ipsum contra infideles, ut profertur, parari contingat, illud ad laudem omnipotentis Dei & confusionem persequentium nomen sanctum suum, vel circumspectio tua erigat, vel regi in hoc tantum opus erigendum consignes; sicut nostro, & apostolicæ sedis honori tuæ sapientiæ videbitur expedire; solito studio efficiens, ut quæcunque per nos, & sedem prædictam in adjumentum, & protectionem gregis nobis commissi effici possunt, prætermissa non videantur. Datum Senis II. Aprilis anno primo.*

Cæsar a factiosis rex Hungariæ eligitur, & coronatur.

Sed apparatus hos præter omnium expectationem Mathias in cæsarem convertere opus habuit. Fridericus enim prius, responsum quam a pontifice venisset, regnum Hungariæ a factiosis oblatum accepit, ac sacra regni corona, quam ab Elisabethæ temporibus in potestate habuit, inaugurari se passus est. Coronationi se interfuisse Nicolaus Langmanus Friderici sacellanus testatur, qui cæ

farem

(1) Ex eodem cod. Ms. fol. 26.

Annus Christi 1459.

sarem eo die, quo canitur *lætare Jerusalem*, ut ante septennium Romæ diademate imperii insignitus erat, ita eodem die Neostadii Hungariæ corona ornatum fuisse perhibet. (1) De electione autem, quæ prius ad XIV. calendas Martias facta sit, exstant litteræ *Ladislai Gara, Palatini Hungariæ, aliorumque procerum ejusdem regni, quibus Fridericum Romanorum imperatorem, & ducem Austriæ, ab ipsis in regem suum electum esse, eidemque omne auxilium, & assistentiam promittunt. Datum in Wyvár sabbato post festum sancti Valentini MCCCCLIX.* (2) Quam rem aut ignorasse Bonsinium aut dedita opera dissimulasse oportuit. Ceterum nemini dubium erat, quin ex æmulatione regni necessarium fere jam inter cæsarem, & Mathiam bellum futurum esset, cumque id pontifex vehementer metueret, ne uterque collatis inter se armis rem christianam eo tempore, quo de bello in barbaros decernendo transigebatur, affligeret, legato in mandatis dedit, ut potestate, quam illi prius adversum regis æmulos impertivisset, beneficiorum caussa, quæ ab cæsare olim acceperat, ne uteretur, sed operam daret, ut eousque inducias inter utrumque conciliaret, quoad metus belli a barbaris inferendi penitus defuisset. *Cum ex litteris tuis nuperrime*, inquit, *plane noscamus, charissimum in Christo filium nostrum, Fridericum Romanorum imperatorem a proceribus regni Hungariæ regem eorum esse electum, Serenitatemque suam, ipsam electionem solenniter acceptasse; nolentes propterea grave aliquod scandalum nobis & Apostolicæ sedi suscitari, quamquam certissimi simus, etiam sine admonitione nostra te omnia, sicut semper es solitus, cum maturitate & sapienti consilio facturum fuisse, volumus tamen, & eidem circumspectioni tuæ per præsentes mandamus, ut contra imperatorem præfatum, complicesque ejus & sequaces, nullo pacto litteris eisdem utaris. Memores enim beneficiorum, quæ & in sedem prædictam, & in nos quoque sua celsitudo, te teste, sedulo contulit, æquum putavimus, ut in re, quæ nondum est cognita, & in qua justitiam sibi esse unaquæque pars putat, nihil cum injuria innovemus. Optamus tamen, & volumus, ut auctoritate nostra cum imperatore, & rege prædictis te interponas, omni possibili studio curans, ut a via facti desistant, & ad minus per totam hanc venturam æstatem inter se trengas faciant, atque observent, ne ambobus bello implicatis, major opportunitas ad prosequendos conatus suos Turcis præstetur. Datum Senis XIV. Aprilis, anno primo.* (3)

Tentatis frustra inter æmulos inducias.

Cum hæc legatus apud Mathiam diligenter, ut jussus erat, agit, rex parum præsidii in pontifice sibi ad depellendum æmulum esse conspicatus, bellum ex suorum consilio in cæsarem decrevit: cui ex sententia conficiendo tanto acriores curæ adhibitæ, quanto certioribus indies nunciis Nicolaum Uylakium, & Sigismundum sancti Georgii comitem habito militum delectu Friderico suppetias afferre, & hostem provincia castri ferrei populatione vastata ad Körmendinum castra metari, allatum fuit. Summa belli Simoni Nagyio, quem germani scriptores detorto in latium vocabulo magnum appellant, mandata est. Is coactis sub signa equitibus cum prope oppidum, quod cæsariani tenebant, appropinquasset, non explorato hostium numero celeritate usus, & improviso adventu obrui posse ratus, in ea loca devenit, ubi aut cum periculo pugnandum, aut non sine flagitio fugiendum esset. Itaque statuit, quamquam iniquiorem sibi, quam hosti pugnæ locum videret, numeroque præterea inferior esset, prælio decernere: neque hostis pugnam detrectabat. In sinistro cornu Sigismundus sancti Georgii comes, in dextro Nicolaus Uylakius cum suis Hungaris curabant: medium agmen ex germanis, quibus Graveneggerum cæsar præfecit, conflatum erat. Magnis utrinque animis in prælium itur, neque minus pro gloria, quam pro salute dimicatur. Jamque dextrum Simonis cornu, quod Nicolaus Rozgonius ductabat, facto in Sigismundum impetu, inclinataque ejus ala, nostris spem ad obtinendam victoriam fecerat, cum Uylakius, cognito socii periculo, germa-

Mathias bellum in cæsarem movet.

Conserto fortiter prælio.

(1) De Roo Hist. Aust. lib. VI. August. (3) Ex eodem cod. MS. fol. 29.
(2) In Tabulario. domus.

Annus Christi 1459.

Hungari vincuntur.

manos gravis armaturæ equites laboranti adduxerat: quorum ope cum Rozgonium concitatius, quam par erat, hosti incumbentem ab ceteris avulsisset, & eadem opera ab latere circumfunderetur, Simon desperata re receptui cecinit, equitatum ab tergo hostibus objiciens, quo persequentium impetus moraretur, suosque ab effusa fuga tutos redderet. Multi ex Hungaris viri fortes eo prælio desiderati sunt: quo pauciores tamen in fuga cæderentur, & Simonis virtus præstitit, & Nicolai, Sigismundique cessatione effectum est, qui, quod eam victoriam non sibi, sed Friderico partam intelligerent, ne in Hungaricum sanguinem a Germanis sæviretur, suos dedita opera a persequendis fugitivis continuerunt. (1)

Mathias ab infelici prælio ad artes conversus, factiosos ab Friderici partibus abstrahit.

Id cum cæsari a profligatis hostibus Graveneggerus prodidisset, neque enim ita clam ea res geri potuit, quin aliquo ad germanos indicio perlata esset, Fridericus, ut alioquin vigili in omnibus erat animo, non ea, qua prius, familiaritate cum utroque agere, ac, ut in proverbio est, proditionem amare quidem, proditores odisse cœpit. Id ad salutem utriusque postea permultum contulit. Mathias enim, ubi, quid ageretur, comperit, ab artibus, quoniam arma male ex sententia primum ceciderant, auxilium sumsit, conjuratorumque animos, submissis clam amicis, qui eos periculi metu, civilisque belli execratione ab impio conatu revocarent, ad suas partes pellicere conatus est. Nuncii faciles apud factiosos nacti aures, præsertim quod cæsaris in se studia frigere persentiscerent, promissa seditionis impunitate, objectaque Nicolao Uylakio regni Bosnensis spe, facile utrumque illo adduxerant, ut dicto rursum fidei sacramento se regi conciliarent. Acceptis in gratiam Mathias callido usus consilio, omnem deinceps turbandæ reipublicæ occasionem ademit. Nam Uylakium, quem dignitatis æmulatione, regnique ambitu ad Fridericum secessisse constabat, primæ in aula admissionis principem creaverat, non tam honoris causa, quam ut omnium oculis, quidvis gereret, notaretur: Sigismundum sancti Georgii comitem, qui locorum propinquitate fisus, crebro cum Australibus agebat, in superiorem Hungariam traduxit, & magistri equitum prærogativa ornavit; hujusque fratri Joanni Transilvaniæ administrationem commisit. (2)

Rursumque copias cæsari opponit.

Reductis ad obsequium factiosis, rex, partim ut cladem superiore prælio acceptam sarciret, partim ut fidem eorum, qui sibi sacramentum paulo ante dixissent, periclitaretur, instauratis copiis rursum Friderico bellum indixit, eique præter Simonem Nagyium, Sigismundum quoque sancti Georgii comitem præfecit. Hic, ut seditionis notam, qua se prius inquinarat, præclaro facinora deleret, collecto exercitu itinerum ambagibus usus, hosti prius ingruit, quam is in ordines coactus aciem posset struere. Itaque tempus, & cæsarianorum incuriam occupans, Simonem, a fronte aggressionem ut moliretur, rogat, ipse castra curribus præmunita, cum equitatus parte circumvectus, ab tergo prælium fortissime init. Comprehensi in medio cæsarei, quamquam in principio magna vi resisterent, circumventi tamen, &, quam in partem sese verterent, incerti, abjectis armis fugam capessunt. Multi ab insequentibus, & superiori clade ferocibus cæsi, castra cum impedimentis in nostrorum potestatem pervenere.

Et victoria potitur.

Itaque Fridericus ab induciis, aut pace non abhorret.

Rex suorum victoria mirifice lætus, tametsi ad persequendum ex tam felicibus auspiciis bellum ab suis vehementer incitaretur, tamen, quod & metus a Turcis haud inanis esset, & coronam regni cæsar in potestate haberet, maluit Friderici animum fœderibus quam armis pertentare. Quare rursum nova legatione imperatorem ad meliora consilia flectere connisus est. Legationis caput, idem, qui antea, Varadiensis episcopus moderato ac levi sermone, ut in mandatis habebat, cæsarem aggressus, regis nomine orabat, ut positis inimicitiis, Mathiam in filii loco haberet, pacem sanciret, communeque in Turcos bellum cum Hungaris decerneret: nihil orbi christiano acceptius, regnoque Hungariæ magis gra-

tum,

(4) De Roo Hist. Aust. lib. VI. & codex Mſ. hist. prof. in Bibli. Palatina Vien. num. 341.

(2) Ibid.

tum, & suo nomine dignius facturum, quam si conciliatis fœderibus, reddita que corona pacati regni laus penes eum esset. Cæsar, quem ex nupernæ cladis fama satietas belli jam cœperat, pacis, quam speratum fit, cupidibr, acceptis comiter legatis, non modo libenter se fœdera pacturum, sed communibus quoque viribus in barbaros acturum promittit, si modo æquas in medium conditiones proponeret, quibus pax confieri posset. Regni coronam non ingratiis Mathiæ se restiturum, ubi pignorum rationes ad liquidum illustratæ essent: multa se illius causa perpessum fuisse; obsessum Neostadii, citeriorem Stiriam cum Austria ab regis patre inclementer propterea vastatam, pagos, oppidaque flammis corrupta, provincias pulcherrimas fœdo squalore deformatas, insanos præterea sumtus in Ladislaum, cum apud se educaretur, factos: quæ si rex compensaret, non se solum bello temperaturum, sed faciles etiam ad fœdera animos allaturum esse. Legati accepto cæsaris responso diu de conditionibus, sed frustra inter se egere, quoad cardinalis sancti Angeli rem ita temperasset, ut de induciis utrinque eo usque condiceretur, donec de corona pretio redimenda, & restituendis sumtibus, ad regem, regnique ordines referretur. De usurpato ab cæsare regis Hungariæ titulo, de industria nihil memoratum, ne invidiosum litigium inducias utrique parti necessarias alieno prorsus tempore interciperet. Tam salutare in conciliandis partibus legati studium pontifex merito collaudavit, utque ab eo deinceps nihil remitteret, in hæc verba adhortatus est. (1)

Annus Christi 1459.

Accepimus litteras tuæ circumspectionis, & copias in eis inclusas: intelleximus quoque, quæ per charissimum in Christo filium nostrum, Mathiam Hungariæ regem illustrem scribuntur. Laudamus inprimis summam diligentiam, quam per te adhiberi cognoscimus in componendis dissensionibus cæsareæ serenitatis, & regis prædicti; hortamurque, ut, quamquam ad studium tuum nihil addi possit, in incæpto opere perseveres, & quod boni potes, sedulo efficias, nilque prætermittas, quod præsenti temporum conditioni optimum esse cognoveris. Quamquam autem ea semper sapientia in tuis omnibus actionibus fueris, ut, quid sedem apostolicam, quid te etiam deceat, acutissime videris, nihilominus, quia ut novit circumspectio tua, judicium super contentionibus regni Hungariæ nostrum est, & ad nos illarum cognitio pertinet, danda tibi & nobis est opera, ne in facto dicto, ullo videamur affectu, non ratione in hanc magis, quam illam partem inclinati: quod a te in omnibus tractatibus observatum iri non dubitamus. Deinde veniam ei impertitur, ut regis gratia ad Mantuanum conventum adire possit, quod permulta, quæ ad causæ cognitionem attinebant, se ex eo intellecturum speraret. Datum Mantuæ II. Junii anno primo:

Legati apostolici ad eam conciliandam opera.

Erant res in Mantuano conventu sic satis pacatæ, quod non modo cæsaris, sed regum quoque Castellæ, Hungariæ, Portugaliæ, Bohemiæ, tum Burgundiæ, Austriæque ducum, ac marchionum Brandenburgensium legati, miro consensu ad bellum Turcis communiter indicendum propenderent, quorum animus pontifex in dies magis accendebat spe subsidiorum, quæ ex Asia affutura essent. Nam & ipse circiter exitum anni præteriti ad Asiaticos principes litteras dedit, quibus futurum Mantuæ conventum, caussasque conventus significabat, & Philippus Burgundia dux missis præterea legatis ad Trapezunti imperatorem, fœdera, societatemque belli obtulit, id inprimis agens, ut cum Europæi principes ex mediterranea parte barbaros aggrederentur, Asiatici maritimo bello hostes in partem distraherent. Non frustraneam fuisse operam haud multo post patuit, cum litteræ ex Asia ad Mantuanum conventum afferrentur, quibus Trapezunti imperator Burgundiæ duci, icta cum finitimis principibus fœdera, tum quanto numero in communem hostem moturi essent, perscribit, simulque hortatur, ut Europæi, quas fecissent, destinationes opere ipso explerent. Litterarum hic tenor est. (2)

Bellum adversus barbaros in Mantuano conventu decernitur.

(1) Ex cod. laudato Ms. Vatic. fol. 41. (2) Inter epist. ÆNEÆ SYLVII 377.

Annus Christi 1459.

Illustrissime Dux Burgundiæ:

Promissis ex Asia principum orientalium suppetiis.

Ego David Imperator Trapezundarum, post plurimam salutem, libenter ad te scribo de his, quæ hic apud nos occurrunt, ut cum certior factus pro tua religione, & amore erga fidem nostram possis deliberare, quid tibi agendum sit. Nuper enim ego, & reliqui christiani principes, qui in istis sumus regionibus, fœdus, atque ligam inivimus inter nos, bellum gerendi contra Turcos, & ego filiam Calojaannis, fratris, & prædecessoris mei, uxorem dedi Asambeg, qui filius fuit Carailuch, potentissimi principis, & hoc feci, ut ipse firmus sit, & fidelis in liga, quam nobiscum fecit, & ut perseveret in bello gerendo contra Turcum, qui tenet Constantinopolim; cum quo bellum jam gerere incepit, multasque illi regiones, & oppida pugnando cœpit, quæ prope confinia sua erant, nunc vero reversus est in patriam suam. Itaque nos, & ipsi, parati sumus, & exspectamus adventum vestrum contra infideles, quemadmodum Dominus papa ad nos scripsit, & per suum oratorem nobis significavit, quod vos Latini principes debeatis inire concilium in civitate Mantuana, ut faceretis exercitum contra infideles, quod si facietis, nos parati sumus: Ego cum triginta biremibus, & cum viginti millibus hominum. Asambeg promtus est exire ad bellum istud cum quinquaginta millibus hominum, ad bellandam & subigendam Brusiam, & Anatoliam. Quapropter rogo illuminatissimam dominationum tuam, ut placeat tibi dare aliquod principium huic bello ex partibus Hungariæ: nam si vos aliquod impedimentum, etiam parvum, Turco inferetis, ut ipse ad diversas partes distrahatur, nos adeo ipsum urgebimus ex latere nostro, ut facile destrui & debellari possit. Et si dominatio tua deliberat ad hoc intendere, & venire, & aliquem tuorum mittere, nos omnes Orientales principes promittimus tibi, præstare omne auxilium, opem, & quidquid in nobis erit ad recuperandam Jerusalem, & te illius regem constituemus! & ut scias, qui simus, qui confœderati sumus, & hoc tibi promittimus.

Ego in primis, qui paratus sum, ut dixi, cum triginta biremibus, & viginti millibus hominum: Georgius rex Persarum promtus est cum quadraginta millibus hominum: Gorgora dux Georgianæ paratus est cum viginti millibus equitum: Lendia rex Mingreliæ cum suo filio promtus est cum sexaginta millibus hominum, quod illi facile erit: Rabia cum suo fratre & suis baronibus cum triginta millibus hominum: natio Gichorum & Aranorum promittunt militare sub vexillo regis Persarum: Pedebeg, Dominus Armeniæ minoris cum decem millibus hominum: Asambeg affinis meus, ut dixi, infidelis promisit nobis dare transitum, & personaliter venire cum quinquaginta millibus hominum. Sunt etiam nobiscum confœderati duo alii infideles domini, Caramanus, & dominus Sinopi, qui continuo quærunt, quomodo possint se vindicare de Turco Constantinopolitano, & terras suas recuperare. Aliud in præsentiarum ad dominationem tuam non scribo, nisi quod commendo tibi Michaelem de Algeori baronem, & oratorem meum, quem ad te mitto, cui fidem plenam super istis rebus adhibeas, qui verbis omnem intentionem, & deliberationem nostram exponet. Iterum te oro, ut non permittas hoc nostrum pium negotium, & inceptum frustra fieri, quoniam a Deo factum credimus. Ego ex illo tempore, quo amicitiam contraxi cum hominibus tuis, qui ad has partes pervenerunt, semper mihi agnitus es, tuique honoris, & dignitatis fautor semper fui, eroque. Vale in Christo. Datum Trapezunda in palatio nostræ residentiæ anno Domini MCCCCLIX. die XXII. Aprilis.

In eandem sententiam, sed aliquando serius, & Persarum rex, & Georgianorum dux scripsere; ut adeo spes pulcherrima profligandi penitus barbari oblata videretur, nisi intempestivo unius hominis ambitu, quemadmodum narrabimus, intercepta fuisset.

Hungari in Giscræ socios movent, ac secunda fortuna bellum gerunt.

Confecto utcunque adversus cæsarem bello, aliud in Bohemos obortum est. Præter Giscram enim, Telephum, & Aximithum, quorum alias memineramus, rursum duo ex silvarum latibulis eruperant, qui a latrociniis famam & socios sibi quæsivere: uni Comorskio, alteri Valgatha nomen fuisse comperio. Hi brevi tempore collecta facinorosorum manu, cum alii ad Cassoviam interea,

&

& in Scepusio per vim rerum potiuntur, ad Agriam in finitimis montibus sedem latrociniorum defixerant; unde factis crebro incursionibus totam late viciniam flamma, ferroque fœdissime vastabant. In hos Sebastianus Rozgonius movere jussus, fratrem Ladislaum Agriensem episcopum sibi socium adscivit, brevique eam colluviem, quæ ex septingentis conflata erat, in silvis nactus, internecione delet, ducentis & quinquaginta captis, inter quos Valgatha quoque facinorosorum dux alter fuit, Comorskius enim cum paucissimis prius fuga evaserat. Re feliciter patrata ingens ex rure colonorum multitudo sub signa confluxit, cruce signati omnes, quasi sacrum adversus fidei hostes bellum decretum esset. His copiis auctior Rozgonius Cassoviam promovit, ubi Blasius Magyarus Bohemos Myslæ inclusos acriter observabat. Conjunctis viribus facile id latibulum expugnatum, & quadringenti, qui locum tuebantur, ad unum omnes cæsi. Inde Sarospatakinum castra traducta, ubi Telephus cum Aximitho militiæ delectum, ut laborantibus sociis succurreret, habere ferebatur. Nostri celeritate usi, cum Bohemorum duo millia, pugnæque imparata ad oppidum ex improviso offendissent, citra moram prælium auspicati, hostem primo dimicationis impetu ita perturbant, ut sexcentis cæsis, inter quos Aximithus erat, ducentis vero captis, reliquos cum Telepho in fugam egerint, quos rustici undique coorti maximam partem per saltus, & silvarum latibula errantes delevere. Atque ita sopitum magis, quam exstinctum in Bohemos bellum fuit. Annus Christi 1459.

Per idem tempus cardinalis sancti Angeli, qui a conciliatis induciis Neostadii apud Fridericum agebat, eo rem jam adduxerat, ut cæsar cum Mathia de celebrando inter se conventu stipularentur, in quo controversiæ capita complanarent; cum repente omnis amicitiæ tractatio ob Barbarorum in Hungariam irruptionem discussa est. In causa Stephanus Bosniæ rex, Hungariæ clientelaris fuit; qui icto cum Mathia fœdere, si Senderovia filio suo defendenda tribueretur, Turcorum se impetum ab Hungaria aversurum pollicitus est. Sed homo vafer, atque lucri cupidus, evocatis clam barbaris urbem cum arce, magnam auri summam pactus, vendidit, Hungarosque ea perfidia haud parvo discrimini objecit, quod locus is sive ad tuendam, seu impugnandam Valachiam perquam opportunus esset. Inde trajecto Istro percursaque isthic finitima provincia celerius rursum reversi sunt, quam suppetiæ a nostris adessent. *Induciarum spem motus a barbaris incussus dissipat.*

Pontifex cognito periculo, Mathiæ causa maxime solicitus, legatum suum admonuit, ut finitimos Hungariæ populos ad ferendam opem proposita amplissima pœnarum relaxatione conciret, neve quidquam diligentiæ prætermitteret, quo regno, cui periculum præsentissimum immineret, quantocius succurreretur. (1) - - *Ut eo*, scribit, *facilius Christi fideles ad defensionem catholicæ fidei inclinentur, quo se, suosque viderint munere spirituali donatos, circumspectioni tuæ, omnibus & singulis ad sanctam contra Turcos expeditionem euntibus, si alicujus expensis proficiscantur, pro se, & eorum uxoribus tantum, si propriis, etiam pro patribus, & matribus, prout ipsi euntes elegerint, plenariam indulgentiam a felicis recordationis Nicolao V. & Callisto III. Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, pro hoc opere dudum concessam, libere concedendi, nec non spatium sex mensium, quod indulgentiam hujusmodi assecuturi in ipsa expeditione permanere habebant, prout tibi juxta temporum conditionem & ingruentem necessitatem videbitur, abbreviandi; illis quoque, qui personaliter proficisci non valentes, bellatorem unum suis, ut præmittitur, expensis transmiserint, similem indulgentiam dandi, ac alia, quæ tibi in præmissis necessaria fuerint visa, seu etiam optima, faciendi, & exequendi plenam, & liberam auctoritate apostolica, tenore præsentium facultatem concedimus, ac potestatem: litteris prædecessorum eorundem, & aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Mantuæ III. Idus Junii anno primo.* Simul mandavit, imperatorem adiret, oraretque, ut, cum primum copias amore belli Turcis inferendi accensas coegisset, sibi eas secundo Danubio Belgradum deducendi bona illius venia, & impune liceret. Eam ob causam ipse quoque ad Fridericum in hæc verba *Pontificis properea solicitudo, ac cura.*

(1) Ex cod. Mss. Vatic. laud. fol. 46.

Annus Christi 1459 ba scripsit: *Charissime in Christo fili! si propter repentinum adventum Turcorum, quem te jam intellexisse putamus, & multorum litteræ nobis testantur, opus esset dilecto filio nostro, Joanni cardinali sancti Angeli, apostolicæ sedis legato, naves ex vicinia deducere, quæ per Danubium directæ subsidium necessarium ad Nandoralbam ministrent, Serenitatem tuam in Domino, & pro Deo requirimus, ut, quocunque alio respectu sepofito, pro adjumento tam necessarii operis, benigne, ac clementer illas duci & transire permittas; nec causam des, ut si quid, quod Deus avertat, sinistri eveniat, Celsitudini tuæ possit merito imputari. Facies in hoc rem tibi laudabilem, & nobis magnopere gratam, pro qua etiam ipsum legatum nostrum apud te instaturum non dubitamus.* (1)

Rex, quamquam metus inanis erat, armorum tamen studio incumbit. Sed jactura, quæ a barbaris hoc quidem anno timebatur, intra metum duntaxat, & paucorum dierum incursionem constitit, sive re ipsa opponi copias sibi ab Hungaris crederent, nam ad Belgradum eum in finem aliquot semper legiones excubabant, seu damnis ab Asambego trans Hellespontum acceptis suapte revocarentur. Mathias tamen cognita Bosnensium inconstantia, tanto majorem in futuros eventus apparatum fieri imperavit, quanto minus periculi conciliatis cum Friderico induciis, tametsi nec ipsæ quidem satis stabiles essent, ab externo hoste metuendum haberet. Cujus studia dum legatus pontifici cum ingenti laudis testificatione perscriberet, ipse quoque regem, ut in eo constans maneret, per litteras sibi cohortandum sumsit, impense collaudans, quod Dei, suamque causam non desereret. (2)

Pius Papa II. Mathiæ regi Hungariæ illustri.

Confirmatur in eo a pontifice. „ Charissime in Christo fili! testis est Deus, quanto dolore nos conturbarunt, quæ inter Serenitatem tuam, & celsitudinem imperialem proxime evenerunt: testes etiam, qui nos de hac re audierunt loquentes. Certe ex illo tempore nulla fuit nobis hora jucunda, vidimus continuo, quantum impedimentum ad executionem pii desiderii nostri esset oppositum, quantaque facilitas per hunc modum daretur adversus religionem christianam: simul doluimus non esse sublatam hujuscemodi controversiam, & utinam in hoc articulo temporis, in quo conatus omnes nostros ad causam fidei christianæ attulimus, posset sedari. Innotuerat nobis egregia voluntas tua ad sanctam hanc expeditionem, & quotidianis litteris legati apud te nostri significati erant continui apparatus, ad quos te fortiter accingebas. Non igitur his supervenientibus malis tu magis doles, quam nos doleamus, neque omnis vestra dissensio minus flenda est nobis, quam tibi: in eadem ambo sumus mentis, & animi anxietate, teque, licet absentem, cogitatione continua comitamur, Deum orantes, ut fortem tibi animum præbeat, & contra hostes nominis sui manum misericorditer porrigat. Quamvis charissime fili! hæc ita evenerint, unoque tempore tot te difficultates circumstent, nolit tamen mens tua deficere, aut murum istum totius christianitatis deserere, quo cadente ad miserabilem ruinam dominici gregis pateat aditus. Si, ut in Domino confidimus, perferre hac sola æstate has ingruentes molestias poteris, speramus venturo anno non defutura Serenitati tuæ debita adjumenta: nos enim hac una ex causa hic sumus, & non desinimus dies, ac noctes, cogitatus omnes nostros, atque consilia ad hunc cursum dirigere, personæ, & rerum nostrarum nullam rationem habentes. Multis jam ex locis oratores ad nos convenire cœperunt, & brevi plures affuturos certum habemus, cum quibus pro subventione fidelium totis conatibus nostris agetur. Quod si tales nostræ, & sanctæ Romanæ ecclesiæ vires essent, quæ tanto oneri sufficere per se possent, sentires tu primus charissime fili animum nostrum, nec tantam moram interponi oporteret: verum cum omnium rerum egeni, præter voluntatem egregiam, parum ad hoc opus possimus afferre, cogimur principes catholicos nostris precibus fatiga-

(1) Ibid. fol. 45.

(2) Ibid. fol. eodem.

„ tigare, quibus alias libentissime parceremus. Honor tuus regius, & salus re-
„ gni, quod regis, cum memoria paterna, quæ etiam exemplo suo fidelibus
„ prodest, Serenitatem tuam ad fortiter, & gloriose agendum invitent. Re-
„ demtor quoque noster JEsus Christus, in cujus manu sunt corda regum, ocu-
„ lo misericordiæ te hoc tempore aspiciat, & gratiam largiatur, ut ad gloriam
„ nominis sui sancti victoriam de impia Turcorum gente capias. Nos etiam
„ charissime fili, tibi, ut charitatis & devotionis nostræ filio, toto corde no-
„ stro benedicimus. Datum Mantuæ VI. Julii.

Annus Christi 1459.

Ne tamen nihil operæ ad tam laudabile regis studium conjungere videretur, litem, quæ inter Mathiam, & cæsarem regni causa nondum exstincta erat, suo judicio dirimendam accepit, præsertim, quod ex legato suo & regni optimatibus intellexerat, novos ab Hungaria oratores cum novis mandatis affuturos, qui causæ illius cognitionem ad se delaturi essent. Itaque ut Fridericum multo antea tractabiliorem redderet, litteris eum convenit, quibus, ne legatos quoque, qui Hungaris oratoribus ad objecta respondere possint, mittere gravaretur, vehementer orat, ceteris, quæ proponenda in conventu haberet, ad meliora tempora rejectis. (1)

Qui utrumque æmulum conciliare studet

Charissime in Christo fili! salutem, & apostolicam benedictionem.

Propter nostram summam ergà te affectionem cogimur charissime fili! ea tibi commemorare, quæ honori Celsitudinis tuæ pro tempore conducere arbitramur, rogantes, ut in hanc partem semper scripta nostra accipias, neque de intentione pia aliter ullo modo existimes. Affuturi propediem Mantuæ sunt, sicut ex litteris eorum accepimus, oratores regni Hungariæ, afferentes non solum mandata ad ea tractanda, de quibus in hoc conventu agetur, sed apertam etiam, ut nos credimus, contra tuam Serenitatem querelam. Etsi igitur sperare firmissime potes, ubicunque nos erimus, futuros, qui tuam exstimationem perinde, ut suam, in oculis habeant, quique offensionem omnem imperialis nominis communem sibi existiment, tamen cum personam publicam ex pastorali officio teneamus, & in tanta diversitate opinionum, patris, & judicis, non defensoris, aut accusatoris partes servare nos deceat, non videmus, quo pacto sine reprehensione hominum in te defendendo satisfacere animo nostro possimus. Et ideo, ut sint, qui rem tuam aperte agere, & impugnatoribus ex pari valeant respondere, consentaneum honori tuo judicaremus, ut, quando personaliter adesse non potes, oratores tuos, a nobis sæpius flagitatos, celeriter mitteres, ne illis hic non comparentibus, te ipsum apud sedem apostolicam tacito quodam judicio videaris damnare. Quoniam vero plures ex Italia, atque aliis locis ad nos convenire cœperint, possent etiam iidem oratores tractatibus fidei nomine tuo interesse, cum neque suscepta regni Hungariæ causa, neque ulla alia difficultas excusare te possit, quo minus in reliquorum conventu, ubi personam tuam in primis esse oporteret, oratores tui appareant. Hoc autem quanto celerius Serenitas tua faciet, tanto etiam communi bono, & dignitati propriæ melius consulet. In negotio autem ducatus Mediolanensis deliberare alias tuo arbitrio poteris, neque ad id te præter voluntatem tuam impellimus. - - - - Hoc solum in præsentiarum requirimus, ut regni Hungariæ, & totius christianitatis causam in præsenti diæta non deseras, neque obloquendi & detrahendi materiam malignantibus præstes; nos etiam consolari velis, qui ab initio pro certo tenentes venturum te esse, & propterea incommoda omnia nostra rerum, & personæ leviora ducentes, acerbissimum haberemus, ad minus eos visos non esse, qui præsentiam tuam digne referrent. Hoc te pro Deo, & sancto consortio nostro, quo ambo in fide conjungimur, etiam atque etiam obsecramus. Datum Mantuæ VI. Julii.

Scriptis eam ob causam ad cæsarem litteris.

Cur alios ab Friderico oratores pontifex mitti peteret, cum jam antea Brochardum Salisburgensem præpositum, cum Hinderbrachio & Arthongo de Capel in Italiam cæsar legarit, non intelligo: nisi hi fortasse, oborto cum Hungaris

A quo novos mitti ad conventum legatos petit.

(1) Ibid fol. 51.

Annus Christi 1459.

garis oratoribus jurgio, quod Mathiam pontifex Hungariæ regem appellarat, ut Gobelinus refert, (1) conventui interesse detrectarint. Quamobrem a vero aberravit Spondanus, qui Hungarorum oratores, cum imperatorem affectati regni postulassent, frigide a papa rejectos fuisse memorat.

Cæsar tamen per se se mavult litem cum Mathia componere.

Veri tamen est simillimum, cæsarem maluisse per arbitros, qui finitimi essent, controversiam omnem dirimi, quam exteris, quos parum æquos sibi futuros credebat, litis, quæ sibi cum Mathia intercesserat, cognitionem credere. Nec legatus apostolicus ab eo consilio abhorruit, qui ea de causa ultro, citroque ex Hungaria in Austriam crebro commeabat, Piumque edocuerat, quamquam conventus nuper, de quo inter cæsarem & Hungariæ regem jam condictum erat, metu barbarorum dissolutus esset, spem tamen conciliationis bonam videri, quam primum ii, quos Fridericus conventui itidem vellet interesse, ad præstitutum locum convenissent. Pontifex cui perinde erat, Mantuæne, an alibi partes componerentur, ratas legati destinationes habuit, ac episcopum Lucanum ad cæsarem misit, qui pacato ejus animo, legati operam adjutum iret. Neve ea re cardinalis quidquam suo honori derogari existimaret, nihil episcopum, nisi ex arbitratu legati, & quemadmodum illi videretur, acturum esse, litteris in hunc modum explicat. (2)

Quod pontifex sibi mirifice probari significat.

Dilecte fili! scribit nobis circumspectio tua per suas ultimas litteras, diætam, cum imperatore tenendam dilatam esse usque ad adventum non nullorum, quosque in litteris eisdem commemoras. Nos credentes nihil commode sine aliqua conventione fieri posse, hortamur eandem circumspectionem tuam in domino, ut, licet multa undique ingruant, nihilominus diætam ipsam non negligas, quæ fructus aliquot salutares concedente domino posset producere. Eam ob causam venerabili fratri episcopo Lucano, & dilecto filio Stephano de Nardinis, notario nostro, quos esse jam cum imperiali celsitudine credimus, dedimus in mandatis, ut nomine nostro illum ad ineundos in ipsa diæta pacis, vel treugæ per manus tuas tractatus summe hortarentur. Qua in re si quid illorum operam profuturam putabis, poteris de agendis omnibus eos instruere, quos non dubitamus mandata tua obedienter esse facturos. De amissione Szenderò, & perfidia regis Bosniæ, atque de progressu Turcorum summam moestitiam coepimus, considerantes, quantam opportunitatem illorum nunc rabies habeat ad vexandos christianos, & dilacerandum regnum Hungariæ. Rogamus Deum, ut plebem suam non deserat, & cadentes misericorditer sublevet. Oratores charissimi in Christo filii nostri, Mathiæ regis Hungariæ illustris, cum omni humanitate accepimus, & audita subventione, quam postulant, fecimus, quod hoc tempore vires nostræ tulerunt. Intelliget totum circumspectio tua per alias litteras nostras, qui omni studio conabimur, ut regnum ipsum ab instanti malo, hoc anno servetur. - - Nos hic bona spe sumus, & per totum Augustum credimus in diæta affuturos, cum quibus de re communi tractari utiliter possit, tota mente dispositi ad omnia prosequenda, quæ Deus facultati nostræ concedet; circumspectionem tuam bene valere in Domino cupimus. Datum Mantuæ, XXX. Julii.

Arbitrium dirimendæ litis regi Bohemiæ commissum.

Coeptane sit, an contra, ut spes erat, pacis inter æmulos tractatio, aut quo eventu finita, quando rerum Austriacarum scriptores silent, nec mihi pro comperto rem affirmare integrum est. Arbitrium tamen conciliandæ inter cæsarem & Hungariæ regem amicitiæ Podiebradio utriusque consensu oblatum fuisse mihi certissimum est ex litteris *Georgii Bohemiæ regis*, *quibus*, ut litteræ habent, *tanquam arbiter inter Fridericum imperatorem, & Mathiam, ambos nominatos Hungariæ reges, utrique parti treugas, & inducias, a festo sancti Bartholomæi, usque sancti Joannis Baptistæ indicit, eisdemque diætam in festo conversionis sancti Pauli in civitate Olomucensi, pro amicabili compositione præfigit. Datum Brunæ, XII. Augusti, anno MCCCCLIX.* (3)

Cum quo cæsar seorsim foedus sancit.

Ceterum Fridericus cum intelligeret, nisi regis Hungariæ titulum, cum jure paucorum factione sibi oblatum, abdicaret, vix sibi cum Mathia conveniri posse,

(1) Comment. lib. 2.
(2) Ex cod. Ms. Vatic. cit. fol. 59.
(3) Exstant in Tabul. Aug. ut notat CL. KOLLARIUS in analectis suis MSS.

posse, Georgium Bohemiæ regem in amicitiæ societatem ictis foederibus attraxerat, quibus vicissim solemni verborum forma cavent, omnes, qui alterutrum bello, armisve aggrederetur, communem, demto solum pontifice, hostem habitum iri, amicos contra utrique itidem communes futuros. Foederis tabulæ ita habent. (1)

Annus Christi 1459.

„ Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper „ Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex, ac Austriæ, Stiriæ, Ca„ rinthiæ, & Carniolæ dux, comes Tyrolis &c. Et Georgius Dei gratia Bo„ hemiæ rex, marchio Moraviæ, Silesiæ, & Lucenburgensis dux, & Lusatiæ „ marchio &c. recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, „ quod attendentes, quid, & quantum pacis, uniones, & amicitiarum foedera „ sacro Romano imperio, ac aliis regnis, & principibus nostris, quæ invicem „ confines existunt, & ipsorum inhabitatoribus fructus afferant, præsertim, cum „ orbis dominus imperator, videlicet Augustus, & principum suorum potissimus, „ & elector, rex scilicet Bohemiæ, se mutuo auxiliis, consiliis, favoribus, & „ ligis prosequuntur, sano nostrorum consiliariorum, & fidelium accedente con„ silio, & deliberatione matura prævia, atque pro nostro, & nostrorum utrin„ que subditorum incremento, ligas, uniones, amicitias, pacisque foedera ini„ vimus, atque præsentibus firmiter inimus, in hunc videlicet modum: Quod si „ a quopiam cujuscunque præeminentiæ, status, gradus, dignitatis, conditionis, „ meritive fuerit, nos, aut alterum ex nobis molestari, inquietari, seu turbari „ quovis modo, ordine, & quæsito colore, in regnis, dominiis, honoribus, digni„ tatibus, & statibus nostris, aut conspirationes, conjunctiones, conventicula, & alia „ quæcunque in damnum, & offensam, & perturbationem nostram, aut alterutrius, „ nostrarumque ditionum quidquam fieri, seu attentari contingeret, quod ex tunc „ quilibet ex nobis ad requisitionem alterius læsi, aut quomodolibet inquieta„ ti, & eidem læso, seu inquietato, consilio, auxilio, adjutorio, & favore rea„ liter, & cum effectu ad propulsandum, & oppugnandum hujusmodi injuriam, „ & molestiam assistere debebit toties, quoties id necessarium fuerit, & oppor„ tunum. Et si, quod absit, inter nos ambos, aut nostros differentia quovis „ modo in antea orietur, & quod in eum eventum differentiarum hujusmodi „ decisio amicabiliter, aut per justitiam in defectum amicabilis compositionis per „ consiliarios, principes, ipsius rei ad requisitionem conquerentis expedite fiat, „ & eam fieri princeps requisitus efficaciter procuret, dolo, & fraude in his „ procul amotis; quemadmodum & nos id facturos verbis nostris, imperiali, & re„ gio, bona fide, ac jurejurando affirmavimus. In omnibus tamen prædictis san„ ctissimo domino nostro papa, & sede apostolica duntaxat exceptis. Harum „ testimonio litterarum, nostrorum imperialis, & regalis sigillorum appensione „ munitarum. Datum Brunæ die ultima mensis Augusti, anno domini „ MCCCCLIX. nostri, Friderici imperatoris, annorum imperii octavo, regno„ rum autem nostrorum, Romani vigesimo, & Hungariæ primo: nostri vero, „ Georgii regis Bohemiæ regni secundo. „

Foederis conditiones tabulis publicis firmatæ.

His foederibus non modo adversus Hungaros, si quid coronæ causa hostile molirentur, Fridericus sibi cavit, sed Viennensibus etiam, qui dominationem cæsaris impatienter ferebant, dissidiaque inter eum & Albertum fratrem aluerant, frenum injectum est. Non ignorabat hæc Mathias, parumque aberat, quin rursum arma in Fridericum converteret, nisi obortus iterum de Turcorum irruptione rumor curas ejus aliorsum convertisset. Qui quamquam ut ex eventu patuit, vanus esset, tamen quia verendum magnopere erat, ne barbari crebra ostentatione periculi nostris desidiam sensim ingererent, pontifex ad propulsandum id periculum viginti aureorum numum millia ex ærario suo decreverat, quæ legatus

Hinc suspiciones inter cæsarem, & Mathiam rursum obortæ.

Pontifex stipendium in Hungariam ab se mitti

(1) BALBINUS S. I. Dec. I. lib. VIII.

Annus Christi 1459.

Legato suo significat.

legatus pro ratione imminentis discriminis, hoc, aliove anno, ut illi visum fuerit, Mathiæ consignaret; obtestatus tamen, ut parsimoniæ, ob insanos sumtus, quos in conventum facere necesse erat, rationem haberet. De quo ita ad legatum suum scribit: (1) *Novit circumspectio tua paupertatem Romanæ ecclesiæ, & sumtus ingentes, quos in manutenendis terris, & celebranda diæta facere hucusque sumus compulsi. His autem non obstantibus, cum superioribus diebus de adventu Turcorum, & periculo imminenti Hungariæ ex tuis litteris cognovissemus, commisimus tibi per alias nostras, ut viginti millia ducatorum in eam subventionem exponeres, quæ tibi propediem essemus remissuri. Cum itaque postmodum intellexerimus, Turcum cum exercitu in Græciam se recepisse, & metum illum acrem cessasse, propter quam provisionem illius modi faciendam putavimus, si videret circumspectio tua talem expensam necessariam ad præsens non esse, gratissimum nobis esset, ut ab illa pro nunc desineres. Nos enim summam ante dictam non levi onere, mutuamque accepimus, & cum ventura aestate alias provisiones facere intendamus, minori cum incommodo subire hoc onus possemus; utilius etiam judicantes hoc subventionis corpus simul, quam membratim exponi. Circumspectio tua, quæ præsens est, & ex propinquo, magis, quid opus sit, & quid non, intelligit, sequetur, quod melius judicabit: nos necessitatem nostram declarasse sumus contenti, tuæ, non dubitamus, consules, quantum scies, & poteris. Tractatum diætæ, duce altissimo, cras incipere intendimus: adsunt enim ex omnibus ferme Christi fidelium nationibus, & ex tota Italia oratores convenerunt quoque, ante medium præsentem mensem Mediolani, & Mutinæ duces speramus, ex Gallia quoque & Anglia & Britannia solennes legationes propediem aderunt. Concedat Divina pietas, ut, quod pro augmento catholicæ fidei, & conservatione optamus, perficere cum his valeamus. A circumspectione tua de omnibus, quæ isthic aguntur, certiores fieri exspectamus, mirantes, quamdiu litteras tuas non habuerimus. Datum Mantuæ VIII. Septembris, anno primo.*

Et auxiliares copias mox affuturas promittit.

Quamquam autem tot, ut litteræ habent, in conventum sumtus faciendi essent, oratoresque principum magna frequentia confluerent, nullum tamen pene intra sex menses, quibus Mantuæ pontifex moratus est, operæ pretium relatum est, quo spes christianorum erigeretur, tum quod plerique principum rei magis privatæ, quam publicæ rationem haberent, tum quod Galliarum rex Neapolitanis alieno tempore bellum obmoturus metueretur. Itaque Pius cum videret parum in ceteris præsidii repositum esse, cum Mathia per legatum egit, ut, quot copias, quove stipendio rex alere posset, accuratam rationem iniret, se suos quoque regiis militibus conjuncturum, ut, cessantibus aliis principibus, Hungaria a barbarorum incursionibus tuta redderetur. Quæ ut diligenter cum rege conferret, ejusque animum perscrutaretur, cardinali per litteras in hæc verba mandavit. (2)

Quæ quanto stipendio ali possint, ab legato edoceri petit.

Dilecte fili! venimus, sicut novit circumspectio tua, ad hanc Mantuanam diætam non sine gravi periculo terrarum ecclesiæ, & præcipuo personæ nostræ incommodo, cum magnis etiam expensis, quas subire necessum fuit. Hoc in loco sextum jam mensem agimus, principes catholicos nostris exhortationibus ad communem caussam totius christianitatis excitando, nihil denique omittendo, in quo verbo, & exemplo visi fuerimus posse proficere. Non invenimus, ut verum fateamur, eum zelum in animis christianorum, quem sperabamus; vidimus paucos admodum esse, quibus de publicis rebus major cura esset, quam privatis: omnes ferme ad propria intendentes satis hoc tempore ostenderunt, falsam esse antiquam calumniam, quam sedi Apostolicæ imposuerunt, nullosque nunc magis, quam se ipsos, esse accusandos. Videbamur tamen, nisi novum negotium intervenisset, res italicas satis egregie in obsequium Dei disposuisse: siquidem principes ejus omnes, ac potentatus jurejurando, voto, & chirographo proprio se ad hoc ipsum solemniter obligarunt. Verum cum ex civitate Januensi, instantissima classis nomine gallico ad miscendum regnum Neapolitanum profecta nuperrime sit, veremur, ne non solum partes illæ bello implicitæ defuturæ sint operi nostro, sed reliquæ quoque studio partium incitatæ in eandem perturbationem trahantur

(1) Ex cod. Ms. Vatic. fol. 76. (2) Ex eod. cod. Ms. fol. 86.

tur, quod ſane dolendum eſſet, ac lamentandum nobis præſertim, qui tot laboribus uſque in hanc diem abſumtis, metuimus, niſi reſiſtat Deus, primum partem ſudoris noſtri in mutuas chriſtianorum miſerias ire. Non tamen dilecte fili propterea deſinimus omnino, neque ſit opera noſtra remiſſior. Confidimus in eo, qui non deſerit ſperantes in ſe, & potens eſt, corda hominum immutare, videbunt plane omnes, rem chriſtianorum nos uſque in finem non derelinquere; & quoniam, ſi non dat Deus, quod volumus, omittere non debemus, quod offert, cupimus propoſita tibi ratione conſilii noſtri judicium tuum exquirere. Committimus igitur tuæ circumſpectioni, & ſtricto mandato injungimus, ut communicato cum rege, & cum quibus tibi videbitur, conſilio, mature intelligas, quot millibus armatorum opus eſſe ſtatuatur ad hanc expeditionem fideliter proſequendam: deinde quibus ex locis, aut ex quibus generibus hominum haberi hic exercitus utiliter poſſit. Inſuper cum rex ipſe per oratores ſuos offerat duodecim equorum, & peditum nonnulla millia, ſuo ſtipendio ad hoc bellum conferre, & nos etiam duodecim millia equorum, ſi facultates aderunt, armare, & manutenere per aliquot menſes noſtro ſumtu cupiamus, qua ratione hoc facere quam minima impenſa poſſimus. Nam etſi regii oratores hic præſentes grandia ſtipendia allegent, nos tamen, qui illis in locis verſati aliquando etiam ſumus, ſcimus certo modo haberi multo minori ſtipendio eorum numerum poſſe: ut puta, ſi non unus miles, aut alter, ſed domini principales, vel capitanei aliqui, qui ſubditos ſuos ad bellum obligatos, vel aliter conductos habent, ſub certa menſium quorumlibet proviſione, & cum pugnatorum definita quantitate conducantur. Quam rationem diligenter a te excogitari, & nobis quamprimum de ea, & pecuniarum ſumma, quæ ſit neceſſaria, ſignificari optamus. Hæc autem duodecim millia, ſi a te conduci contingat, tuo imperio, & ductu regi vellemus, ita, ut, qui noſtri eſſent, & qui regis, internoſci facile poſſent, palamque eſſet, cum ſua ſerenitas promiſſam quantitatem teneret: contentaremur tamen, & rationabile duximus, ut ipſi regi idonea cautio, noſtro nomine, præſtaretur, quod & ſumma hujusmodi ſibi fidelis, & parata ſemper ad opus fidei eſſet, prout illi, tibique magis expediens videretur. Poſtremo tota tua diligentia intelligas, volumus, qua ratione, ſi natio germanica mittere contra Turcos exercitum vellet, poſſet cum ſua & Hungarorum ſecuritate ad eos perduci, & ita vel aqua, vel terra tranſitum facere; ut nulla vel ſuſpicandi, vel nocendi occaſio alterutris præberetur. Qua in re cum non parum difficultatis eſſe putemus, eo impenſius laborare tuam circumſpectionem oportet, ut hic modus quam facilis, & quam expeditus nobis reddatur. In præſentiarum vero præmiſſa nobis tantum occurrunt, in quibus tuum, & regni iſtius conſilium exoptemus. Si qua ulterius, quæ multa eſſe poſſint, tua prudentia neceſſaria eſſe judicat, gratiſſimum nobis erit, illa intelligere, & quanto celerius explicatam rerum hujusmodi cognitionem habebimus, tanto ad omnia hinc conducenda hoc erit utilius. Ideo eandem tuam circumſpectionem obnixe requirimus, ut ſuper his omnibus plene, ſicut nos expectamus, mature reſpondeas. Cetera ex dilecto filio Martino de Jauigonas, familiari tuo, quem ad curiam venientem libenter vidimus, atque accepimus, pluribus verbis intelliges. Optamus perſonam tuam bene in domino valere. Datum Mantuæ V. Novembris anno ſecundo.

Annus Christi 1459.

Quem in modum rem legatus cum rege tranſegerit, neque apud domeſticos, neque exteros ſcriptores uſpiam reperio: illud conſtat, Italiæ principes, in primis Philippum Burgundiæ ducem ante alios communis boni, & Hungariæ cauſa ſollicitum incredibili adverſus barbaros ſtudio flagraſſe, eamque ob rem, quod ſupra memoravimus, per nuncios cum Aſiæ regibus maximopere egiſſe, ut commune in Turcos bellum conflaretur. Si tam conſentientes Europæos, quam Aſiaticos principes habuiſſet, minime dubium erat, quin extremum barbaris exitium afferri potuerit. Neque orientales ab ſuo ſtudio quidquam remiſiſſe conſtabat, qui in anni exitu litteras ad Burgundum miſere, quibus eorum, quæ Trapezundarum imperator prius promiſerat, fidem fecere. Juvat ad notandam latinorum principum id temporis deſidiam, eas annalibus inſerere. Et Gorgoræ quidem Georgianorum ducis in hanc ſententiam ſcriptæ erant. (1)

Italiæ principes magno ſtudio in bellum Turcicum feruntur.

(1) Inter epiſt. ÆNEÆ SYLVII. 378.

Annus Christi 1459.

Confirmantur in hoc studio acceptis ab Georgianorum principe litteris.

„ Illustrissime dux Burgundiæ, ego Gorgora dux Georgianæ mitto ad te plurimam salutem. Quoniam intellexi, te esse fidelissimum christianum, & desiderasse semper aliquid agere, quod honori, & amplitudini esset sanctæ fidei nostræ sicut tui fecerunt antecessores, ideo multum desidero tuam habere amicitiam. Nam ego christianus sum, & pro defensione, & amplitudine illius sanctissimæ fidei mori cupio, nec quidquam libentius facio, quam bellum cum infidelibus gerere, majorum meorum vestigia & consuetudinem imitando. Post enim obitum patris mei multa cum illis bella gessi, & sæpissime, gratia Dei de illis victoriam habui, multas civitates ipsorum debellando cœpi, & nisi his superioribus annis bella quædam inter me, & aliquos principes christianos, finitimos meos orta fuissent, majora profecto contra infideles gessissem. Sed in præsentiarum, quando mandato domini, videlicet Ludovici nostri patriarchæ pacem feci cum omnibus christianis finitimis meis, omnino decrevi omnem meam facultatem, & vires omnes adhibere contra Turcos, & quemadmodum promisi domino patriarchæ nostro, ego personaliter cum viginti millibus equitum, ad hoc bellum contra infideles aggrediar: quod ut facilius fieri possit, non solum pacem, sed fœdus, & ligam feci cum omnibus principibus christianis, qui in istis sunt regionibus, ut communibus copiis Turcum, qui tenet Constantinopolim invadamus. Confœderati enim sumus, ego & Georgius rex Persarum, David imperator Trapezundæ, Bendian rex Mingreliæ, Rabia dux Anacosiæ, Bedebeg dominus Armeniæ minoris, & alii domini orientales. Habemus etiam nobiscum in nostra confœderatione tres potentes principes infideles qui Turci Constantinopolitani sunt inimici, Caramanum scilicet, & Ismælbeg, filium quondam stipendiarii, & Asambeg filium quondam Carailuci, qui Asambeg, cum confinia habeat ex ista nostra parte cum Turco Constantinopolis, promisit nobis dare aditum, ad invadendam Natoliam, & nobiscum personaliter venire cum omni sua potentia, & inprimis capere civitatem Brussiæ, ut illam possideat pro se, & potiatur. Omnes nos capitulis, & pactionibus conclusimus, cum hac sciticet conditione, ut ipse sit semper amicissimus christianorum: & si vos latini principes, & populi venietis ad recuperandam domum sanctam Hierusalem, ipse debeat præstare vobis omne, quod potuerit, auxilium, & favorem. Quamobrem nos hæc omnia, pacem, & ligam ex parte nostra fecimus, quæ a quingentis annis citra in his nostris regionibus non sunt audita: idque fecimus persuasi, tum authoritate patriarchæ nostri, tum litteris domini papæ, quibus ad nos scripsit, se, & omnes principes latinos in civitate Mantuæ debere convenire, & ibi congregato concilio exercitum præparare contra infideles. Nos vero, quia id vehementer cupimus, ut possimus nos una vobiscum unire ad hanc rem perficiendam, mittimus nostros oratores cum domino patriarcha nostro ad vos omnes principes latinos, & præsertim ad te, quoniam accepimus te, & omnes de domo tua diu, multumque desiderasse terram sanctam recuperare, & ut possitis ex ipsis nostris oratoribus intelligere, quem animum habeamus omnes ad hoc negotium fidei, & quid per nos actum sit hoc tempore. Cupimus etiam & rogamus, ut nostros oratores certos faciatis, ut ipsi postea referre possint, an parati sitis, & promti sumere hoc bellum justissimum, ut sciamus quo tempore armati progredi debeamus. Hoc unicum vobis pollicemur, in una æstate debellare, & aufferre totam Natoliam, & quidquid dominus Othomannorum, id est, ipse Turcus Constantinopolitanus possidet ex nostro latere. Alteram vero partem dominii sui, quæ Græcia est, quam mare Euxinum dividit, vobis expugnandam relinquimus, quod vobis facile erit: nam ipse Turcus in medio positus duorum exercituum, cum resistere minime poterit, cito succumbet, & nomen suum e terra delebimus. Quas ob res te ante alios principes latinos oro, ut super hoc velis cogitationem, & curam suscipere, & non sinas hanc commoditatem, quam vobis offerimus, præterire, nec dedigneris nos imitari, qui omnibus rebus postpositis, fidei utilitati intendimus, & vacamus. Quod si

hanc

„ hanc rem, quod absit, neglexeris, nihil a nobis actum esset: nam hac con- *Annus Christi 1459.*
„ ditione obligati sumus ad hoc bellum, si vos domini latini una nobiscum eritis.
„ Alioquin soluti sumus ab ista liga, & confœderatione. Omnia enim nostra
„ consilia, & rationes dependent a litteris domini papæ, per dominum patriarcham
„ ad nos allatis, quas veras esse proposuimus. Et finaliter hoc uno confide-
„ rato, quod si hoc tempore, cum a nobis sitis adjuti, nihil facietis, hic ini-
„ quissimus Turcus interim tantas vires, & animos sumet, ut, quando ipsi re-
„ sistere volueritis, nullo modo poteritis, & omnes nostri conatus, si vos non
„ respondeatis, inanes forent, eritque fere impossibile, iterum nos in istis regio-
„ nibus, tam pronis voluntatibus uniri, sicut nunc sumus. Multa essent dicen-
„ da, quæ per meum oratorem poteris agnoscere, cui fidem indubitatam præ-
„ stare poteris, habeasque eum, oro, commendatum. Vale in Christo. Data
„ in Carceche, anno MCCCCLIX. die V. Novembris.

Similiter a rege Persarum, ceterisque Asiæ Dynastis.

Georgii vero Persarum regis, quas Burgundiæ quoque duci miserat, quæ-ve nonnulla prioris epistolæ capita illustrant, litteræ in hunc modum habent. (1).

„ Illustrissime Dux Burgundiæ, ego Georgius rex Persarum te plurimum
„ saluto, & ut intelligas, quæ res gestæ sint in præsentiarum per nos in Orien-
„ te, istas litteras ad te scribo. Scias igitur omnes principes christianos, qui
„ moramur in istis regionibus, fecisse inter nos pacem, & fœdus, ac ligam,
„ & conjurasse invadere cum omni nostro conatu, & potentia Turcos, sed præ-
„ sertim illos, qui sunt in Constantinopoli, quoniam sunt christianorum inimicis-
„ simi. In qua quidem liga nos singuli apparatum, & copias nostras obtulimus.
„ Ego promisi personaliter exire cum quadraginta millibus hominum: David
„ imperator Trapezundarum obtulit, & paratas habet triginta biremes cum vi-
„ ginti millibus hominum: Bendian rex Mingreliæ omnem suam potentiam ex-
„ hibuit: Gorgora dux Georgianæ personaliter veniet cum viginti millibus equi-
„ tum: Rabia dux Anacoliæ cum suis fratribus, & baronibus nobiscum, &
„ ipse veniet cum omni sua potentia: Bedebeg dominus in Armenia minori pol-
„ licitus est ad hanc nostram expeditionem viginti millia hominum. Sunt etiam
„ in dicta liga, & alii populi, Githi, Arani, & Sasoni, & tres domini potentes
„ Turci, qui promtissimi sunt movere bellum domui Othomannorum, hoc est
„ Turco, domino Constantinopolis, quorum est unus Caramanus, alter Ismael-
„ beg, filius quondam Carailuci, qui & potens, & capitalis inimicus Turci Con-
„ stantinopolitani, est paratissimus omnia adimplere, quæ promisit. Quæ qui-
„ dem omnia supradicta inter nos capitulis, pœnis, & aliis vinculis promisimus,
„ rataque fecimus, hac scilicet conditione adjecta, si vos latini movebitis, &
„ una nobiscum eritis, ex vestris partibus Bellum Turcis inferendo: alioquin, si
„ vos non intenditis hoc bellum suscipere, nos ad exsolvenda ea, quæ promisi-
„ mus, nullo modo sumus obligati. Quamobrem rogo, ut omnibus rebus post-
„ positis, velis ad hoc bellum intendere, nec te distrahant, aut divertant a tam
„ sancto proposito alia, quæcunque sint, obstacula, quemadmodum ego feci, qui
„ si difficultatibus, quæ mihi occurrebant, intendere voluissem, nunquam domi-
„ no patriarchæ nostro paruissem, cujus opera, & mandato hæc nostra liga, &
„ concordia inter nos facta est. Nunc vero, licet in quibusdam rebus tempora-
„ libus damno hæc concordia fuerit, tamen contentissimus sum illud peregisse,
„ cum spirituale a Deo præmium propter hoc exspectem. In præsentiarum aliud
„ ad te non scribo, quoniam mitto ad te oratorem meum, una cum domino pa-
„ triarcha nostro, cujus verbis fidem adhibeas, quoniam ex ipso omnia poteris
„ cognoscere, habeasque eum commendatum, & ut des illi tuas litteras respon-
„ sionis, te oro, ut possim intelligere tuam sententiam, & opinionem. Vale in
„ Christo. Data in castris nostris prope tentorium, die V. Novembris, anno
„ MCCCCLIX.

In conventu de belli rationibus consultatur.

Asiaticorum principum studiis, mirum est, quantopere Latini ad commune bellum barbaris inferendum accensi fuerint. Quorum voluntate prius, quam de-

(1) Apud eundem epist. 379.

Annus Christi. 1459.

deferveret, pontifex utendum ratus, cum proximus conventus haberetur, singulos, ut in medium consulerent, admonuit: utrum terra, an mari hostem aggredi satius esset, tum quæ classis, quive terrestris exercitus necessarius videretur, ex quibus populis legendæ copiæ, & an ære Hungaros, utrum milite potius juvandos censerent. Primus omnium Franciscus Sfortia Mediolanensium dux sententiam dixit, consuluitque terra, marique hostem invadendum, militem vero, ut omnium turbarum causa resecaretur, ex ditionibus Turcico imperio finitimis deligendum: cujus consilium episcopus Clivensis Arragonum orator mirifice commendarat. De cogendo terrestri milite Veneti quoque consenserant, nisi quod ad rem ex sententia agendam, quadraginta equitum, peditum viginti millia conscribi oportere contenderent, quibus alendis argentum ex reliquis christianorum provinciis sumendum esset: se naves, & quibus hæ armarentur, machinas præbituros, modo centum, ac quinquaginta aureorum numum millia suppeditarentur, quæ ex imperata a pontifice clero triennali decuma, tum decreta Laicis tricesima, ac vicesima a Judæis exhibenda, nullo negotio conflari possent. Pius, tametsi ab imperandis clero decumis, ceterisque non abhorreret, vehementer tamen questus est, Venetos, qui, nisi barbari tempestive coercerentur, primi eorum impetus persensuri essent, lucri magis, quam fidei causa sociale bellum expetere. (1)

Intercedunt Germani, qui comitia Normbergam indici cupiunt, certamque auxiliorum spem faciunt.

Ita sententiis distractos in conventu oratores Friderici cæsaris interpellarunt, qui suppetias Germanorum nomine pollicebantur, si obstacula, inter quæ lis cæsarem inter, & Hungariæ regem regni causa exorta, haud postremi momenti esset, removerentur. Quibus ex sententia complanandis, ut pontifex conventum futuro anno Norimbergam primum, deinde in curia imperiali indiceret, libello supplici, in hæc verba conscripto, petiere. (2) *Ad habendam felicem prosecutionem negotii defensionis fidei catholicæ, oratores serenissimi domini imperatoris, ac illustrissimi sacri imperii principum, offerunt imperialem majestatem, dominosque suos in conducendo valido exercitu, videlicet decem millia equitum, & triginta duo millia pedestrium contra Turcos hostes fidei una cum aliis principibus, & communitatibus nationis Germanicæ facturos, & impleturos omnia, & singula capitula, prout in diætis præcedentibus, videlicet in Fraukfordia, & in nova civitate Austriæ pro expeditione hujusmodi exercitus per eos facta, avisata, & oblata sunt. Verum, quia persecutionis hujus sancti negotii nonnulla impedimenta obstare videntur, petunt a Sanctitate domini nostri, quatenus Sanctitas sua certam diætam infra hinc, & proximam quadragesimam ad oppidum imperiale Norimbergense, pro convocatione principum & communitatum nationis Germanicæ indicat, & legatum Apostolicum cum potestate pacem componendi, & treugas imperio statuendi mittat, qui etiam una cum his, quos serenissimus dominus noster imperator illuc miserit, & principibus imperii, aut eorum oratoribus, de modo & ordine expeditionis, faciendique æquam taxam impositionis quatuor personarum ad exercitum mittendarum, nec non pacem, ut præmittitur, componendi, & treugas indicendi tractet, & ordinet. Item quod præfatus Sanctissimus dominus noster ad tollendum dissidium inter gloriosissimum dominum nostrum imperatorem, & Mathiam de Hunyiad.* (neque enim Germani prius, quam a pactis cum Friderico conventis Mathiam regis nomine dignati sunt,) *comitem Bistriciensem in regno Hungariæ exortum, utque securus transitus per idem regnum haberi possit, ex nunc statuat aliam diætam infra hinc & festum Paschæ in curia imperiali tenendam, in qua principes, & comites imperii per se, aut suos oratores compareant, de præmisso transitu, aliisque ad necessariam provisionem exercitus requisitis tractaturi, quodque illic etiam adsit legatus de latere sedis apostolicæ, cum plenaria facultate ad præmissa necessaria, qui præfatum dominum imperatorem, & suos principes de classe navali certificare possit, & certificet. - - Acta hæc fuerunt in palatio apostolico XIX. Decembris, MCCCCLIX.*

Pon-

(1) GOBELIN lib. 3.

(2) RAYNALD. annal. Eccles. Tom. X. ad an. 1459.

Pontifex, quamquam ægre rem cum Italis, ac aliis, prope finem jam adductam, porro differri pateretur, ne tamen nihil cæsari tribuere videretur, oratorum postulata rata habuit, & altero abhinc die ad singulos imperii principes encyclicas litteras misit, quibus dies futuris conventibus, quos per legatos petiissent, hoc modo præstituit. (1)

Annus Christi 1459.

Quibus pontifex, quamquam invitus, morem gerit.

Cum necessitas defensionis fidei, & dominici gregis exposceret, conventionem Christi fidelium, nos, quibus hæc cura principaliter a Christo, cujus licet immeriti in terris vicem agimus, imminet, Mantuanam diætam indiximus, & ad ipsam personaliter accedentes, de communi consilio, & assensu charissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum imperatoris, & dilectorum filiorum, principum Alemanniæ oratorum, exercitum validum contra Turcos quantocius congregandum conclusimus, ob cujus executionem duas diætas de eorundem oratorum consensu congregandas ordinavimus, unam in dominica invocavit, *in oppido Nurembergensi Bambergensis diœcesis, aliam in dominica* judica, *in passione Domini in curia imperiali, ad quas legatos nostros mittemus, cum optima ad hæc facultate munitos, ad componendum differentias inter principes, & magnates, & cetera facienda ad expeditionem exercitus optima. Cum autem omnium christianorum animos zelo fidei esse accensos, & ad tam sanctum opus animose concurrere oporteat, nobilitatem tuam, de qua singularissime confidimus, & speramus, hortamur in Domino, & per fidem, qua in baptismo Christo regi nostro astrictus es, monemus, & requirimus, ut dictas diætas personaliter accedere non postponas, vel, si aliqua inevitabilis necessitas, quod Deus avertat, affuerit, oratores tuos pleno mandato ad præmissa omnia tractanda, & concludenda fulcitos illuc celeriter mittas; denique ad omnia te promtum reddas, quæ ad fidem christianam pertinere noscuntur: Ultra enim merita æternæ vitæ, quæ tibi a Christo propterea promittitur, apostolicæ sedis gratiam digne mereberis. Datum Mantuæ XX. Decembris.*

Principesque Imperii ad conventum invitat.

Ita res in sequentem annum protracta est, in cujus principio paulo ante, quam Mantuæ conventus solveretur, quid in eo, communi principum, legatorumque consensu statutum fuerit, quia ad arcendum ab Hungaria periculum maxime attinebant, primo omnium cardinali sancti Angeli legato suo significavit. Operæ precium est, ut, quo tot molitiones illius conventus denique evaserint, ne nesciamus, litteras, quas Pius propterea ad cardinalem dederat, in medium proferre (2)

Annus Christi 1460.

Quid in conventu Mantuano actum, decretumve esset.

Pius Papa II. Cardinali sancti Angeli, Apostolicæ sedis legato.

„ Dilecte fili &c. Partim ex litteris nostris, partim ex his, quæ oratores hic præsentes ad regiam serenitatem continuo scribunt, intelligere tua circumspectio potuit, quæ acta, & conclusa sint in Mantuana diæta. Quemadmodum videlicet natio Italica, decimas Ecclesiarum, vigesimas Judæorum, & trigesimas Laicorum libenter accepit: Germania triginta millia peditum, equitum decem, cum decimis, indulgentiisque obtulerit; quemadmodum etiam Burgundiæ dux peditum quatuor, & equitum duo millia suo tempore in armis futura contra Turcos promiserit, denique etiam, ut inter regnum Franciæ, & Angliæ diætam unam in Coloniensi, vel Leodiensi, aut Avinionensi, vel etiam Metensi civitate ad proximum Joannis Baptistæ festum, pro componenda pace, vel treugis, simul cum legato nostro tenendam, habendamque obtulerimus, & ad complementum hujus boni in dies, quantum possumus, sine intermissione operemur. Mittentes nunc etiam ad decimas exigendas, & ad parandam viam hujusce tractatus venerabilem fratrem nostrum, episcopum Veronensem. Modo autem de his, quæ ad Germaniam attinent, visum est circumspectioni tuæ per nostras litteras notitiam facere. Cum videremus dilecte fili! quantæ utilitatis esset præsentia tua in regno Hungariæ, non solum ad com-

Pontifex legatum suum edocet.

(1) Ex codic. MS. Vatic. fol. 104. (2) Ex codic. MS. Vatic. fol. 104.

Annus Chriſti 1460.

„ componendam pacem inter eos, qui diſſentiunt a rege, & in hanc ſorte diem
„ diſſentiunt, ſed ad conſervandos animos eorum, qui quotidianam vim ſuſtinent
„ ad paranda etiam omnia opportuna contra frequentes Turcorum excurſus,
„ non judicavimus ſine ruina rerum poſſe te, & in Hungaria, & in Germania
„ uno tempore curare, quæ ſunt opportuna. Cognoſcebamus nil actum eſſe
„ tantorum operum ſtudio, niſi Germanorum ceſſet diſſenſio, inter quos etſi ſu-
„ perioribus menſibus præſentibus nunciis noſtris pax quædam videretur rece-
„ pta, cum tamen non omni ex parte fuerit ſtabilita, ſicut debebat, non ma-
„ gnopere eſt illi fidendum, nec ſperandum ſuſpicionibus undequaque urgenti-
„ bus, poſſe cum libertate exercitum fieri, ac duci. Neſciebamus quoque,
„ quam facile poſſes inter imperialem celſitudinem, & regem Hungariæ non ſo-
„ lum propter locorum diſtantiam, ſed etiam propterea, quæ tu nobis tacenti-
„ bus per te ipſum intelligis, fructum ullum conventionis afferre, in qua totum
„ hujus ſanctæ expeditionis onus reponimus. Propterea communicato ſæpius cum
„ fratribus noſtris conſilio, ad diætas duas, primam in Norimberga, alteram in
„ curia imperiali tenendas, quas poſcentibus Alemannis, eis in locis indiximus,
„ legatum duximus deſtinandum: electus itaque eſt venerabilis frater noſter Beſ-
„ ſarion, epiſcopus Tuſculanus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis Nicænus,
„ vir non ſolum ad hæc opera propter virtutem idoneus, ſed propter plurima
„ ſumme affectus. Hortamur itaque in Domino circumſpectionem tuam, & per
„ eam, qua tibi afficimur, charitatem requirimus, ut, quia tu in iſta legatione
„ tua non pompam, neque ambitionem unquam ſpectaſti, ſed dummodo bene
„ res fierent, per quemcunque fierent, non attendiſti, mirari non velis novum
„ legatum nunc mitti: venit non emendator, ſed coadjutor actorum tuorum,
„ venit ad eam nationem, ad quam circumſpectio tua non ſine damno regni
„ Hungariæ poteſt accedere. - - - Proinde labora & vigila & ſinceritate noſtra
„ contentus, ad publicam ſalutem, ſicut hactenus feciſti, totam mentem accom-
„ moda: benignitas noſtra & in quotidianis operibus tuis ſubventio, nunquam,
„ quoad poterimus, tibi deficient. Datum Mantuæ X. Jannuarii, anno ſe-
„ cundo.

Simul legatos Hungariæ ſuis partibus probe perfunctos eſſe

Soluto conventu, ac oratoribus Hungariæ domum revertentibus, litteras ad regem quoque addidit, quibus non modo, quid Mantuæ actum eſſet, tametſi pro ſpe minus fuerit, Mathiæ ſignificat, ſed præterea totius rei cardinem in conciliata cum cæſare amicitia verti: itaque vehementer oratum velle, ut & pronas legato aures præbeat, & quo facilius diſſidia complanarentur, publici boni cauſa aliquid de jure ſuo, quoad per æquitatem fieri poteſt, decerpi pateretur. Idem cæſarem facturum; ſe vero profligata feliciter lite tanto acrius ad concienda adverſus barbaros ſubſidia incubiturum, quato majore in regem, & Hungariam ſtudio præ ceteris duceretur. (1)

Pius Papa II. chariſſimo in Chriſto filio Mathiæ, regi Hungariæ illuſtri, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Mathiæ regi ſignificat.

Si oratores tui ad te redeuntes, fideles relatores eſſe voluerint, omnium, quæ geſta hic ſunt, ſicut eos facturos confidimus, inveniet Serenitas tua nobis nihil diligentiæ, & ſtudii in hoc ſancto religionis noſtræ opere defuiſſe. Laboravimus ſupra vires, & pene totum orbem deſiderio noſtro implevimus, octavum prope menſem in hoc conventu Mantuano ſedentes, & quotidianis litteris principes chriſtianos ad nos evocantes, non invenimus, fatemur, eum zelum, quem ſperabamus; nec opinioni noſtræ officia fidelium reſponderunt: concluſa tamen operante altiſſimo multa ſunt, atque præclara, neque adventus huc noſter fuit inanis. Series vero omnium ex iisdem oratoribus plene intelliges, quorum virtus, & aſſiduitas, atque adeo ſingularis in te fides plurimum eſt commendata. Sunt tamen, quæ principes, poten-

tatus-

(1) Ex eod. cod. Mſ. fol. 96.

tatusque obtulerunt ejusmodi, ut, si in eis permanserint, sicut confidimus, explorata pene sit spes, omnia ad honorem Dei feliciter successura. Mittemus ad nationem Germanicam, in executionem suæ pollicitationis, venerabilem fratrem nostrum Bessarionem, episcopum Tusculanum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem Nicænum, nostrum & apostolicæ sedis legatum. Curabit circumspectio tua pacem, vel treugas inter dissidentes illic stabilire; curabit promissum exercitum fieri, & in primis tuam & imperialis celsitudinis dissensionem, in qua tota vis rei consistit, accedente sapienti opera legati apud te nostri, opportunis modis componere. Cum itaque charissime fili opportunitatem præcipuam habeas, non solum ad liberandum regnum ex quotidianis hostium incursibus, sed ad parandam tibi & posteris commendationem perpetuam, hortamur pro Deo, & requirimus, ac toto corde obtestamur celsitudinem tuam, ut occasionem hanc divinitus datam non prætermittas, sed ad omnia hæc peragenda mentem, atque animum accommodes, præcipue autem in tractatu concordiæ ita te reddas, ut per serenitatem tuam non stetisse appareat, quo minus tam salutare bonum, locum habuerit. Erit debitum tibi, erit beneplacitum Deo, aliquid in honorem suum de jure tuo remittere, ad quod etiam, cum imperialem celsitudinem simus semper hortati, & nunc exhortemur, velit bonitas tua, quod ad se attinet, cum laude amplecti. Nos ex iis, quæ contrahere in præsidium fidei studio nostro poterimus, tibi, tuisque non minus libenter, quam largiter subveniemus, videbisque omnibus in rebus sedem apostolicam, & Romanam ecclesiam tibi non defuturam; certiora, cum ex alieno pendeant arbitrio, promittere non valentes. Unum tamen hoc, volumus, Serenitas tua firmissimum habeat, nos totis viribus nostris daturos sedulo operam, ut sperata auxilia mittere tibi in hoc opus possimus, & ita esse veraciter promittimus. Excitet ergo te ad hanc sanctam expeditionem recordatio genitoris tui defuncti, qui hac una ex re plus, quam ex ceteris æternum nomen sibi adinvenit, cujus operibus non respondere, non satis esset tibi laudabile, præsertim, cum ad illius vires regiam insuper dignitatem addideris. Super conditionibus autem ab oratoribus tuis in securitatem traducendi exercitus postulatis, & aliis, quam opportuna fuerint visa, idem legatus ad Alemanniam missus plenum mandatum apportat. Atque utinam pax, vel treuga statui in vestris dissensionibus posset, ut cetera, quæ ad commode, & secure conducendos exercitus pertinent, feliciter, & facile dirigantur. Ipsos oratores tuos tanquam de te optime meritos, & nobis propterea charos eidem tuæ Serenitati etiam atque etiam commendamus. Datum Mantuæ XVIII. Januarii MCCCCLX. Anno secundo.

Annus Christi 1460.

Mathias, cum ex oratoribus eadem intelligeret, ac pontificis in conciliandа cum cæsare amicitia operam magnopere præterea commendari, non invitum ad pacem animum applicuit, præsertim, quod anno abhinc ad pangendum ex Bohemiæ regis arbitrio fœdus cum Friderico condixisset. Olomucium itaque cum cardinali sancti Angeli eam ob causam profectus diu, multumque cum Georgio & cæsaris oratoribus egit; eventu tamen nequaquam secundo. Cum enim cardinalis Mathiæ magis, quam cæsari favere videretur, idque cæsarei ad Fridericum referrent, is, ne sibi injuria aliqua consciscéretur, revocatis domum oratoribus, pontificem oravit, uti legatum redire ex Hungaria juberet. Quod ubi pontifex negavit, ne in tam invidiosa re alterutri parti magis accederet, placuit ad calendas Majas novum Pragæ conventum fieri, ad quem Fridericus, & Mathias legatos pro dirimenda causa mitterent. Ferunt Georgium clandestinis artibus usum, Mathiam cum cæsare dedita opera novis dissensionibus implicuisse: quam id autem ob causam, alienæ tranquillitati invidens, fecerit, non meminere. (1)

Conventus Olomucii ad conciliandam inter cæsarem, & Mathiam pacem frustra habetur.

Hæc inter Varadiensis episcopus, regis, regnique ante alios studiosus, cum in Sclavonia reipublicæ causa versaretur, suo, & procerum quorundam arbitratu ad cæsarem adiit, rationesque conciliandæ amicitiæ in medium proposuit, quæ si utrique probarentur, videbat fore, ut & Fridericus de sua sententia

Itaque Varadiensis episcopus per se se cæsarem tentat.

(1) RAYNALD. ad an. præsentem. GOBELIN. Lib. V.

Annus Christi 1460.

Et Cretensis Archiepiscopus Hungaros.

tia aliquid remitteret, & Mathias haud ingratis conditionibus subscriberet. Quæ autem eorum capita fuerint, in obscuro est, nec, an regi penitus probarentur, affirmare quidquam habeo. Necdum enim eo loco id temporis res fuisse, ut inter æmulos solidæ amicitiæ spes esset, satis ex adventu Cretensis Archiepiscopi patuit. Qui cum ex Bohemia, & Polonia, quo anno priore legatus a pontifice missus est, reditum in Italiam per Hungaros pararet, haberetque in mandatis, ut si ex usu id sibi videretur, cæsarem, regemque pro componendis dissidiis conveniret, haud ita rem, ut arbitrabatur, complanatam reperit. Nam cum propterea diu cum Mathia, ac nonnullis optimatum egisset, maximeque Varadiensis episcopi, qui quædam amicitiæ capita jam conflasset, auctoritate uteretur, responderi postridie legato, ut conjecturam capio, per Varadiensem antistitem in hæc verba rex jussit. (1)

Cui Mathiæ nomine respondetur.

Reverendissime pater! ea, quæ reverendissima paternitas vestra hesterno die prolixioribus verbis commemoravit, serenissimus dominus rex noster satis clare intellexit. Explicavit siquidem in primis ipsa reverendissima paternitas vestra solicitudinem sanctissimi domini nostri, quam adhibuit concordandis principibus christianis, ea nimirum de caussa, ut quique domesticis turbationibus liberi, adversum communes inimicos, & fidei hostes unanimiter insurgerent. Tetigit defatigationes sanctissimi domini nostri, & habita propter hoc itinera, concilia & diætas. Novissime ob id ipsum & vestram reverendissimam paternitatem ad partes Germaniæ & Poloniæ ab apostolica sede transmissam, cui deinde in Bohemia existendi bullam facultatis oblatam cum mandato transeundi ad imperatoriam majestatem, & hoc regnum videlicet pro intelligendis utrinque differentiis, & concordia procuranda. Item demum labores, & tractatus una cum domino Varadiensi apud cæsarem habitos, & rem ad certos articulos deductam, regiæ majestati jam, ut dicitis, non ignotos, sed & per reverendissimam paternitatem vestram notificandos, & quoniam hæc res non esset particularis, sed publica, debere serenissimum dominum regem nostrum, & regni proceres circa eam nequaquam dormitare, aut torpere, sed vigilare plurimum, ac maturare, ne forte periculum interveniret ex mora. Super quibus serenissimus dominus noster rex, habita cum consiliariis suis deliberatione hunc in modum pro hac vice jubet breviter responderi. Quantum studii & industriæ ab ipso felici suæ vocationis exordio rebus christianis semper impenderit sanctissimus dominus noster, manifestum est, satisfecit plene beatitudo sua officio pastorali, cum nullum christianitatis latus providentiæ suæ expers reliquit, nec quidquam ex parte sua permisit intentatum. Qua in re maximas suæ sanctitati gratias debent omnes, qui usquam christiano nomine populi censentur, & præsertim hoc regnum, quod potissimum instante jam illustri dominio Venetorum beatitudinis suæ curam, & tam pias, ac studiosas visitationes frequentius experitur. Ceterum omisso illo reverendissimæ paternitatis vestræ ab urbe discessu, & itinere in Germaniam & Poloniam, & aliis rebus prudenter sane & magnifice gestis; quæ omnia nunc a proposito nostro remotiora videntur, descendendum est ad rem ipsam. Optat, & ad hoc se missum dicit reverendissima paternitas vestra, ut intelligat differentias inter imperatorem, & regiam majestatem existentes. Quæ quidem differentiæ, mirum est, si soli paternitati vestræ nondum sint notæ, cum & sedi apostolicæ non semel sint expositæ, & pene crebris auribus inculcatæ: coronæ scilicet detentio, metarum occupatio, impedita regni libertas, & alieni juris cum titulo nomen assumtum, unde adeo turbata sunt omnia, ut, quæcunque damna postmodum per Turcos illata sunt huic regno, & quidquid in Asiam usque perdidimus, inde caussas habuerunt; quia cum maxime habebamus animum resistendi Turcis, tum minime dabatur omnium vicino, & inopinato antea æmulo terga infestante. Necdum adeo fracti eramus, ut nostra armis recuperare, ac defendere animus nobis deesset, vel facultas, nisi, quod interim contigit, ut illinc vestra reverendissima paternitas ex mandato apostolico interveniret, hinc dominus Varadiensis in Sclavoniam dumtaxat missus, ad imperatorem Romanorum ultro diverteret, & ea tractaret, quæ in

certos

(1) Parte I. epist. MATHIAE CORVINI pag. 8. Cassov. edit. anno 1744.

certos redacta sunt articulos regiæ tum majestati in specie nondum apertos. Non enim dictum dominum Varadiensem sua Serenitas ad hoc adstrinxit, ut eos sibi ostenderet, quia non ex suo mandato, sed ex quorundam regni procerum consilio his se tractatibus inseruit. Vestram autem reverendissimam paternitatem, cum eos articulos opportunum duxerit declarare, serenissimus dominus rex libenter videbit. Quos quidem paternitas vestra maximi esse contendit ponderis, & momenti, nec ad particularia pertinere commoda, sed omnium in iis contineri, & propterea quam primum amplectendos esse, vehementer exhortatur, ad quam partem respondet regia majestas, pro præfatis articulis singilatim cogitans, & quorum interest, accedente consilio, facile ad id sua majestas poterit persuaderi, quod hujus regni spectat ad salutem, cum omnes suæ cogitationes, & consilia ad id maxime dirigantur, ut hoc regnum suum, quod christianorum propugnaculum dici potest, quietum reddat, conservet, & amplificet, & tandem adversus fidei hostes præcipue tueatur, quo totam potentiæ suæ summam convertere assidue cogitat, & intendit. Nunc autem serenitas sua, prout reverendissimæ paternitati vestræ intimatum est heri, & alia incumbunt negotia, licet his aliquanto leviora, dilationem tamen minus admittentia. Reverendissimus etiam dominus Strigoniensis necessitatem habet saltem quatriduo in ecclesia sua permanere, quo mox reverso, & his, qui vocati sunt, advenientibus, serenissimus dominus noster rex cum reverendissima paternitate vestra rem hanc amplius discutiet, & pertractabit.

Annus Christi 1460.

Rege negotiis publicis occupato.

Erat tum Mathias Vaciæ negotiis, quorum in responsione legato data mentio fit, implicitus, quæ ut multiplicia fuere, & reipublicæ omnino profutura, ita regis curas vehementius distraxerant, quam ut Cretensi aures vacuas præbere posset. Nam & cum Vayvoda Transalpinæ Valachiæ de ineunda concordia agendum erat, & dissensiones, quæ cum comitibus de Bozyn intercesserant, complanandæ; tum rejectis, quas Turcæ obtulere, induciis, Giscra Bohemus, copiis & auctoritate in Hungaria Polonis finitima admodum potens, quocunque posset foedere conciliandus, ut pacata Hungaria, regi vires omnes in barbaros convertendi citra molestiam facultas esset. Quæ quam felici eventu confecta sint, procerum non nemo ad Hieronymum Cretensem archiepiscopum, qui interea, dum Mathias domi occuparetur, ad Fridericum cæsarem concesserat, in hanc sententiam perscripsit. (1) *Ea, quæ post discessum reverendissimæ paternitatis vestræ acta sunt, & rebus hujus regni momentum afferunt, eidem aliqua ex parte, & alias intimavimus, & nunc summatim duximus commemoranda. In primis itaque cum Vayvoda partium Transalpinarum concordiam inivimus, qui etiam ad præsens contra Turcos agit feliciter, & fortiter, pro auxiliis quotidie solicitat. Nam conditiones illæ induciarum cum Turco constanter repulsæ sunt, non quia hoc tempore nobis damnosæ, sed quia ignominiosæ videbantur. Deinde cum comitibus de Bozyn facta pax est. Porro cum imperatore tractatum, prout scripsimus ex Berecz, super ea re, ut scilicet tractata cum eo pax confirmetur, nec non & pro aliis necessitatibus. Nunc generalem habituri sumus congregationem, & speramus omnia ad effectum successura. In præsentiarum hic Vaciæ constituti laboramus in facto Giscræ, quod & ipsum prospero jam fini propinquat. Hæc omnia ea potissimum intentione agitamus, ut tandem defensioni hujus regni adversum infideles, & christianorum propugnationi liberius vacemus. Ista, & alia credimus, quod reverendissima paternitas vestra tam ex litteris domini Petri Veneti specialius intellexit, quam ex oratore regio isthic affuturo intelliget. Commendamus ex affectu tam publica, quam etiam privata negotia reverendissimæ paternitati vestræ, quam omnipotens diu, & feliciter conservet incolumnem ad vota. Vaciæ anno MCCCCLX.*

Quorum rationes Varadiensis Cretensi per litteras reddit.

Giscra Hungaris per pacta conventa conciliatur.

Cum Giscra, quoniam adversus hominem inter devia silvarum latibula maxime abditum justo marte arduum, atque etiam intempestivum erat decernere, id consilii coeptum, ut agnita Mathiæ dignitate, id enim hactenus detrectaverat, suos, quos sub signis haberet, acceptis viritim, a legato pontifi-

(1) Epist. MATH. CORV. part. I. pag. 9.

Annus Christi 1460. cio stipendiis, in hostem duci pateretur. Atque id cardinalis sancti Angeli consilio actum ex litteris papae ad legatum datis conjicio, in quibus *de Joanne autem Giscra*, scribit, *& comitibus illis ad stipendium fidei conducendis, videmus, quid egeris, & quae illi impedimenta praetendunt. Si non possunt haberi, quos volumus, carendum non est aliis tamen, quos utiliter possumus conducere: tuum erit opus hoc, atque judicium.* (1) Quae res utcunque mihi dubium obmovet, satisne ex sententia, ut litterae ad Cretensem archiepiscopum datae memorant, negotium cum Giscra transactum fuerit, quod mihi praeterea ex instrumento publico certum fit, ab homine versipelli, commutata voluntate, Friderico caesari, velut regi Hungariae fidem sequenti anno obstrictam esse.

Mathiam ob rejectas, quas Turcae obtulerant, inducias Ceterum pontifex, comperto ex oratore, quem Mathias ad eum miserat, inducias ab Turcis oblatas, tametsi Hungariae utiles essent, regem ob commune bonum forti animo rejecisse, studium id vehementer laudavit, litterisque cohortatus est, ut tam egregiam voluntatem constanter retineret: daturum se operam, ut quadraginta aureorum numum millia regi transmitteret, quibus ad propulsandum periculum, si quod ob negatam barbaris pacem regno ingruat, pro arbitratu suo uteretur. (2)

Pius Papa II. Mathiae regi Hungariae illustri.

Pontifex palam collaudat. „ Charissime in Christo fili, salutem & apostolicam benedictionem! Venit ad nos dilectus filius Georgius Polycarpus cum credentialibus litteris, & circa factum Turcarum non nulla nomine celsitudinis tuae exposuit, in quibus diligenter, & cum fide se habuit, nihil omittens, quod ad officium boni servitoris pertineat. Respondimus ei ad singula, prout tua serenitas ex sua, & legati nostri, cui plenius scribimus, relatione poterit intelligere, rogantes, ut post tot labores usque in praesentem diem susceptos, post constantem etiam animum diu cum laude retentum, nunc, cum de successu rerum melius sperare licet, quam antea, nolit deficere. Nos enim casu, quo ventura aestate provisiones majores fieri non possint, de quibus tamen non desperamus, Deo volente, & ita promittimus, ut sint brevi in manibus praefati legati nostri, quadraginta millia ducatorum, quorum auxilio, si quae difficultates a Turcis vigebunt, possit pro nunc instanti periculo obviari. Non dubitamus, quin dietim grandiora praesidia sint affutura; & serenitas tua ex constanti proposito suo gaudium susceptura. Ad quae nos peragenda vires nostras omnes, & animam denique, si ita necesse erit, pro salute ovium nostrarum parati sumus conferre. Datum Senis XX. Februarii anno secundo. „

Bessarionis cardinalis in Friderico, & Mathia conciliandis studium. Edocuerat pontificem idem, quem Mathias miserat, Polycarpus, regem ab amicitia cum caesare concilianda nequaquam abhorrere, atque eum in finem certa pactorum capita, quae in nuperna Olomucii coitione Bohemiae rex proposuisset, & episcopus deinde Varadiensis complanasset uberius, non abnuisse, in quae foedus sanciretur: Caesarem contra futuros imperii conventus praetexentem prorogata pacis tractatione, nihil prorsus juri suo, quod paucorum procerum factione acquisivisset, derogatum velle, quae tergiversatio non solum Hungariae regno, sed universae christianorum reipublicae gravi detrimento olim futura esset. Pius nihil magis cavens, quam, ut ne in utramvis partem vehementior, aut studiosior eatenus videretur, quive in hac caussa nihil deproperandum alias censuisset, Bessarionem cardinalem per litteras admonuit, ut captato caesaris animo rem sic ad finem deduceret, ut & partibus bona fide conveniret, & nulla apostolicae sedi invidia isthinc conflaretur. Is, ut erat magnae apud imperatorem gratiae, explorata illius mente, in Hungariam abiit, easdemque prope pangendi foederis conditiones attulit, in quas quarto post anno utrinque conventum est, nisi

(1) Ex eod. Cod. MS. vaticano fol. 151. (2) Ibid. 150.

nisi quod cardinalis Friderici præterea nomine de læsa clam amicitia, turbatisque Hungarorum studio suis provinciis parum æquanimiter quereretur. Mathias auditis, quas legatus in medium proposuerat, conditionibus, exploratoque tum optimatum, tum provincialium judicio, ratas haberi oportere censuit, jussitque episcopum Quinque-ecclesiensem, quæ regis, regnique mens esset, in hanc sententiam explicare. (1)

Annus Christi 1460.

„ Reverendissime pater! nomine & mandato serenissimi domini regis, ac„ prælatorum, & baronum regni cum reverendissima paternitate vestra pauca lo„ quar. Caussam adventus vestræ paternitatis reverendissimæ, ac susceptos pro „ republica christiana labores regia serenitas & prius intellexerat etiam ex re„ latione reverendi domini Varadiensis, & postea commemorante ipsa reveren„ dissima paternitate vestra recognovit, missam scilicet tandem esse a sede apo„ stolica, inter alia pro differentiis inter imperatoriam, & regiam potestatem „ componendis. Qua in re tam regia serenitas, quam domini prælati & baro„ nes, ac regnum universum, quam possunt, maximas gratias agunt sanctissimo „ domino nostro, *quia visitavit, & fecit redemtionem plebis suæ, & erexit cornu* „ *salutis nobis*. Nihil profecto potuit sua sanctitas hoc tempore cogitare, & age„ re officio suo pastorali convenientius, nihil rebus christianis conducibilius, ni„ hil denique Deo & hominibus acceptius: & licet sacrosancta sedes apostolica „ semper habuerit hoc regnum perpetua sibi obedientia morigerum, nunc tamen „ adeo sibi omnes devinxit, ut nihil sit, quod non ei pro tanta in nos ostensa „ benevolentia debere fateamur. Florebit diu propter hoc beatissimi Domini „ Pii Papæ II. clarum ubique nomen, & nostri ejus meminerint minores. Ce„ terum ad quales articulos tandem deducti sint cum imperatore Romanorum „ habiti tractatus, regia majestas intellexit, super quibus cum consiliariis suis, & „ universitate regnicolarum merito existimavit conferendum; & quamvis nove„ rit, nihil se unquam adversus præfatum imperatorem commisisse, quod statum „ suum, & regni hujus libertatem perturbare conari debuisset, tamen cum in„ ter illius, & suos quondam prædecessores, amicitiæ, & confoederationes sem„ per viguerint, & id christianorum negotiis etiam nunc maximum afferat mo„ mentum, acceptare se omnia profitetur, & omnibus suum præbet consensum, „ quæ ad hujus tam utilis, & necessariæ pacis pertinent firmamentum; non at„ tentis dictorum articulorum difficultatibus, sed magis eorum, & temporis „ conditione pensata, acquievit in eo sua serenitas prælatorum, ac baronum suo„ rum sanioribus consiliis, & maluit in præsentiarum christianorum vacare de„ fensioni, quam injuriarum suarum vindictæ quoquo modo insistere. Domini „ autem prælati, & barones, quorum in persona omnia illa tractata sunt, idem „ fere pro sua parte respondent. Communicaverunt ea cum fratribus suis, & „ communitate regni, quantum opus fuit, & non quidem articulorum facilitate „ allecti, quorum sane graves sunt quidam, sed aliis etiam multis, & rationa„ bilibus caussis inducti, etiam onerosas concordiæ partes amplectuntur, ac pa„ ratos se ad omnia fore dicunt, quibus ea, quæ conclusa sunt, ad summam „ optati perducuntur effectus. Id esse ad præsens judicant optimum, & quan„ tivis emendum, si dissensionibus sopitis, confinibus restauratis, corona redem„ ta, pace undique parata, liberiores, & expeditiores per hoc contra hostem „ fidei, tam animis reddantur, quam viribus, de cujus terribili adventu fama „ in dies gravior pulsat aures. Proinde reverendissimam paternitatem vestram „ rogant, quatenus, si id sibi per mandatum apostolicum licet, ad imperatorem „ celerius revertatur, eidem tam pronam, & proposito accommodatam omnium „ nostrum voluntatem referat, mentemque ejus in pristina intentione stabiliat, „ vt feliciter coepta felici consummatione terminentur. Postremo reverendissimam „ paternitatem vestram, tam serenissimus dominus noster rex, quam domini „ prælati, ac barones, & cuncti regnicolæ, quantas animis suis concipere va„ lent,

Cui rex per Quinque ecclesiensem episcopum gratias agit.

(1) Epist. Math. Corvini parte I. pag. 13.

Annus Christi 1460.

„ lent, grates specialiter referunt, pro tanta in se affectione, pro susceptis tam „ studiose laboribus, pro summa in his rebus adhibita diligentia. Omnium „ quippe judicio reverendissima paternitas vestra non aliter pro hac patria la„ boravit, quam si oriunda esset ex eadem, nec quidquam prætermisit, quod „ ad honorem suum proprium, quod ad hujus regni tranquillitatem, quod de„ nique ad salutem totius populi christiani spectabat. Utinam aliquid pro reve„ rendissima paternitate agendum quandoque occurreret, experiretur certe, quam „ libenter vicem favoris rependerent, quam memores beneficiorum accepto„ rum forent. Nunc, quod possunt, reverendissimam paternitatem vestram meri„ tis prosequuntur laudibus, & honorifica saltem voce animorum suorum de„ bitam gratitudinem contestantur, quam tamen mox etiam litteris sanctissimo „ domino nostro, & orbi terrarum declarare non omittent. (1) „

Sed hanc conciliationis spem metus belli Turcici intercipit.

Bessarion tam prona regis, procerumque voluntate utendum ratus, in Austriam ad Fridericum revertit, nihilque eorum omittit, quæ ad conciliandam penitus inter æmulos amicitiam facere videbantur: jamque spes conflandi fœderis propemodum certa fuit, nisi res vulgato a Turcis metu, tum obortis, ut fit, alia ex alia causis, in tertium abhinc annum protracta fuisset. Metus ab Stephani Bosniæ regis inconstantia ortus: qui, postquam cum Turcis confœderationem iniisset, veritus, ut hæc æquo a Mathia animo acciperentur, legatos misit, qui factum elevarent, referrentque, barbaros, nisi pax confecta esset, in Hungariam irrupturos fuisse: cum quibus ubi proceres regis jussu sæpe, & clam agere cardinalis sancti Angeli videret, injecta est viro ceteroquin prudenti inanis suspicio, Hungaros ab ineundo cum barbaris fœdere non alienum animum gerere. Itaque ad Pium omnia diligenter retulit, oravitque, ut, si fœdus cum Turco reipsa coalesceret, aut quod maligno itidem rumore vulgatum est, cæsar infesta Hungariæ signa inferret, quid sibi agendum, omittendumve esset, significare ne gravaretur. Cui pontifex, qui, quid ea in re constitueret, haud satis exactum habebat, ita rescripsit. (2)

Cardinalis S. Angeli propterea suspiciones inanes;

Ut ex pontificiis litteris liquet.

Redditæ sunt nobis proximis diebus quam plures litteræ tuæ, ex quibus de statu regni Hungariæ, & his, quæ timeri verisimiliter possunt, plene intelleximus. Non est dilecte fili, quod ultra dicamus, nisi, ut doleamus peccata hominum quotidie nos difficultatibus novis involvere. Hungaria, quæ hucusque pro fide catholica murus permansit, hinc a christianis, illinc ab infidelibus armis appetitur. Opem, quam his malis posset afferre, subtrahit nobis principum christianorum negligentissima tarditas. Ex nobis ipsis, cum egeni omnium simus, remedium invenire non possumus. ... De treugis autem cum Turco ineundis idem dubitamus, quod circumspectio tua, nec quomodo impediri tractatus hujusmodi possint, satis videmus, occulte enim agunt omnia, ut scribis, & eis plus spei dare eorum imitatione non possumus, quam nobis a christianis principibus porrigatur. Quæ enim de conducendis stipendio nostro duodecim millibus equitum ipsi regi polliciti sumus, ea semper conditione sumus polliciti, si per eos, qui contribuere habent, id nobis licebit, quorum nunc, cum miram tarditatem intueamur, nescimus, quo pacto præsenti anno dari id auxilium possit. Tua circumspectio, quæ prudentissima est, in his difficultatibus id amplectatur, quod nunquam malum esse cognoverit. Nos etenim ad cuncta, quæ scribis, aliud scribere non habemus, quam ut, quod usque in præsentem diem fecisti, facere in futurum non desinas. Et invalescentibus cum Turco tractatibus, vel imperatore in Hungariam transeunte, de discessu, & mansione id agas, quod præsenti rerum statui, & honori nostro, ac tuo videbitur convenire. Consilium vero de armandis navibus decem, & transportando Constantinopolim milite nobis non displiceret, si Budæ fieri hoc posset, & facultates adessent.

(1) Bessarioni cardinali, non item sancti Angeli, aut Cretensi archiepiscopo hæc tribuenda suspicor: quod dedita opera ad conciliandos Fridericum & Mathiam a papa recens missus dicitur cum titulo legati: quorum prius in cardinalem sancti Angeli, postremum in Cretensem archiepiscopum minime congruit, constat autem Bessarionem ea de causa missum, ut perhibent Pii litteræ, quarum supra memini.

(2) Ex cod. Ms. vatic. fol. 182.

essent. Verum utrobique ea est difficultas, quod cogitationibus nostris modus non adest. Probamus judicium tuæ circumspectionis in non expendenda pecunia ad te missa, si Hungari in facienda pace, vel treugis cum Turco perseverabunt, quin imo volumus, & mandamus, ut illam ex manibus comitis Stephani ad te ipsum recipias, & diligenter custodias, donec, quem exitum tractatus hujusmodi habebunt, plane perspicias. Datum Senis XXV. Aprilis anno secundo.

Annus Christi 1460.

Sed de cæsare vanus plane metus erat, quod plus illi curarum domi, ob dissidia cum Alberto fratre, & apertas cum Viennensibus seditiones obortum fuerit, quam ut Hungariam armis invadere posset, nec verisimile sit, eo tempore aliquid illum in Hungaros moliri voluisse, quo certa conficiendæ pacis spes veluti præ foribus erat. Neque magis credibilia fuere, quæ de conciliando inter Hungaros, & Turcos fœdere legatus ad pontificem scripserat; quod hi Bosniæ regis legatos ab confecta cum barbaris pace omni studio abstrahere niterentur, bellum etiam comminati, nisi rex Hungariæ fiduciarius imperia faceret. Id ubi ab Stephano intellectum est, ut Mathiæ animum deliniret, non solum fœderibus renunciaturum se receperat, sed Patarenos etiam manichææ insaniæ sectatores datis sub hasta fortunis regno exesse jussit; simulque Romam oratores legat, qui episcopos orthodoxos in Bosniam mitti peterent, &, si faciles aures nanciscerentur, rogarent pontificem, ut coronam, qua cum ipse, tum successuri deinceps principes redimendi essent, adjicere ne gravaretur. Ejus postulatis Mathias ut primum a Pio de iis edoctus est, continuo intercessit, deditque ad eum gravissimas litteras, quibus vafrum hominem id operam solum dare declarat, ut pietatis larva proditionem Zendröensis arcis extenuaret. Nimis facilem connivendo pontificem fuisse, durum, & versatile hominis ingenium severitate magis, quam mansuetudine ad viam potuisse revocari, oratum denique velle, ne ea in re Hungariæ juribus, quæ perspicua prorsus essent, quidquam postea derogatum iret. Plena est epistola & singularis in papam humanitatis, & exquisitæ in vindicandis regum juribus temperantiæ: itaque non indigna, quæ aliquem in annalibus locum habeat. (1)

Bosnensis regis legati Mathiam placare nituntur.

Mathias rex Pio papæ II.

„ Beatissime pater! post devotam commendationem ad pedum oscula „ beatorum. Nunc primum redditæ sunt nobis litteræ Sanctitatis vestræ, XII. „ calendas Februarii datæ. Ex quibus intelleximus, quemadmodum Sanctitas „ vestra, non quidem immemor, quantorum malorum reges Bosnæ, pater quondam, & qui nunc superest, filius huic regno Hungariæ, & universo nomini „ christiano causa exstiterint. Verum certis, & idoneis mota rationibus eosdem „ resipiscentes ecclesiæ gremio admisisset: propterea nos etiam quasi ad exemplum sui monet, & hortatur, ut præfatum regem, ad nos humiliter revertentem susciperemus, ne forte habita repulsa, desperatione adductus, cum „ majori nostro, & omnium detrimento iterum se ad hostem fidei transferat, & „ sint novissima hominis pejora prioribus. Equidem beatissime pater! sacrosanctæ Apostolicæ sedis monita, & cohortationes, more prædecessorum nostrorum merito semper plurimi fecimus, & facere proponimus in futurum, cujus salutifera consilia non minus habent providentiæ, quam auctoritatis, & ab „ optimæ mentis radice profecta, nunquam nisi ad finem communis boni diriguntur. Accedit eo, quod & nobis ex ipso regali officio incumbit, non denegare supplicantibus veniam, & ad cor redeuntibus clementiæ sinum aperire, „ atque ut acceptorum beneficiorum tenaciter meminisse, ita injuriarum facile oblivisci. Verum in rebus arduissimis nequaquam abutendum est miseri-

Qui eum in gratiam a pontifice receptum ægre fert.

cor-

(1) Part. I. epist. MATH. CORVINI, pag. 63. sed male, ut opinor, ad annum 1462. locata, ut ex epistola pontificis responsoria, quam mox proferemus, patet: in qua cum pontificatus ponatur annus secundus, liquet, annum 1462 non congruere, cum Pius cœperit anno 1458. exeunte ecclesiæ præesse.

Annus Christi 1460

„ cordia, ſed auſteritate temperanda manſuetudo; ne nimis promta lenitas ſecuritatem provocet delinquendi. Memoria quidem hominum nemo tantum in nos, & reliquos chriſtianos facinus admiſit, quantum rex Boſnæ, qui, cum eſſet ſubditus regum Hungariæ, a quibus omne jus regni habet, non ita magna neceſſitate compulſus deſcivit ad Turcos, & inimicos crucis tributi ſui penſione reddidit fortiores, nec eo contentus, ſimulavit reconciliationem, &, cum aliter non poſſet, fœderibus ſancitis, ac fide data, dominos, & benefactores ſuos ita circumvenit, ut, cum propria ſpopondiſſet auxilia, etiam id, quod a nobis acceperat, tradidit adverſariis. (1) Ex quo quantum terræ deſolatum, quot fideles animæ in ſervitutem profanæ gentis abductæ ſint, enarrari nec poteſt, quia eſt immenſum, nec debet, quia notorium. Porro tantæ ſibi perfidiæ conſcius, veniam ab his, quos offenderat, vel petere erubuit, vel impetrare deſperavit. Sed pro voto nactus ſedem Apoſtolicam, ad indulgendum naturaliter pronam, & utpote alieni vulneris dolores minus ſentientem, & propter loci diſtantiam ad receptionem facilem, inſinuatis oblique blanditiis ita delinivit pie credulum judicem, ut, unde pœnam merebatur, inde obtinuerit gratiam, ignorantibus, vel forte & invitis his, quorum maxime intererat. Nam ut ex litteris Sanctitatis veſtræ plane deprehendimus, impenſa eſt regibus Boſnæ, patri prius, nunc etiam filio ab Apoſtolica ſede tanti criminis abſolutio. Nihil dicimus, quin hoc fieri potuerit, quin ſufficientibus ex cauſſis, & rectiſſima intentione factum ſit: id ſaltem voluiſſemus, cum in talibus pœnitere non ſit ſatis, & peccati remiſſio exigat aliquam ablati reſtitutionem, ut cum abſolutione injuncta foret & ſatisfactio, cujus jam injungendæ minor opportunitas eſt. Cum recenti facinore mordebatur æſtuans conſcientia, cum ſibi ex noſtra, & omnium chriſtianorum juſtiſſima indignatione perniciem imminere formidabat, cum denique Turcis proditionem quidem ſuam gratam, ſe vero proditorem inviſum eſſe ſentiebat, & non minus diffidebat iis, quos læſerat, tunc receptus omnia imperata feciſſet, ac totis viribus illatam injuriam compenſare tentaſſet. Nunc, cum habet, tota quod mente petivit, & inſuper faveri ſibi videt, ſatis ſe nobis præſtare credit, ſi non rurſum Turcus fiat. Abſit, ut Sanctitas veſtra, niſi cum ſumma ratione, quidquam agat, & omnino aliter judicare nefarium eſt, ſed animadvertat quæſo, numquid ad bonum finem facta contrarios forte alibi parturiant effectus. Nos pridem ſupplicanti ideo duriorem animum oſtendimus, nec voluimus in parcendo eſſe præcipites, & laxandas in tempore clementiæ habenas pauliſper ſuppreſſimus, ut illum inter alia etiam ad aliquam ſatisfactionem rependendam impelleremus. Et jam tractabiliorem ſe exhibebat, jam pro emendatione culpæ ſubſidia pollicebatur, jam caſtella ſua, & arces, præſertim Turcis finitimas, in noſtras ſe manus dediturum offerebat, unde e proximo paria hoſtibus damna inferrentur. At ubi vidit interim non modo indultum ſibi a ſede apoſtolica, verum etiam ſpeciales ad ſe legatos mitti, & per eos non ſine gravi, & evidenti regum Hungariæ præjudicio coronari, & ita in regno confirmari, ac novorum ſibi epiſcopatuum fundationes permitti, & terras ſuas baliſtariorum præſidiis muniri, factus eſt negligentior, & non ſolum pollicita revocat, ſed etiam poſtulata detrectat, ut apprime verendum ſit, ne palam rebellandi ſpiritu aſſumto, caput ſuum contumax membrum non recognoſcat. Qua ex re quid tandem ſequi poſſet, non eſt occultum, diſcordiæ ſcilicet ſomes, & ſeminarium. Nam ſi pro viribus noſtris utendum erit judice bello, arma tenenti, qui juſta negat, fortaſſe omnia dabit. Rogamus igitur Sanctitatem veſtram obnixe, ut indulgentia ſua confidentiam hominis non amplius alat, ac, ſi quæ legati Apoſtolici extra mandatum ſunt auſi, jubeat eſſe irrita, & generaliter in his, quæ juris noſtri eſſe videbuntur, remittat eum ad nos, ne contra eos, a quibus omnia expectare debet, criſtas erigens, paratas alio manus in ſui vertat vindictam. Ceterum quoquo modo res iſtæ hactenus proceſſerint, nos tamen nihilominus Sanctitatis veſtræ monitis, & exhor-

„ tatio-

(1) Arcem Szenderö intelligit, quam Turcis vendiderat, ut alias memoravimus.

tationibus acquievimus, ac regem ipsum per oratores suos nunc præsentes deprecantem benigne suscepimus, ita tamen, ut deinceps debitum suum fidelius exequatur, & commissa corrigat ulterius obsequendo. Quod si hactenus fecisset, fuisset tam nobis, quam sibi salubrius. Et nunc, si in officio persistat, habebit benevolentiæ nostræ dignos favores. Ad hoc eum etiam vestra beatitudo inducere dignetur, quam omnipotens diu, ac feliciter servet incolumem regimini ecclesiæ suæ sanctæ. Datum Budæ MCCCCLX.

Annus Christi 1460.

Offensum propterea regem papa placare nititur

His cognitis pontifex, ne intempestivo in Bosnensem studio, Mathiam irritaret, & apparatus, quos eum in barbaros facere constabat aliorsum converteret, facti sui rationes in hunc modum reddidit. (1)

Pius Papa II. Mathiæ regi Hungariæ illustri.

Charissime in Christo fili! timere Celsitudo tua videtur per litteras, quas proxime accepimus, ne propter adventum oratorum Bosnensium ad concedendos illi regno episcopos, dandamque Thomæ regi coronam, faciles aures præbeamus, ostendens omnia hæc ad velandam proditionis suæ infamiam pertinere. Nos autem, charissime fili, non ita sumus harum rerum ignari, aut ad gratiam faciles, ut non etiam extimeamus, quæ sequi ex concessione hujusmodi ulterius possent. Novimus, quæ Thomas prædictus in tuam Serenitatem commisisse, quam in gravem christianorum causam peccasse asseritur. Scimus multæ considerationis esse debere, episcopos, ubi non sunt, de novo instituere: tenemus quoque memoria, hanc ipsam coronam fuisse a nostris prædecessoribus sæpius postulatam, neque tamen unquam obtentam, quam si ulla ratione fuissemus daturi, non sine honore, & beneplacito tuo, qui jus ad illam prætendis, dandam censuissemus, de ea tamen nullum per oratores verbum est factum: conati sunt tantum regis calumniam excusare, asserentes, quæ de Zenderö acciderant, necessitatis fuisse, non voluntatis. Bonam insuper regis mentem ad veræ fidei cultum, vel ex eo probare sunt nisi, quod perniciosam Patarenorum gentem ex omni ditione sua expulerat. Episcopos, fatemur, cum instanter postularent, illud tamen per singula petierunt, ut mittere illuc ex nostris aliquem dignaremur, qui gestorum suorum, & petitionum, quas fecit, diligens, ac verus esset scrutator. Hoc nos ideo facere gravati non sumus, quod missionem nuncii nostri vidimus nulli rei posse obesse: ad referendum, non ad concedendum jussus est proficisci. Curabimus, ne Celsitudo tua ignoret, quantum nos tibi, regnoque tuo afficiamur. Nec credere debes sedem apostolicam aliquid concessuram, quod vel Deo ingratum, aut tibi præjudiciale esse quomodolibet possit. Pontificem habes, qui & justi est cultor, & quemque in suo jure servare desiderat. Commendamus tuæ Serenitati, licet opus non sit, causam catholicæ fidei, pro qua hucusque pugnasti, commendamus legatum nostrum, qui illius servandæ gratia plures jam annos regno, quanta potest cura, tecum laborat. Datum Petrioli Volaterranæ Diœcesis septima Junii, anno secundo.

Et acceptos primum ab se Bosnenses oratores satis illiberaliter diserte alias ad cardinalem scribit, *cum*, inquiens, *ad nos venissent sui oratores, vehementer eos increpuimus pro his, quæ de eo jam ferebantur, satis docentes, quam displicitura nobis esset omnis ejus cum Turco conventio. Non sumus ita rerum ignari, aut officii nostri immemores, ut auderemus quidquam hujusmodi non modo perficere, sed etiam tacite cogitare. Hæc te sic, ubi rumores hi valent, respondere, & affirmare optamus, omnibus palam faciendo nihil toto pontificatu nostro accidisse, quod magis fuerimus detestati, & cor nostrum dolentius tulerit.* - - - (2) Sed postea, quam istorum lenociniis, pollicitisque circumventus esset, paulo mitiorem se iis præbuit, ex quo Mathiæ, ut antea narravimus, suspicio injecta est, ne quid a pontifice juribus suis derogaretur.

Eadem de causa ad legatum suum in Hungaria scribit.

Quam ut regi penitus eximeret, haud satis Pio fuit eum litteris, quarum nunc meminimus, convenisse: ad legatum præterea suum alias dederat, qui-

(1) Excod. Mſ. Vatic. fol. 203.

(2) Ibid. fol. 150.

Annus Christi 1460.

quibus eum admonet, ut Mathiæ animum pacare niteretur, simulque, quid de Patarenis, quorum legatus ad pontificem prius scribens mentionem fecit, sibi videretur, respondet, tum oratorum Hungariæ, qui nuper Roma rediissent, egregia in se studia ob religionis defensionem placere sibi indicat. (1) *Dilecte fili! intelleximus ex ultimis litteris tuis, quæ de rebus Bosnensibus in statu regni Hungariæ significanda nobis putasti. Vidimus quoque, quid charissimus in Christo filius noster, Mathias rex de adventu oratorum Thomæ regis anxie suspicetur: eidem pluribus scribimus, qualis sua petitio fuerit, quale nostrum responsum, superfluum judicantes circumspectioni tuæ iterare, quando ex copia præsentibus introclusa poteris cuncta plene cognoscere. Hoc solum significasse sumus contenti: nos, qui non aliter, quam tu, de rege Bosniæ sentimus, concessuros nil esse, quod nostram, & Mathiæ præfati æstimationem possit quoquomodo offendere. Duci Stephano* (2) *de non recipiendis Patarenis mandatum, quod suades, per litteras, & oratores nostros diligentissime fecimus, nec, quoties occasio fuerit iterare, id omittemus. Atque utinam monitiones nostræ ita semper sint salutares, ut promte fiant, ubicunque profuturas cognoscimus. Si oratores Hungarici, sicut scribis, in reditu suo multa de voluntate nostra erga opus fidei prædicarunt, est, quod agamus gratias Deo, qui rectam intentionem nostram, obscuram esse non patitur: optima certe, & ad commune bonum semper fuit directa. Circumspectionem tuam hortamur, ut institutum fortiter, & pie agendi, in quo plures jam annos perseveras, usque in finem velis servare. - - - Datum Petrioli VII. Junii anno secundo.* Mathias tam litteris pontificiis, quam cardinalis adhortatione, ac oratorum suorum, qui Roma redierunt, precibus permotus Bosnensem oblitterata perfidiæ memoria, serius aliquanto post tempore in gratiam, & clientelam recepit.

Conventus Norimbergensis sine ullo operæ precio solvitur.

Hæc inter atrocibus principum odiis Germania exercebatur, ut adeo comitia, quæ Norimbergam superiore anno a pontifice ad verni jejunii tempus concita memoravimus, ut eorum, quæ in Mantuano conventu statuta erant, rationes singilatim inirentur, nullo operæ precio coepta fuisse videri possint. Pauci enim domesticis dissensionibus impliciti Norimbergam comparuerant, aut legitima auctoritate destituti, nihil, quod ad rem attinebat, decernere potuere. Itaque Bessarion legatus apostolicus laborum opera frustratus Pium singilatim de omnibus edocens, principum studia adeo intepuisse scripsit, ut belli adversum barbaros communibus viribus decernendi, quo tamen tot annorum molitiones in primis spectabant, spes nulla superesset. Graviter id tulit pontifex, qui non modo hostium progressiones Latinorum dissidiis augeri providerat, sed Orientales etiam principes, quibus turpiter verba data fuissent, furori barbarorum objici metuebat; quod eventu prorsus comprobatum fuisse, ad sequentes annos, quantum ratio annalium patietur, memorabimus. Pius igitur, ne sibi ex principum inertia quidquam invidiæ olim consciceretur, præsertim, quod Hungari quoque crebro questi essent, se frustra tam diu spe lactatos, pene solos immanissimis hostibus destitui, rursum litteras ad Germaniæ principes ejusdem ad singulos tenoris misit, quibus dissoluti sine fructu conventus causas diserte explicat, tum spem futurorum objiciens, ut Neostadium, quo ab imperatore evocandi essent, ad calendas septembres coire ne detrectarent, impense hortatur. (3)

Pius Papa II. Principibus Alemanniæ.

Graves propterea pontificis querelæ.

„ Quanto dolore cor nostrum affligant dissensiones Germaniæ, quæ post
„ diætam Mantuanam sunt suscitatæ, testis est Deus cordium nostrorum scruta-
„ tor, testes omnes, qui loquentes nos audierunt: certe judicio nostro non poterat

(1) Ibid. fol. 203.

(2) Nisi hic sit Stephanus regis Bosnensis ex Vojaccia concubina filius. S. Sabæ dux, ut Du fresne in familiis Dalm. & Slavon. Cap. 8. meminit, non conjicio, quis alius ab hoc esse possit.

(3) RAYNALD. ad annum 1460.

„ terat major plaga inferri fidei causæ, non poterat funestius malum ad perturbandam populi Christi salutem, vel cogitari vel fieri. Prævaluit tandem hostis noster adversum nos, plusque in animis hominum potuit terrenus affectus, quam ratio proprii debiti. Promissa servata non sunt, pax non stabilita, ardor belli, & mutuæ ultionis aviditas, quæ sancte erant excogitata, uno turbine abstulerunt. Venit ad diætam Norimbergensem legatus noster, rari illuc convenerunt, inter quos est parum exauditus. Viennam inde se conferens, cum frequentes principes juxta promissa conventuros speraret, illorum oratores quam paucissimos habuit; eosque non satis instructos ad illa, quorum causa convenerunt. Possumus nimium fortem christiani populi deplorare, negligentiam potentatuum accusare possumus nos coram Deo, qui annunciare illis verbum salutis non recusavimus, & opere implevimus, quod faciendum suasimus. Quamquam autem hæc ita se habeant, non tamen divinæ pietati est diffidendum, nec præsentium malorum reparatio penitus desperanda. Agit omnia divina sapientia certo judicio suo, inscrutabili mentibus hominum. Permisit fortasse arma hæc sumi, ut contentione dimissa, paratiora illa sint in obsequium fidei: passus est effundi odium, quod ex longo erat conceptum, ac, nisi erumperet, sanari non poterat, ut diuturnior pax inde sequeretur. Cum autem idem noster legatus ad tollenda hæc impedimenta dies, ac noctes laboret, imperialisque majestas & ad sedandas discordias, & ad implenda omnia in conventu Mantuano conclusa, intentum se esse per litteras suas testetur, propterea que diætam, quæ in nova civitate proxime haberi debuerat, ad proximas calendas Septembris prorogari curaverit, & ad eam per litteras suas convocaverit principes nationis, hortamur nobilitatem tuam in domino, & per eam, quam nobis obedientiam debes, enixe requirimus, ut omnibus impedimentis remissis, quæ pro Deo non sunt attendenda, velis vel personaliter, quod imprimis est opus, vel, si id extrema necessitas prohibeat, per oratores dignos, plenam potestatem habentes, ad præscriptum tempus illic comparere, officiumque catholici principis, Deum, & matrem ecclesiam reverentis implere. Hæc enim unica salutis via ostenditur, hæc sola ratio creditur, per quam stare res Germanica possit, & indictum pro fide bellum feliciter peragi. Te autem, ac reliquis non comparentibus, primum honor nationis offenditur, deinde spes exspectantium præsidium frangitur, postremo patria tota intestina clade absumitur, &, quod dolenter referimus, hostibus nostris vires, animusque accrescunt. Sæpe hæc scripsimus, sæpe per oratores, & nuncios nostros prædicari curavimus, sæpe nos ipsi & Romæ, & Mantuæ in publicis conventibus sumus testati. Vox nostra quamquam & salutaris, & pia, a paucis est exaudita; non creduntur pericula, quæ sunt ab oculis longius posita, sed pro dolor! si negligentes erunt potentatus christiani, si intenti præsentibus, de futuris cura non erit, cadet aliquando divino judicio super eos hæc tempestas, lugebunt mala, quæ non timuerunt, optabunt, quæ non adinvenient, omnisque tarditatis, & desidiæ pœnitentia sera erit, atque inutilis; quæ ne accidant erit tuæ, & reliquorum prudentiæ in tempore providere. Datum Romæ VIII. Julii anno secundo. *Annus Christi 1460.*

Verum ubi hic etiam conatus frustra fuit, iterumque rumor de Turcorum in Hungariam apparatu vulgatus omnes percelleret, Hungari ab cardinali Nicæno duodecim equitum millia, quæ se Pontifex suppetias missurum spoponderat, ad avertendum id periculum per nuncios petiere. Bessarion, qui justas istorum preces intelligeret, neque tamen ob penuriam, qua pontificem laborare non ignorabat, posset opitulari, cæsarem aggressus intentissimo studio egit, quo eum ad conciliandas, si pax non coalesceret, cum Hungaris inducias permoveret, ratus, eo modo satis caveri interea his posse, ut hac parte metu liberi omnes belli nervos in hostem converterent. Neque nullam induciarum spem Fridericus fecerat, qui ipse cum Australibus ob fratris æmulationem dissidiis obortis haud satis tutus a bello fuit. Itaque cum proceribus Hungaris, qui ut rex cum cæsare con- *Spem conciliandæ inter Fridericum, & regem pacis.*

Annus Christi 1460.

Papa litteris ad illum datis confirmat.

Difficultates eatenus objectæ.

conciliaretur, magnopere laborabant, de induciis in biennium sanciendis actum est. Quæ ut quantocius ad optatum finem adducerentur, pontifex Hungariæ optimates per singularem nuncium in saluberrimo hoc consilio confirmavit, datisque ad Fridericum litteris, ne se iis duriorem præberet, in hæc verba obtestatus est. (1) *Charissime in Christo fili! Quamvis nos a nostris, & apostolicæ sedis legatis, atque etiam ex tuæ Celsitudinis litteris intellexerimus, in facto regni Hungariæ tractatum pendere super pace, aut treugis, tamen, quia summo desiderio hoc tempore ipsam fieri cupimus, exigente hoc publica christianæ fidei, & ejus adversus Turcorum præsumptionem extrema necessitate; ideo iterum, atque iterum rogamus tuam Excellentiam, ut omnibus tuis desideriis, quamquam etiam justissimis, orthodoxam nostram christianæ religionis fidem, & ejus defensionem, maxime nunc, cum periculum immineat, ut decet religiosissimum imperatorem, pro Dei, & tua gloria, & cunctorum tibi subditorum salute anteponas, & receptis treugis biennalibus, cum prædictis adversariis deinde conatum tuum ad obviandum Turcis, Christi contemtoribus convertas. Nos enim, si hoc, ut speramus, tua Majestas facere dignabitur, non dubitamus nostrum potentem Deum, tuis desideriis propitium futurum, ut eo duce cuncta feliciter assequaris. Scribimus etiam similes litteras ad venerabiles fratres, & dilectos filios, episcopos, ac barones regni Hungariæ, pollicitando nos, quantocius commode fieri poterit, omnem operam daturos, differentiam omnem, Deo concedente, componendi. Litteras autem nostras, ad jam dilectos dictos filios prælatos, & barones per alium nostrum oratorem, quantocius mittemus, qui inprimis se tuæ Celsitudini, dum venerit, præsentabit; consequenter, si annueris, legati nostri directione ad Hungariam petiturus. Datum anno secundo.* Eodem pene argumento ad Nicænum cardinalem scripsit, imperavitque, sedulus in eam rem incumberet, ut biennales induciæ conflentur, id enim Hungaris eo tempore, quo barbari recuperatis in Ægeo mari prope omnibus insulis hoste liberi, illorum regno incubituri ferebantur, percommodum fore. *Placent*, inquit, *mirum in modum, quæ de treugis cum Hungaris ineundis nuperrime inchoasti, rogamus, quamquam opus non sit, ut occasionem hanc urgeas.* (2) Toties cœptæ, & rursus interruptæ ad conficiendas inter cæsarem, & regem inducias tractationis causam in Fridericum ab scriptoribus rejici comperio, qui præter auri summam pro redimenda corona supra pignoris rationes exauctam, oppida, urbesque, quas in finitima Austriæ Hungaria possederat, juribus suis constanter obnoxia esse voluerit. Neque satis mihi compertum est, an pertinax propemodum pontificis studium, legatique opera, quidquam nunc valuerit, cum, ut sequente anno evenerat, cæsaris oratores cum Mathia ex arbitrio Bohemiæ regis Olomucii frustra rursum propterea convenisse perspicuum sit.

Asiaticorum principum legati facto per Hungariam itinere,

Romam profecti adventus sui causam exponunt.

Sub idem tempus oratores ex Asia a fœderatis principibus missi, facto per Colchidem, & Scythiam Europæam itinere, transmissoque Tanai, ac Danubio per Hungariam ad pontificem profecti sunt. Accepti ab Mathia liberaliter, communicatisque cum eo consiliis, quæ regi ingentem profligandorum barbarorum spem injecerant, ad Venetos delati, magnisque isthic honoribus exculti, Romam paulum post pervenerant, quam Pius soluto Mantuano conventu in urbem rediisset. Auditi coram pontifice in hunc modum verba fecere. (3) *Misisti ad nos Ludovicum Bononiensem professione minorem, qui ait te Mantuam petivisse, ut conventu cum christianis celebrato, Mahumeti Turcorum imperatori bellum inferres. Cupere principes nostros, cum tu in Europa illum oppugnaris, in Asia tumultum excitare: placuit sermo. Oderunt Turcos nostri principes, te amant, & Christi vicarium venerantur; parendum tibi esse fatentur: eam ob causam, cum gravibus inter se odiis discordarent, bellumque gererent, jubente nuncio tuo arma deposuere, parati, dum jusseris, adversus Turcos ea resumere. Centum viginti millia pugnatorum, cum volueris, præsto aderunt: in Asia usque ad Hellespontum, & Thracium bosphorum*

Ma-

(1) Ex cod. Mſ. Vatic. fol. 183.
(2) RAYNALD ad annum præsentem.
(3) GOBELIN lib. 5.

Annus Christi 1460.

Mahometis imperium invasuri, dum tu pari modo cum Occidentalibus populis aggrediaris Turcos. Ad hoc missi sumus, , simulque ut tuos osculemur pedes, tamquam vicem Dei tenentis in terra. Nobis fœderati sunt, Bendias Mingrehæ, & Armeniæ rex, & Pancratius Iberorum, qui nunc Georgiani vocantur, & Manio marchio Goriæ, & Ismael Sinopi dominus, & Casatimenæ, cui pater fuit Spediar, & Rabia dux Anagosiæ, & Caramanus Ciliciæ dominus, quorum maxima erunt præsidia. Illud tantum ex te nunc petimus, ut Ludovicum, qui nos huc adduxit, super eos, qui Romanum in Oriente ritum custodiunt, & tuæ sedis fidei consociantur, patriarcham constituas. (1) Pontifex, qui multo ante per litteras ad ducem Burgundiæ scriptas, quarumve supra a nobis memoria injecta est, de Asiaticorum in barbaros studio edoctus fuisset, laudatis palam oratoribus, *quæ obtulerant, magni se facere ostendit, quæ Mantuæ gesta fuissent, exposuit: se fecisse, quæ potuisset, non concurrisse christianos reges, sperare tamen concursuros, si norint Orientalium propositum, utile videri legatos ipsos per Italiam trans Alpes in Gallias proficisci, eademque regi Franciæ, ac duci Burgundiæ dicere, quæ se coram exposuissent: sine Francis expeditiones, quæ dignæ sint, difficile fieri posse, eam esse nationem, quæ sæpe adversus infideles terra, marique gloriose certaverit, & nunc eam Turcis præcipue timendam fore.* (2) Ad Gallos deinde, & Burgundum profecti, expositaque coram ipso legationis causa (3) præter inanes spes, & verba amplissima nihil operæ retulerunt: quo factum, ut postea, quam barbari, quid hi agerent, comperissent, conversis in eorum principes armis, Latinorum societate, quemadmodum utrinque conventum erat, destitutos nullo negotio reductis in provinciam ditionibus, regno, vitaque plerosque exuerent. Sed hæc ad Asiam attinent.

Præter spem tamen suppetiarum nihil referunt.

Annus Christi 1461.

Mathias, cum Neostadiensem conventum, quo suos itidem oratores ad lites cum Friderico complanandas mittere constituerat, frustra a pontifice indictum cerneret, velletque finem aliquando dissidiis, regni causa cum cæsare obortis imponere, causæ arbitrium, consentiente Friderico, rursus Bohemiæ regi obtulit; ac propterea in principio sequentis anni Olomucium profectus est. Cæsar intestinis partium studiis domi retentus, eodem Gurcensem episcopum cum Georgio comite de Bozyn miserat, additis mandatis, ne quid, quod suo nomini, juribusque parum æquum esset, indecorumve, ausint transigere. Ea res, cum legati nihil ex postulatis, incitante, ut fama erat, Georgio Podiebradio, immutari paterentur, in causa fuit, cur partes re iterum infecta utrinque solverentur. Mathias, seu quod irritos suos conatus videret, seu alia de causa, æger primum animo, tum morbo correptus Trenchinium abiit, ubi recepta mox valetudine Bohemum firmatis rursum pactis sponsalitiis sibi arctius conciliavit, dote, quam sponsæ daturum se receperat, publicis litteris octavo calendas Februarias signatis confirmata; quibus interposita Strigoniensis archiepiscopi, & quos secum duxerat, procerum fide, castra quædam cum insulis, & quidquid Cilejensis Barbara Sigismundi regis conjux dotis nomine olim possedisset, se consignaturum pollicitus est. Sponsa calendis Maji Trenchinium, tum Budam traducta paulum post regi in manus convenerat, quartoque abhinc anno, prius, quam Mathias corona insigniretur, improlis tumulo illata. (4)

Rursum, sed frustra Olomucii pacis tractatio habetur.

Mathias dotem sponsæ Trenchinii publicis litteris confirmat.

(1) Majori numero auxilia & Persarum rex, & Georgianorum dux in litteris, ut ad priorem annum memoratum est, promisere. Quas etsi dubium non est ab his oratoribus allatas esse, ne tamen annorum series interciperetur, occupandas ad illud tempus censuimus. In nominibus nonnullum hic discrimen est.

(2) GOBEL. loc. cit.

(3) Idem ibid.

(4) Auct. Mſ. rerum Austriacarum ab an. 1454. ad 1467. conventum hunc ad præsentem annum figit. Item BALBIN. epit. rer. Boh. lib. V. cap. 5.

Annus Christi 1461.

Fridericus Giscram in suas partes pertrahit.

Fridericus, postquam a Gurcensi episcopo, quo exitu conventus Olomucensis solutus esset, intellexerat, ne quid ad domesticas turbas ab exteris etiam molestiæ adjiceretur, præsertim, quod Mathiæ ob interceptam induciarum spem haud satis fideret, Giscram Bohemum, cui veteres cum Hungaris simultates norat intercedere, in suas partes pellicere conatus est, quo haberet, si quis ab Hungaris periculi metus esset, cujus opera se se tueretur. Itaque Græcium ex Hungaria evocatum, amplissimis promissis hominem lucri ceteroquin percupidum, facile illo adducit, ut fidei sacramentum sibi, tamquam legitimo Hungariæ regi diceret, publicisque litteris sexto idus Martias datis, se in cæsaris obedientia mansurum, hujusque partes adversum quemvis hostem tueri velle testaretur. (1) Quamquam autem hæc Viennensium causa, qui fidem toties violassent, ab se facta cæsar prætexerat, Mathias tamen, seu ut sibi caveret, sive quod Giscram cæsar suis ingratiis ab se abstraxisset, vindictæ studio actus, vicissim cum Alberto Friderici fratre IV. Aprilis foedus iniit, (2) quod sexta post die arctioribus conditionibus circumscriptum, quarum præcipua suppetias adversus cæsarem continebat, publicis litteris Budæ exaratis confirmavit. (3)

Mathias contra Albertum cæsaris fratrem sibi foedere conciliat.

Hæc inter tamen uterque de pace agit.

Nihilo tamen minus propterea, missis ultra citroque nunciis ab concilianda induciarum pactione cessatum utrinque est; an, ut se invicem ludificarent, an, quorsum cujusvis molitiones evasuræ essent, periculum caperent, dicere non habeo. Pontifex rem serio agi ratus, ubi de pacificatione conflanda ab imperatore, & cardinali Nicæno factus est certior, incredibili gaudio affectus, temperare sibi non potuit, quin lætitiæ suæ sensum ad Fridericum scribens, palam faceret. *Consolationem*, ait, *incredibilem attulit id, quod de pace, vel treugis cum Hungaris indesinenter tractari significas, hanc enim rem tibi salutarem, catholicæ fidei, & tuis rebus necessariam credimus: utinamque aliquando dies ille illuceat, cum sublatam de medio tantam dissensionem cernamus. Nunquam hac in re tibi deerimus, nostra, & legatorum nostrorum tecum erunt auxilia. Nicæno, & S. Angeli cordinalibus raro aliud scribimus, ad hoc eos semper hortamur: Nicænum autem ceteris fere desperatis, hac sola de causa isthic retinemus. Quidquid tu illi imposueris, faciet, scit nostram intentionem, & tui status est cupidissimus; quem etiam ut magis intelligat, de novo ad eum litteras damus. Utere in omnibus rebus, quanta potes diligentia: tarditas omnis & famæ, & statui est noxia. Datum Romæ anno tertio.* (4) Verum hæc credita magis, quam eventu firmata sunt. Mox enim bellum inter cæsarem, & Albertum recruduit, qui vocato in armorum societatem Ludovico Bavariæ duce, acceptisque a Mathia quater mille equitum subsidiis, fanum divi Hippolyti, Tulnamque in potestatem recepit, tum Viennam promotis castris suburbanum divi Nicolai coenobium occupat, & cum Viennensibus de urbis deditione agit. Faciles in vota cives habuit, Friderico jam antea multis de causis insensos. Sed Giscra, qui cæsaris militiæ præfectus erat, vim apparabat, ventumque haud multo post ad manus est, & Albertus post trium horarum pugnam retro cedere coactus. Quo minus fraternum bellum porro duceretur, Sternbergici, & Procopii Ravensteinii regis Bohemiæ legatorum opera effectum est: qui inducias ad calendas Julias anni sequentis, quamquam invito cæsare, inter partes conciliarunt. (5)

Quam obortum inter cæsarem, fratremque bellum discutit.

Alber-

(1) Exstat ea de re diploma germanicum in Tabul. Aug. domus. *Erbhuldigungs Revers von Johan Geyskra von Brandis, Grafen zum Scharus auf Keyser Friderichen als erwehlten Konig zu Hungarn. Grätz Erichtag nach Oculi.* *anno* 1461. Ex Ms. analect. diplom. CL. KOLLARII.

(2) Exstat diploma in Tab. Aug. domus. Signatum Budæ in vigilia Paschæ anno 1461.

(3) Ibid. signatum Budæ feria sexta post festum resurrectionis domini eodem anno. Ita analect. Ms. diplom. CL. KOLLARII.

(4) Ex Cod. Ms. Vatic. alias laudato. fol 214

(5) GERARDUS DE ROO Hist. Austr. lib. VII. Et auct. Ms. rerum Austriac. ab anno 1454. ad annum 1467. ad præsentem annum.

Albertus, cui ex arbitrorum pactione loca omnia, quæ occupaſſet, relicta erant, facile animum, ut pacem amplecteretur, induxit, præſertim quod ſubſidia Hungarica ab rege revocatum iri comperiſſet. Mathias enim oborto rumore, Mahometem ingentibus copiis Belgrado incubiturum, militem undique contraxit, & ſtipendiarios, quos Alberto ſuppetias miſerat, domum revocavit, quo barbaris, ſi obſidionem, ut fama erat molirentur, obviam iret. Ingenti propterea terrore Hungaria quatiebatur, ut adeo cardinalis ſancti Angeli, qui Romam reditum parabat, cum ſuopte ingenio, tum ab rege rogatus in regno manendum ſibi eſſe cenſeret, quo metu perculſis re, conſiliove adeſſet. Collaudavit legati ſtudium pontifex magnopere, etiam atque etiam obteſtatus, ne regnum, in cujus ſalute chriſtianorum pene omnium ſalus verſaretur, in præſentiſſimo diſcrimine vellet deſtituere, ſimulque invidiam ab ſe repellit, qua legatum, cujus opera inutilis Hungariæ fuerit, revocare voluiſſe nonnulli maligne commenti ſunt. (1)

Annus Chriſti 1461.

Id tamen, ob metum a barbaris concitatum mox ſopitur.

Pius Papa II. cardinali S. Angeli.

„ Ex litteris tuis ultimo acceptis plane agnovimus, quod nunquam no-
„ bis in dubium venit, te publicam rem privatæ anteferre, & pluris facere
„ honorem apoſtolicæ ſedis, quam laborum tuorum ullam quietem. Scribis
„ enim diſceſſum ex regno, quem in poteſtate tua poſueramus, ideo te diſtu-
„ liſſe, quod ſit opinio conſtans, Turcum magnis apparatibus ad obſidendam
„ Nandoralbam venturum. Grata eſt nobis hæc deliberatio tua: ac quam-
„ quam te, quem toto hoc pontificatu non vidimus, libenter apud nos videre-
„ mus, tamen cognoſcentes, quanti referat ad communem ſalutem, legatum apo-
„ ſtolicæ ſedis regi, & regno aſſiſtere, æquo animo deſiderium noſtrum deponi-
„ mus, & malumus circumſpectionem tuam iſthic cum fructu verſari, quam hic
„ cum conſolatione noſtra quieſcere. Chariſſimus in Chriſto filius Mathias rex
„ hoc a te petit; qui in ſuo conſilio ſunt, expedire idem exſtimant: tua quo-
„ que prudentia per te ipſum agnoſcit ſic neceſſarium eſſe. Libenter ſubroga-
„ viſſemus tibi venerabilem fratrem noſtrum, cardinalem Nicænum, labori tuo
„ vicinum; non, quod illi majorem ad obeunda negotia vim ſperaremus futu-
„ ram, quamquam ad omnia ſumme ſit aptus, ſed ne tibi poſt longam defati-
„ gationem quies debita negaretur: verum nullo modo fieri hoc poteſt, valetu-
„ dine non fracta iſto in regno eſt opus. Ipſe autem, quantum nos intelligi-
„ mus, inutilis eſt jam ad labores, atque ita morbis oppreſſus, ut de revoca-
„ tione ſua potius, quam continuatione ſit cogitandum. Proinde circumſpectio
„ tua in hoc caſu ſedi non deſit, nec, donec mandaverimus aliud, regno ex-
„ cedat; honori tuo & noſtro ſic convenire agnoſcimus. Miramur autem tot
„ in locis litterarum tuarum de remanſione te excuſare, & in ſuſpicionem ve-
„ nire, quod nos mendicatam occaſionem continuandæ legationis putemus. Non
„ eſt alia opinio noſtra, nec ita ingrati exiſtimatores tui animi ſumus, ut non
„ credamus, gratius multo tibi jam eſſe honeſtum ocium, quam periculoſum
„ negotium. Errant, ſi qui aliter ſentiunt. Nos, quod differendum putaveris,
„ gratias circumſpectioni tuæ habemus, quod etiam exſpectationem ſecundæ con-
„ ceſſionis non ſis moleſte laturus, erit nobis pergratum. Non ii tamen ſumus,
„ qui præteritos labores tuos non cogitemus quotidie. Præſens neceſſitas, & in-
„ valetudo legati facit, ut contra mentem noſtram taceamus. Sed brevi ad
„ omnia nos proviſuros confidimus. Rogamus interim forti animo exſpectationem
„ hanc feras, & cogites quantum meriti apud Deum, & gloriæ apud homi-
„ nes per hos annos mora Hungarica tibi attulerit - - -. Quæ regia Serenitas
„ de ſe offert, plurimum nos conſolantur. Nil glorioſius præſtare Deo poteſt,
„ quam patrocinium fidei. Utinam nos viribus, quam vellemus, juvare poſſe-
„ mus

Eam ob rem legatum ſuum papa admonet, ut in Hungaria perſiſtat.

(1) Ex laud. Cod. Mſ. Vatic. fol. 308.

Annus Christi 1461.

„ mus animum suum, faceremus id quidem libenter, sed ultra non possumus.
„ Ex Germania nil jam est exspectandum, cum principes sint inter se ipsos discordes, & majora impedimenta quotidie, etiam contra sedem apostolicam parent, sicut tibi notum esse putamus. Nec nos, qui pro justitia, & honore sedis sumus hic implicati, sufficere ad omnia possumus; speramus tamen brevi molestiis nostris finem futurum: tunc exteris libere vacare, integreque ad defensionem Hungarorum poterimus. Nunc præsta dilecte fili, quod potes, & in supplementum eorum, quæ desunt, misericordiam Dei, sicut scribis, implora. Ipse potens est prona manu præstare, quod quærimus: oves sue sumus. Sperandum est, vadentibus pro nomine suo ad justum certamen non negaturam esse divinam pietatem id, quod & sæpe alias, & proxime ad Nandoralbam pugnantibus cruce signatis tuis pie concessit. Datum Romæ secunda Maji, anno tertio. „

Mathias foedera ab Turcis oblata respuit

Quæ Mathias pro tuenda religione facturum se pontifici receperat, non dubitem eo nomine apparatus venire, quos adversum barbaros, si Belgrado periculum ingrueret, toti regno imperavit, tametsi periculum id intra solum rursus metum constitisse exitus ostenderit. Mahometes enim converso repente animo, copias in Asiam trajecit, & infelices Græcanici imperii reliquias Trapesuntem, ceterosque principes, quos icto foedere armorum societatem cum latinis inivisse alias memoratum est, aggressus ex sententia bellum confecit, missis sub jugum plerisque, qui obedientiam detrectare ausi fuissent. Quamquam autem prius, Hellespontum quam transmisisset, ut Europæ ditionibus consuleret, tentatum per legatos Mathiam, ut pacem cum barbaris sanciret, omnino exploratum sit: ex quo fama deinde per principes christianos vulgata est, regem foedus cum Turcis re ipsa conflasse, ut Philelphus celebris id temporis Rhetor ad Ludovicum Francorum regem in hæc verba scribit. (1) *Cum Hungaris foedus traditur*, Mahometus, *percussisse: Hungari enim ferocissimum genus hominum, ubi se audissent a ceteris principibus destitutos, vel ab ipsis potius principibus christianis oppugnari, a Turcis autem quotidie affligi, atque opprimi, ancipiti bello distracti, ac vexati, tandem coacti sunt accipere, quam Turci voluerunt, conditionem: quid enim facerent inopes, & eorum, nisi assidua mole rapinarum, ac cædium, cum se circumvallari undique hostilibus, infestisque armis intuerentur?* Verum famam hanc malignam fuisse ex litteris pontificis liquet, quæ non modo regem a barbarorum foederibus abhorruisse, sed adversum eos, si in Hungariam irrumperent, fuimet etiam capitis periculo profecturum perhibent. (2)

Pius Papa II. regi Hungariæ.

A Pio pontifice propterea collaudatus.

Intelligentes non sine tristitia animi, Turcum ad damna regni tui Hungariæ adventare, & te plurimum cupere, ut legatus istic noster rebus gerendis intersit, scripsimus ei confestim, ut sine mandato nostro nullo modo discedat. Scimus pro summa erga te sua affectione, pro zelo etiam, quem semper habuit ad opera fidei, ipsum in omnibus periculis cum tua Serenitate futurum, nec negaturum esse assistentiam personæ suæ, quam tot annis fideliter laborando pene confecit. Vellemus nos, Deo teste, præsentiam nostram posse idem efficere, & auxilium præstare, quod præsens necessitas postulat: sed laboramus molestiis multis coacti pro defensione justitiæ, & apostolicæ sedis, expensas intolerabiles facere. Esto tamen boni animi, & confide in Deo, a quo est omnis victoria; dabit ipse sinceræ fidei tuæ optatum successum. Scribit nobis idem legatus, Serenitatem tuam personaliter velle descendere, si Turcus adveniat. Audimus hoc in lætitia animi, & constantiam admiramur, censentes id vere regium opus esse, & tuis subditis salutare. Sequentur enim multi exemplum, & majori cum tenore administrabitur omnis ratio belli. Manus domini nostri Jesu Christi sit continuo tecum, & adjuvet consilia, sanctamque intentionem tuam. Datum Romæ

(1) LibXVII. epistolarum.

(2) Ex cod. Ms. Vatic. fol. 210.

Annus Christi 1461.

Romæ ſecunda Maji, anno tertio. Atque hæc ſatis, ut opinor, Philelphi, tametſi ſcriptoris coævi, errorem refellunt.

Ceterum Mathias, cum videret fruſtra ad conciliandos Germaniæ principes conventum Viennæ nuper habitum, nihilque ſpei in iis reliquum eſſe, ut commune in barbaros bellum decerneretur, alias fœderum rationes inſtituendas ſibi putavit, pacatisque domi rebus, externorum, ac præcipue Italorum ſocietatem amplecti.

Annus Christi 1462.

Itaque primum omnium Stephanum Boſnenſem regem, qui Thomæ patri ſucceſſerat, & legatos officii cauſa ad regem miſit, quod idem pontifex per litteras magnopere oraret, in clientelam rurſus, & gratiam recepit. Scripſit ea de re ad pontificem epiſcopus Varadienſis, ejusque in primis precibus conciliatum regi Boſnenſem ſignificat. (1) *Beatiſſime pater! - - - modo accepimus litteras Sanctitatis veſtræ, medio adhuc Januario datas, in quibus committit nobis Sanctitas veſtra laborare in facto regis Boſnæ, ut videlicet ſereniſſimus dominus noſter rex eum ad ſe humiliter revertentem benigne ſuſcipiat. Mandata quidem apoſtolica beatiſſime pater, ut tenemur, pro facultate noſtra ſemper implere ſtuduimus diligenter, alioquin etiam officium noſtri ordinis exigit reconciliationem inter abalienatos, & pacem inter diſſidentes procurare. Ceterum bono quidem auſpicio tam litteræ Sanctitatis veſtræ, quam oratores regis præfati huc iterato miſſi, eodem fere tempore in unum concurrerunt, & deducta eſt res in bonos terminos. Nec dubium eſt, quod ſi rex ille debitum ſuum fidelius, & conſtantius exequetur, permanebit in ea benevolentia, qua jam eſt receptus. Hæc omnia ex litteris ipſius domini noſtri regis Beatitudo veſtra plenius intelliget. - - - Datum Budæ MCCCCLXII.* In eandem ſententiam rex non modo ad Pium, ſed cardinalem quoque ſancti Angeli, qui Romam interea abierat, litteras dedit, diſertis verbis cardinali indicans, Stephanum ob ſuam, qua in pontificem ferretur, reverentiam priſtino gratiæ loco repoſitum eſſe. *Equidem*, ſcribit (2), *licet pater ejus quondam, & ipſe rex præfatus, tantum in nos, & univerſum nomen chriſtianum facinus admiſerint, ut venia digni vel nunquam omnino, vel certo nonniſi magna ſatisfactione præmiſſa judicari meriti poſſent, tamen intuitu ſanctæ ſedis apoſtolicæ, nec non etiam ex officio regalis clementiæ, quid tandem cum eo rege fecerimus, reverendiſſima paternitas veſtra ex his litteris, quas ad ſanctiſſimum dominum noſtrum ſcripſimus, late cognoſcet.* Conditionum capita, quibus Boſnenſis ſubſcripſit, hæc fuere: reſciſſo cum Turcis fœdere in fide regis ut maneat: tum, accepto in arces Savo finitimas Hungarico præſidio, limites regni tamdiu tueretur, quoad ſubſidia ab Hungaria adeſſent, cum quibus ſociato milite commune ſuis impendiis adverſus barbaros bellum gereret.

In cujus gratiam Boſnenſem regem in clientelam recipit Mathias.

Turci in Valachiam movent.

Hæc imprudente Mahomete geſta: qui de fide Boſnenſium ſecurus, ubi exciſo Trapeſunti imperio, domitisque Dynaſtis, victor ex Aſia rediiſſet, in Tranſalpinos Valachos, tametſi intempeſta hiems vias impeditiſſimas redderet, bellum per legatos traduxit. Præerat tum Valachis Bladus, non item, ut Spondanus male exiſtimat, Wladislaus; qui habito militum delectu paucas quidem ſub ſigna copias, ſed veteranas, ac bello alias cum barbaris ſæpe exercitas coegit: quarum ope, utut frequenti numero Turci appropinquare ferebantur, ingenti ſpe fretus obviam venientibus ad Danubium progreſſus, hoſtem vado prohibere conſtituit; aut ſi id facere vetaretur, ita militem locaret, ut barbari, niſi maximo cum periculo, aggreſſionem moliri non poſſent. Conſilium, ut erat loco, ac tempori opportunum, ita eventu mire felix compertum eſt. Nam Turci trajecto inter moleſtiſſimas difficultates Danubio, ut ſolitarios, ac temere oberrantes Valachos conſpicati ſunt, nihil minus, quam dolum ſubeſſe rati, temere in ſponte cedentes irruunt, ſenſimque ad inſidias, intra montium fauces locatas, imprudentes penetrant: ubi ex improviſo circumvenientibus Valachis aſtuque comprehenſi internecione propemodum delentur: ferunt viginti millia cæſa, & magnum captivorum numerum in Bladi poteſtatem veniſſe, oppidis plerisque, quæ

Sed ſemel iterumque ingenti cæde profligantur.

(1) Part. I. epiſt. MATH. CORVINI pag. 70. (2) Ibid. pag. 71.

Annus Christi 1462.

quæ Mahometes prius occupaverat, se se victori dedentibus. Ea clade irritati magis, quam fracti barbari, ut primum mitiora tempora affuere, terrestri, navalique bello jacturam farcire connisi sunt: at fortuna nihilo, quam prius, æquiore. Bladus enim, postquam hostis consilia diligenter explorasset, prior Danubium, adducto majore, quam antea, exercitu lembis repletum occupaverat, Turcisque præter opinionem ingruens, tam memorabile prælium conseruit, ut quadraginta hostium millia partim cæsa, partim aquis hausta fuisse, Veneti ad Bononienses haud multo post relatam victoriam perscriberent. (1)

Nova cum cæsare, & Giscra pacis tractatio.

Eo victoriæ nuncio ingens Mathiæ animus, similis referendæ ex barbaris gloriæ adjectus est. Obstabant tamen & lites cum Friderico regni causa obortæ, nondumque complanatæ, tum haud levis turbarum metus, quas Giscra domi concitare per intervalla solitus erat. Itaque, ut hac parte nihil deinceps incommodi esset, Varadiensem episcopum, qui alias ad cæsarem imprudente rege pacis conficiendæ causa adierat, rursus ad Fridericum legat, cum quo de redimendæ coronæ precio, ceterisque, quæ ob limites intercesserant, dissensionibus e medio tollendis ageret; cum Giscra autem proceres, homini vetere familiaritatis usu cogniti, de sanciendis fœderibus tractare jussi. Ac cum hoc quidem facile in has conditiones conventum, ut traditis regi castris, ex quibus latrocinantium more arma per vicinas provincias circumferebat, accepto ab Hungaris stipendio, adversum barbaros cum suis militiam profiteretur: id si præstito fidei sacramento facturum se reciperet, vicissim condonatis injuriis, jure, ac prærogativa civitatis donatum iri. His Bonfinius addit: Lippa, & Solio oppidis donatum ab Mathia esse; adjecta viginti quinque aureorum numum millia, tum confœderationem novis nuptiis, inter Giscram, & Joannis Orszagii filiam conflatis firmatam (2). Quæ quam vere dicantur, quod & ærarium id temporis magnopere attenuatum rex haberet, & Giscra ætate jam depontanus esset, alii malim, ut arbitrentur: certe nihil istorum seu Mathias, seu Varadiensis episcopus in litteris propterea exaratis meminere.

Illo conciliato litteræ ab Ragusinis, quibus suppetias ab rege petunt, afferuntur.

Conciliato hunc in modum Giscra, litteræ ab Ragusinis Mathiæ redduntur; quarum hæc fere sententia fuit: Mahometem foederis pangendi specie facto in Dalmatiam impetu vicinos Ragusæ agros foedum in morem populatum esse, abstractos in vincula non paucos, qui jure civitatis gauderent: periculum videri, ne prædarum spe illectus porro infesta signa inferat, orare regem, ut subsidia ad arcendos barbaros, quam posset, celeriter mittat; aut si locorum intervallo prohiberetur, quo minus cives suos, vetere clientela Hungaris obnoxios adjutum iret, ne gravaretur Bosnensium regi in mandatis dare, ut in communi periculo communem etiam belli causam tueri vellet. Rex, quamquam miserum urbis casum jam antea compererat, tamen nondum tutis domi rebus, haud satis e republica facturum se arbitratus, si externis opem ferret, bono eos animo esse jussit, spemque auxilii, quam primum cum cæsare, ut cum Giscra Bohemo, pax sancita esset, datis ad eos litteris amplissimam fecit. (3) *Antequam,* scribit, *litteræ vestræ nobis redderentur, jam audiveramus spoliationem, & captivitatem concivium vestrorum. Qua in re secutus est tyrannus ille ingenium, & mores suos crudelitate, & fraudulentia semper notabiles; qui nunquam tam solet esse terribilis in eos, quibuscum palam bellum gerit, quam perfidus in illos, quibus fallaces pacis blanditias prætendit. Proinde nulla esset adversum tales melior cautela, nec remedium efficacius, quam nimine unquam credere non habentibus fidem. Nunc, quoniam ita casus tulit, quid aliud in præsentiarum possumus nisi compati vestro incommodo, qui & domi hactenus non minoribus damnis abundavimus? Sed jam confidimus in divina clementia, quod cito vindicabit se de inimicis suis per servos suos. omnis siquidem nostra cogitatio in hoc potissimum versatur, ut hostibus fidei potenter occurramus. Nec alia magis de causa cum imperatore Romanorum certæ compositiones tractatæ sunt; quas speramus in proxima generali congregatione confirmari, &*

Regis responsum.

votivos

(1) MANSI. apud RAYNALD. ad annum 1462. (3) Part. I. epist. pag. 60.
(2) Dec. III. Lib. IX.

votivos tandem perduci ad effectus, prout per alias litteras nostras fidelitati vestræ significavimus, quam & nunc requirimus, & hortamur, ut in ea re officii, & fidei suæ memor appareat. (1) Novissime etiam cum Joanne Giscra, & complicibus suis, qui partes regni nostri superiores multis jam temporibus gravissime infestabant, super restitutione eorum, quæ detinebant, & perpetua deinceps quiete prospere conclusimus; ac eundem Joannem Giscram in sortem regnicolarum nostrorum adscripsimus: qui quidem promisit, & obligavit se nobis, & regno nostro, præsertim adversus Turcos perpetuo fideliter serviturum. Hæc omnia, ut diximus, ideo præcipue agimus, ut pacato undique regno nostro prædicto, & sopitis circumquaque discordiis, vicinorum perturbationibus exonerati, defensioni, ac vindictæ nostræ, & christianorum propugnationi liberius vacemus. Ceterum quod petebatis in calce litterarum, ut vos regi Bojnæ, & duci Stephano per eorum nuncios commendaremus, faciemus libenter, & præfatis dominis, qui jam Deo volente ad majestatis nostræ obedientiam, ut tenentur, inclinant, diligenter committemus, ne aliter agant vobiscum, quam debent nostri cum nostris, & quidem de nobis, ac regno nostro optime merentibus. Nec jam aliud facturos confidimus, quippe quos & nobis, Turcos impugnare apparantibus, speramus affuturos, quam unam rem parta jam ab alus partibus pace, tota mente, ac totis viribus molimur, ex qua etiam vestra dependet defensio, ac vindicta.

Annus Christi 1462.

Atque hinc, contra, quam nonnulli criminentur, facilis conjectura est, quo animo rex in barbaros ferretur, neque dubium fuit, quin hoc anno bellum Turcis obmoturus fuerit, nisi apparatus reditu episcopi Varadiensis dilati primum, tum ortis postea aliis obstaculis intercepti fuissent. Fridericus tametsi ab amicitia, paceque non abhorreret, haud aliter tamen secum transigi passus est, quam olim constituisset, iisdemque prorsus capitibus conciliationem amicitiæ circumscribi voluit, in quæ postea, ut narrabitur, utrinque conventum erat. Quæ cum solo regis arbitratu definiri non possent, sed optimatum præterea consensione opus esset, placuit legationis capita ad generalem regni conventum in mensem Majum prorogare, in quo cum aliis de rebus, tum Friderici postulatis in medium consuleretur. Quorum cum nuspiam apud nostros scriptores memoriam fieri legerim, operæ precium putabam, regis ad Albertum Austriæ ducem litteras, quæ rebus narratis lucem fœnerentur, in medium proferre. (2)

Difficilius cum cæsare transigitur.

Mathias Rex Alberto Archiduici Austriæ.

„ Illustris princeps! frater charissime! accepimus Fraternitatis vestræ lit-
„ teras, propter viarum discrimina duplicatas, quæ post reditum ad vos Eusta-
„ chii Frodnacher missæ erant. Ex quibus intelleximus complura nova, ac po-
„ stulata, nec non etiam consultationes vestræ Fraternitatis, quæ omnia, quia jam
„ cum tempore ipso, prout vos scitis, lapsa sunt, responsionem in scriptis non
„ requirunt. Verum, quia promiseramus eidem Fraternitati vestræ tam per prio-
„ res, quam postea per alias litteras nostras significare de his, in quibus fide-
„ lis noster dominus Joannes episcopus ecclesiæ Varadiensis laboravit, promissio-
„ ni nostræ intendimus satisfacere per præsentes: nam ut antea scripsisse memi-
„ nimus, dictus dominus Joannes episcopus in Sclavoniam per nos pro certis
„ nostris negotiis disponendis fuit transmissus, inde non quidem ex nostro man-
„ dato, ut ipse dicit, sed ex non nullorum prælatorum, & baronum regni con-
„ silio ad imperatorem Romanorum divertens, non nostro nomine, sed eorum
„ ex parte ibidem multa egit. Novissime illinc reversus certos habitorum tra-
„ ctatuum articulos attulit, quibus respondere, & eos firmare, aut infirmare,
„ prout ab eo percepimus, non est nostrum, cum non personam nostram, ut
„ dicunt, sed totius regni universitatem concernant: imo nec adhuc in specie

Ut rex ad cæsaris fratrem perscribit.

 „ osten-

(1) An precii partem pro redimenda corona, ut infra memorabimus, intelligat, an alud, non satis conjicio: si prius, non rite locatas Corvini epistolas per se se liquet.

(2) Part. I. epist. pag. 112.

Annus Christi 1462.

„ ostensi sunt, aut publicati, sed in hac proxima generali omnium regnicolarum nostrorum congregatione, ob hoc ipsum præcipue advocata, sunt publicandi. Qua in re quidcunque tandem fuerit sequutum, Fraternitatem vestram reddemus continuo certiorem: nam ea, quæ inter Fraternitatem vestram, & nos sunt conclusa, modo per vos servata sint, parte nostri salva erunt. Ceterum nova Fraternitati vestræ hæc possumus intimare, quod cum Joanne Giscra, & aliis complicibus suis, ac etiam his, qui fratres vocantur, bonam dispositionem, & concordiam, Deo juvante, his diebus conclusimus: ita, quod castra, castella, & omnia, quæ adhuc tenent, ad manus nostras assignabunt, & restituent. Giscra manebit apud nos, eo, quod pollicitus est nobis, & præfato regno nostro, præsertim adversus Turcos se perpetuo fideliter serviturum.

Rex ob conditiones a cæsare propositas, regni conventum indicit.

Si conjecturæ locus sit, opinior Albertum, cum tractari de pace inter cæsarem, & Hungaros audiit, vehementer sollicitum, ne se, qui cum rege fœdera prius adversum fratrem sanxerit, Mathias destitueret; atque illud esse, quod rex pacta ab se servatum iri pollicitus sit, si is quoque conventis staret. Sed hæc, ut indicavi, intra conjecturam. Die deinde conventui præstituto, Mathias singulis provinciis, ut quosdam suo nomine Budam mitterent, qui consultationibus interessent, scriptis in hæc verba litteris imperavit. (1) *Licet urgente necessitate regni nostri ad metas partium inferiorum personaliter descendere cogitantes, proximis diebus fidelitatibus vestris per litteras nostras commisimus, quatenus ad octavam diem festi beati Georgii Martyris, modo præteriti, more exercituantium in oppido Bach constitui debeatis, tamen quia interim fidelis noster, reverendus in Christo pater, dominus Joannes episcopus ecclesiæ Varadiensis ad imperatorem Romanorum divertens, certos cum eodem habuit tractatus, tam super facto coronæ regni, quam etiam discordiarum, ex longo jam tempore ab illinc vigentium, ac omnibus istis cum Dei adjutorio sua industria prope ad bonum finem deductis rediit; considerantes hanc rem super omnes alias, quæ nunc contingere potuissent, maximi esse ponderis, & momenti, usque ad ejus debitam determinationem, ut speramus, in brevi futuram, præfatum descensum nostrum ad partes inferiores necessario duximus aliquantisper prorogandum. Ceterum cum dictum sacræ coronæ negotium, & tantarum turbarum compositio universorum regnicolarum nostrorum libertatem, ac totius regni statum concernat, noluimus, nec satis esse putavimus cum his duntaxat prælatis, & baronibus, ac nobilibus, qui pro nunc apud majestatem nostram constituti sunt, in talibus respondere, seu definire: quia ea, quæ ad publicam pertinent utilitatem, merito communi omnium consilio discutienda sunt, & decidenda. Cum autem hoc factum nullam prorsus recipiat dilationem, nec non etiam alia postmodum instent agenda, ideo fidelitates vestras requirimus, eisdem nihilominus firmissime committentes, quatenus nulla superinde habita conventione, seu ulteriori consultatione ad quintum decimum diem datarum præsentium, singuli vestrum apud nostram majestatem in civitate nostra Budensi modis omnibus constituantur. Volumus tamen, & de speciali nostra benignitate statuimus, ut nemo ex vobis per consueta alias gravamina ad veniendum compellatur, sed unusquisque vestrum, prouti citius, & melius poterit, in hac generali congregatione comparere ultro festinet; quatenus tam salutare negotium ad perpetuam demceps hujus regni tranquillitatem, & quietem cum unanimi omnium deliberatione, voluntate, & consensu finem tandem accipiat exoptatum.*

In quo de redimenda corona, aliisque decernitur.

Confluxere ingenti numero optimatum, nobiliumque ordines, novitate rerum tractandarum præcipue ad conventum allecti; in quo cum de jure in primis dicundo, tum perfidiæ nota ac legibus, quæ ad disciplinam ecclesiasticam attinet, transactum esset, (2) de redimenda corona, discernendis limitibus,

(1) Ibid. pag. 57.

(2) Habetur in corpora juris partrii, estque Decretum I. MATHIÆ REGIS; quam recte nescio, cum ad annum 1459. aliud de exercituatione hactenus ineditum produxerimus.

bus, ac concilianda cum cæsare amicitia consultatum. Fuerintne omnes eatenus consentientes, an contra, quod istorum nihil prorsus decreto, quod postea vulgatum fuit, insertum lego, non habeo, quod in utramvis partem affirmare queam. Illud compertum est, placuisse omnibus, uti facerrimum regni pignus, quod ultra vicenos annos fraude sublectum in aliena potestate fuit, quantocius precio reciperetur, magnamque auri summam a proceribus sponte regi eum in finem oblatam fuisse, ut ex Mathiæ epistola ad Ragusinos data conficio, cujus hic tenor fere est. (1) *Omnes cogitationes nostræ, & consilia semper ad id potissimum diriguntur, ut hoc regnum nostrum Hungariæ diuturnis undique discordiarum fluctibus agitatum, tandem redeat ad quietem, quatenus tam intestinis, quam externis turbationibus consopitis ad resistendum communi christianorum hosti totis nostris viribus converti possimus. Cum vero inter alia fidelis noster, reverendus in Christo pater, dominus Joannes episcopus Varadiensis pro certis rebus disponendis per nos in Sclavoniam missus fuisset, occasione oblata ad imperatorem divertit, cum quo multis hinc illinc habitis tractatibus, tam super facto coronæ, dicti regni nostri, quam etiam discordiarum tanto jam tempore utrinque vigentium, spem bonam, & prope indubiam ad nos retulit. De restituenda corona præfata, & earundem discordiarum fomite penitus exstinguendo. Quas quidem res, cum ad regni tranquillitatem, & publicam salutem maxime pertineant, omnibus conditionibus duximus amplectendas, accedente ad id prælatorum, baronum, ac nobilium nostrorum cohortatione, & consensu, adeo, quod cum ex certis articulorum conditionibus, notabilis quædam summa pecuniæ quamprimum per nos deponenda sit, & persolvenda, singuli pro sua facultate ad id ipsum subsidia contribuere liberaliter obtulerunt. Cum igitur præfatæ sacrosanctæ coronæ recuperandæ, & componendarum discordiarum negotium, non minus quam ad aliorum fidelium nostrorum, vestræ etiam reipublicæ spectet ad salutem, sicuti communi commodo frui, ita commune onus subire libenter & vos velle non dubitamus. Quapropter fidelitatem vestram diligentissime rogamus, requirimus, & hortamur, quatenus ad perpetuum, & evidentissimum semper ostentatæ nobis fidei vestræ indicium, prædictæ contributioni pro vestra dignitate deesse non velitis. Nunc enim manifestissime videbitur, quam affectionem libertati regni, & quantum dictæ sacrosanctæ coronæ fidelitatem quisque exhibebit. Datum Budæ MCCCCLXII.* Itaque mirari satis non possum, quid Bonfinio in mentem venerit, qui & Varadini de precio transactum, & plerosque procerum summæ auri pendendæ intercessisse scripserit, quando ex Mathiæ litteris, & Budæ de re transactum, & miram omnium ad contribuendam pecuniam conspirationem fuisse, exploratum habemus.

Annus Christi 1462.

Litri pars ab Ragusinis petitur.

De precii summa non perinde omnibus convenit: sunt, qui septuaginta, alii sexaginta solum aureorum numum millia ab Friderico decreta esse malint: quod mihi quidem, si abhinc, quam ab Elisabetha regina nundinationi huic initium factum est, rationes ineam, supra æquitatis normam exauctum videtur. Pignoris enim rationes, ut ex tabulis publicis, quas annalibus nostris de industria alibi inseruimus, (2) constat, supra quingentos, viginti ac sex mille numos aureos duntaxat conficere extra dubium est: nisi forte impendia quoque, quæ cæsar in tutelam Ladislai postumi, tum mota, & propulsata bella, ac farciendam damnorum jacturam fecerat, eo præterea nomine comprehendi putemus. Sed id utcunque sit: cum ad conflandam auri summam Hungariæ proceres suopte ingenio operam liberaliter conferrent, missus in Transilvaniam est Ladislaus de Busla, qui regis nomine provinciales quoque hortaretur, ut gloriæ partem, quæ ex redimenda corona in Hungaros redundaret, ad se itidem vellent pertinere. Adjecerat Varadiensis episcopus litteras ad præpotentes provinciæ illius dynastas, ac inprimis ad familiarem suum, quem, quod auctoritate inter ceteros valeret, magnopere orat, ut suo exemplo ea in re non so-

Quæ summa in coronæ redemtionem constituta fuerit.

(1) Part. I. epist. MATHIÆ CORVINI pag. 110.

(2) Annalium nostrorum Parte II. in vita Elisabethæ reginæ.

Annus Christi 1462.

Ad quam complendam, Transilvani quoque suum symbolum conferunt.

lum reliquis auctor, sed adhortator etiam esset. (1) *Egregie vir, amice noster dilecte! scripseramus certis amicis, & fratribus nostris illarum partium Transilvanarum, super facto communem omnium nostrum libertatem concernente, pro quo scilicet iste dominus Ladislaus de Busla, magister curiæ reginalis illuc per dominum nostrum regem, & dominos prælatos, barones, ac universos regni Hungariæ proceres missus est: hortatique sumus omnes eos, quos novimus, & consulimus eis fideliter ex debito amicitiæ, quam semper cum omnibus vobis tenuimus, & tenemus, ut ita agant pro hac vice in his factis pro recuperatione sacræ coronæ, ut possint eis coram Deo, & hominibus grates reddi. Quapropter in speciali requirimus vos, & consulimus vobis amicabiliter, ut inter alios ita vos in his rebus benevolum, & diligentem ostendatis, ut omnibus appareat, vos habere affectionem, & devotionem, ac voluntatem bonam ad sacram coronam, & communem omnium libertatem recuperandam, & nullo modo dividatis vos ab aliis dominis regni Hungariæ, quorum quilibet pro sua facultate contributionem, & auxilium facere promisit pro sacra corona, & expulsione hostium externorum, ut tandem liberius, & unanimiter valeamus agere contra Turcos quorum insultibus vos ibi, & nos vicino sumus propinquiores. Aliter consilio nostro non faciatis, ut inter alios fratres vestros habeatis etiam nomen bonum. Datum Budæ MCCCCLXII.*

Res in conventu transactas

Ceterum cur tam obsequentes in conventu proceres rex haberet, ut celerius, quam existimatum sit, de rebus transigeretur, fama effecerat, qua barbari repleto navibus Danubio, & traductis ex Asia copiis in Hungariam moturi ferebantur. Itaque non modo in solvendo conventu acceleratum, sed data quoque Varadiensi episcopo provincia est, ut convento litteris cardinali sancti Angeli, eidem, quæ in comitiis ad firmandam cum cæsare pacem, & alias cum Bohemis acta essent, perscriberet, oraretque, ne pontifex subsidia, quæ se missurum pollicitus erat, in præsentissimo, quod a Turcis instaret, periculo mittere gravaretur. (2)

Episcopus Varadiensis Joanni Carvajalio cardinali sancti Angeli.

Varadiensis episcopus Romam cardinali S. Angeli significat.

„ Reverendissime pater! quo in statu sit factum regis Bosnæ, pro quo „ juxta litteras apostolicas, etiam reverendissima paternitas vestra scripserat, litteræ regiæ, præsertim sanctissimo domino nostro missæ declarabunt. Nova, „ quæ tunc occurrebant, pridem significavimus, alia in præsentiarum addere fere non possumus, nisi, quod cum Giscra, & suis plane transactum est, & „ pro auspicatiore pacis exordio, unum ex castellis validioribus jam ad manus „ nostras remissum, reliqua brevi sequentur. Giscra ipse ad fidelia regis assumtus servitia, præsertim adversus Turcos operam spopondit militarem. Nunc „ sumus in congregatione generali, & conclusa sunt, quæ ad firmandam cum „ imperatore Romanorum concordiam pertinebant. Satis prospere omnia succedunt, nisi quod cum apparatu magno Turcus adest. Rumor frequens & „ certus affertur, ipsum in itinere constitutum jam propinquare: Danubium scatere navigiis, initia exercitus numerosissimi fixisse in ripis tentoria. Reverendissima paternitas vestra vires nostras bene novit, & potissimum, quid „ repente possimus. Quapropter arguat, obsecret, instet opportune, importune, ut pie susceptum totius christianitatis, & inprimis hujus terræ, quæ reverendissimæ paternitatis vestræ adoptione patria est, (3) patrocinium maxime hoc tempore non deserat. Plura de his, & nonnulla alia lator præsentium reverendissimæ paternitati vestræ latius explicabit, quam omnipotens diu „ servet incolumem ac felicem. Datum Budæ MCCCCLXII. „

Sed

(1) Part. I. Epist. MATH. CORVINI pag. 95.

(2) Ibid. pag. 72.

(3) Suspicor indicari hoc loco, cardinalem ob impensos tot annis Hungariæ labores inter indigenas ab MATHIA cooptatum esse.

Annus Christi 1462.

Sed ea procella, quæ Hungariæ minari videbatur, se se in Valachiam repente effuderat. Hæsit Mahometo cladis, quam hiemis tempore passus erat, memoria; tum doloris sensu ob acceptam tot millium jacturam concitatus, Bla- dum ex improviso obruere constituit. Ut facilius falleret hominem, simulato in Hungariam itinere viam confestim reflexit, transmissoque Danubio, nihil hostile metuentem occupavit. Prona erant barbaris omnia, quod Bladus temporis angustia comprehensus vix decem equitum millia cogere posset, iisque semel atque iterum conserto prælio, pene ad unum cæsis provincia decedere coa- ctus esset. Mahometes victoria potitus, alium principem, quem Draculam communi nomine insigniunt, genti præfecit, totamque late provinciam pervagatus amplissima spolia egit. Bladus amissis maximam partem copiis, cum, quo se reciperet, inops prorsus consilii hæreret, crebros ad Mathiam nuncios misit, qui proposita victoriæ spe subsidia orarent, metumque regi ingererent, Transilvaniam, nisi mature barbaris obviam iretur, subacta Valachia a Mahomete ad- jctum designari, quod quo Hungariæ periculo futurum esset, facile regem intellecturum, daturumque operam, ut concitatam de se apud Turcos opinionem re ipsa confirmaret. Non latebat Mathiam discriminis magnitudo: itaque, cum jam alias profectionem suis in hostem edixisset, accelerandum ratus, subsidia laboranti afferre constituit, præsertim, quod id necessitudinis jus, quo Draculæ, ob bujns conjugem, junctus erat, postulare videretur.

Mahometes iterum in Valachias movens.

Victo Blado alium genti regulum præficit.

Prius tamen, quam moveret, legationem ad Venetiarum ducem, ac summum pontificem mittere decreverat, ut ab hoc stipulata equitum subsidia, ab illo belli sumtus maturarentur, quorum illi spem haud exiguam Petrus Thomasius, Venetorum apud regem orator, antea fecisset. Missus est, ut ex aliis Mathiæ epistolis conjecturam capio, Georgius Quinqueecclesiensis præpositus, mandatumque, ut convento prius Venetorum duce, ex hujus postea consiliis cum papa de rebus, quas ei mandarat, transigeret. Mandata legato data his capitibus rex complexus est. (1)

Itaque Mathias in Valachiam copias ducit.

„ Primo ages gratias ex parte regis domino duci, de benevolentia, & affectione sua, & de his, quæ laborat in facto fidei, & præsertim, ut huic regno bellis presso succurratur, & e converso offeres dominum regem ad beneplacita ducis. Item consequenter dices, quod licet regia majestas miserit pridem oratorem suum, & per eum nonnulla, quæ tum occurrebant, intimaverit, tamen nunc propter recentem majorum necessitatum instantiam iterum misit, & ex eo videlicet, quod intellexit sine dubio aliquot diversis viis, & mediis, quod Turcus omnino hoc anno intendit invadere hoc regnum, & ob boc infinitos apparatus facit per terram, & aquam, & jam exercitus ejus appropinquat metis regni, volens aggredi, & vindicare se de Vayvoda Transalpino, & de damnis per eum ista hieme illatis. Qui quidem Vayvoda quotidie hic sollicitat, ut adjuvetur, quia solus tantos impetus sustinere non valet. Propter hoc decrevit regia majestas novum oratorem ad summum pontificem mittere, antequam ad communem, & principalem christianorum pacem deveniatur, ad nunciandum prædicta, instandum, & procurandum omni possibili efficacia, ut huic regno saltem de aliquo decenti favore provideatur, & in tali tempore, quo provisio rei proficiat. Nam quales jacturas, qualiaque damna per elapsum tempus Turcus intulerit huic regno, non dubitat præfata majestas omnes optime intelligere. Quæ quidem majestas regia ex parte sua nihil de possibilibus penitus omittit, ut Turco præfato occurrere valeat, tum pro communi bono christianorum, prosequendo vestigia serenissimorum suorum, & etiam illustris quondam genitoris sui, tum etiam pro proprio interesse, nec ad aliud nunc dirigit cogitationes suas, nisi principaliter ad hanc rem, & quoscunque tractatus, seu dispositiones quotidie facit cum imperatore, quod etiam cum aliis inimicis suis etiam cum damno suo fecit, ut tandem liberius possit intendere, & vacare facto fidei contra Turcos

Misso prius Venetias Romamque legato.

(1) Part. I. Epistolar. pag. 74.

„ Item

Anno Christi 1462.

„ Item descendendo ad specialiora dices, quod regia majestas ex relatione Petri Thomasii, secretarii ducalis pro nunc hic existentis, proximis diebus intellexerat, quantum humane dominus dux viderit oratorem suum, & quam confidenter, & amice secum intuitu regiæ majestatis contulerit in negotio fidei, & præsertim circa commemorationem, & instantiam apud summum pontificem, per præfatum dominum ducem factam, ut videlicet dictæ regiæ majestati, & huic regno interim, quousque communis, seu generalis expeditio fiat, subveniatur saltem de certo subsidio pecuniæ menstruatim, cum quibus contra communem hostem conducerentur, saltem equites octies mille, ad quam expensam sua excellentia contribuere libenti animo se obtulerat, non obstantibus aliis expensis, quas habet contra Turcos. Pro quibus quidem rebus præfata regia majestas dicto domino duci summe regratiatur, & quod in veritate loquendo a sua excellentia tanquam specialissimo amico nulla melior, nec magis ad propositum rei christianorum expensa hoc tempore fieri possit. Nam si suæ serenitati providebitur de dictis gentibus, quoniam ipse pecunias tangere non intendit, sufficiens animus erit, præfatæ regiæ majestati cum dicto auxilio, & his, quæ ipsamet facere intendit, ne dum defendere hoc regnum dudum a Turcis laceratum, interim, dum universalis expeditio habeat locum, tam adveniente Turco personaliter, quam non adveniente, sed etiam magno, & forti animo illum invadere in Servia, seu Rascia, & aliis locis, ubi sua majestas magis ei nocere poterit. Itaque rogat præfatum dominum ducem, ut pro communi bono, & etiam pro sua singulari complacentia hanc rem prosequi velit, quia cedet ei ad honorem talis negotii promotio, & præsertim quod sollicite fiat, quia bene scit sua excellentia, quantum & alias, & præsertim ad hanc rem importat tempus.

„ Item vel interrogatus, vel ex te ipso, cum videris opportunitatem, poteris dicere, quod dominus rex præoptaret, ut memorata pecunia staret in manibus hominis domini ducis, & per eundem hominem dispensaretur. Tum quia de tali homine hic magis confiditur, tum quia dominium Venetorum magis meretur hunc honorem, eo, quod movit prius, & nunc promovet hæc negotia ultra alios, vel potius solum, & per se.

„ Item, quia præcedens orator postulavit pecuniam illam saltem usque ad sex menses, tu utrumque cavebis: quia nec pecuniam nominabis, sed petes subsidia, vel gentes: nec determinabis tempus, sed semper dices; quousque fiat generalis expeditio, & hoc ubique observabis. Item dices, quod regia majestas intellexit Petrum Thomasium, secretarium ducalem sæpius petere licentiam abhinc repatriandi, & rogabis dominum ducem ex parte regis, ut hunc hominem dimittat ulterius hic; quia jam est notus, & quasi domesticus, & noscit homines, ac rerum, & locorum conditiones intelligit; unde est magis, utilis, & plus ei confiditur, & omnes facilius cum eo concordant.

„ Item generaliter ubique loquendo observabis, ut dicas regem Hungariæ ex causis satis manifestis pro nunc esse per se satis invalidum ad resistendum Turco, non tamen esse adeo impotentem, quod cum præfato succursu resistere, & se defendere non possit. Item tanges aliquid de negotio imperatoris, & præsertim regratiando de his, quæ solicitaverat dominus dux apud summum pontificem, ut provideret de tollendo impedimento imperatoris: in qua re non te detinebis, sed dices, quod regia majestas est certa, dominum ducem ex litteris Petri cuncta intellexisse: (1)

„ Item curabis, ne illinc recedas, nisi provisione facta, & cum firmo responso. Item subjunges domino duci, quod tibi sit mandatum a regia majestate ut omnia loquaris, & agas juxta consilium domini ducis. Unde si videtur sibi, quod magis unum, quam aliud debeas dicere summo pontifici, es paratus.

(1) Cujusmodi impedimentum id fuerit, in obscuro est: magni tamen momenti vix fuerit, quod legato mandatum esset, ut obiter de ea re tractaret.

„ tus. Item de intentione Vayvodæ Transalpini, & quantum incessanter solicitat, ut succurratur sibi a rege, poteris inter loquendum narrare particularia. Annus Christi 1462.

„ Item papæ non facies mentionem de his, quæ communicaveris cum „ dominio Venetorum, sed solum pete subsidium, ut regnum istud valeat con„ servari, & non recipiat majora damna, quam prius, & quasi omnia dices, „ prout continentur supra in articulo secundo, imo loqueris aliquanto instantius, „ & magis ferventer. Item cum domino sancti Angeli omnia confidentius, com„ municabis, & uteris eo pro patrono & promotore speciali.

„ Item ubique loquendo de expeditione generali non variabis ab infor„ matione Petri, quæ data fuit ei super hoc per dominum Varadiensem, & „ dominum Joannem de Roszgon, secundum quod audisti in consilio, videlicet „ ad minus quadraginta millia ad sex menses. Item si fiet mentio de legato „ mittendo, ut apud Venetos, vel apud papam, loqueris prout es informa„ tus in consilio.

„ Item domino Ferrariensi, & Florentinis loqueris, vel non loqueris, „ prout consuluerit dominus dux Venetiarum. Item de treuga Turcorum, in „ qua re tu ipse ambulasti. Item de regno Bosnæ, quod pertinuit semper, & „ pertinet ad Hungariam, facies improperium cum moderatione summo ponti„ fici, qui forte per inadvertentiam talia facit, quod regi Bosnæ datur fidu„ cia separandi se ab hoc regno. „

Dimisso in hunc modum legato datisque archiepiscopo Strigoniensi mandatis, ut cum reliquis Bohemis, qui nondum ad obedientiam redierant, de pace tractaret, haud diutius in Hungaria commoratus, signum profectioni dedit, magnisque usus itineribus per Transilvanos in Valachiam venit. Commutata istic rerum interea facies erat. Nam Draculæ natu minor filius ex Mahometis imperio, nec invitis Valachis, provinciæ præfectus fuit, patre & honoris prærogativa exuto, nec in partem administrationis admisso. Cujus rei causas cum ex gentis proceribus quæreret, intelligeretque hominem natura ferocem & sanguinolentum, magnam suorum partem exquisito carnificinæ genere neci dedisse, adeo, ut interfectorum numerus, quos inter Hungari quoque, & Transilvani haud pauci fuerint, viginti millium copiam facile excederet, Mathias commutato repente animo, filium a Mahometo suis præfectum, præter omnium opinionem in dignitate confirmavit, patrem vero vinculis oneratum Budam deportari jussit, non nisi post decem annorum carcerem libertati restituendum. Rex capto Dracula, quod Mahometes spoliis onustus ad sua se recepisset, rursus per Transilvanos reditum parabat. Quod cur ita factum esset, neque rex in barbaros, quos tamen profectio spectabat, promosset, multos admirari sollicitos comperio: neque tamen metu id factum, ut nonnulli existimant, veri simile arbitror; quod tres menses ea profectione absolvi potuisse prorsus persuasum habeo, ultra quos ne militiam Hungari extra regnum profiteri ingratiis cogerentur, in conventu, quem Szegedini rex celebrarat, decretum erat; cum exiguo autem peditum, quos statarios vocant, numero, quosque primum omnium Mathiam stipendio conduxisse suspicor, in hostem proficisci nec utile, nec consultum fuisse, vehementer probabile est.

Rex confirmato Valachorum Dracula,

Captoque eo, qui prius rerum potitus est.

Nulla re in Turcos gesta redit.

Per absentiam regis mandatam sibi provinciam archiepiscopus naviter cum palatino curaverat. Fuere præter Giscram & alii, qui latrocinia per regnum impune exercebant: inter hos Comorovszkius, quem alias e prælio, cum Roszgoniis conserto, fuga elapsum memoravimus, facile princeps; qui adscitis in societatem Bartho, & Corbelio, copias haud temnendo numero coegerat, quibus factis per intervalla procursionibus a Scepusiensi agro provincias, quæ secundum Vagum amnem tenduntur, latissime vastabat. Apparebat homines egestate pressos magis lucri, quam belli causa prædas agere: itaque objecta potius pecuniarum spe, quam armis, ad officium revocari oportere Dionysius censuit, præsertim, quod litteras proferrent, quibus regem nomina contraxisse palam

Absente apud Valachos rege.

Annus Christi 1462.

lam fecere. Archiepiscopus, ut, quidquid id litis erat, ad vivum resecaret, regio nomine contractum æs expunctum iri pollicitus est, simulque decimas, quas Thurociensi, Arvensi, Liptoviensi, ac Zoliensi provinciis imperare solebat, instar vadimonii Comorovszkio, ejusque sociis obstrinxit. Ita pacatos Bohemos, & sublatis jurgiis ad obedientiam reductos in hæc verba regi perscripsit. (1)

Strigoniensis archiepiscopus tumultuantes Bohemos componit.

Serenissime princeps, & domine noster gloriosissime! meminisse debet majestas vestra, quomodo alias Budæ mandavit nobis, ut cum Petro de Comoro conveniremus, & secum tractaremus de concordia aliqua, ne ab illis partibus fierent insultus, prout timebantur futuri. Sciat ergo sua Serenitas, quod in festo sancti Michaelis proxime præterito, una cum domino palatino venimus, ad Sarlo, & ibidem convenimus cum eodem Petro, cum quo etiam venerat Barthus, & Corbel. Sed dum cum ipso de pace, & concordia ageremus, proposuit nobis multis verbis, & querelis, multa damna, multasque injurias sibi fuisse illatas a certis subditis Serenitatis vestræ, asserens illas injurias magnam causam fuisse, quæ ipsum a servitio Serenitatis vestræ abduxissent. Quas dum per litteras, & nuncios proposuisset coram Serenitate vestra, auditus quidem, sed nunquam exauditus fuisset. Addidit etiam debita, quæ sæpe numero repetita, nunquam reddita forent. Quæ quidem debita partim certis testimoniis, partim vero litteris majestatis vestræ ita clara erant, ut aliquando refelli non possent. Nos vero contra cum domino palatino proposuimus multa, quæ occurrebant pro re ipsa, & pro honore Serenitatis vestræ dicenda. Tandem post multos tractatus hinc inde habitos, effecimus certis viis, & modis, ut animus ejus flecteretur, & malignandi causas deponeret. Itaque quantum considerare potuimus, arbitramur illum recte conversum esse, modo servetur, quod nos illi nomine majestatis vestræ promisimus. Itaque debita omnia reduximus ad duo millia, & viginti octo florenos, licet multa proponebantur. Sed postea erat difficultas faciendi certitudinem pro hac summa persolvenda; nolebat enim credere aliquibus promissis: finaliter ergo necesse fuit, ut nos illi promitteremus, quod illa debita ex decimis ecclesiæ nostræ in comitatibus Thurotz, & Arva, Liptoviensi, & Zoliensi hoc anno nobis provenire debentibus, solveremus, & expediremus. Nam aliter efficere non potuimus pacem ipsam, & concordiam; quæ tamen summa ex illis decimis nostris in comitatibus prætactis non poterat expleri. Quare confidimus in Majestate vestra, quod non patietur nos in damno relinquere, nec in promissis nostris deficere, qui in tanta hujus regni necessitate pro eorum utilitate nos obligamus, præsertim cum ea, quæ habemus, & habituri sumus, semper sint ad arbitrium, & voluntatem Serenitatis vestræ. Hoc unum etiam sciat Serenitas vestra, quod si in hujusmodi facto cum domino Palatino diligenter non laborassemus, hostes nostri adjuncti illis, qui ex Scepusio ad eos venerant, omnino partes istas superiores vastare, & spoliare intendebant. Tota autem dispositio, quam hac vice cum dicto Comorovszkio fecimus, scripta est in litteris, quarum copiam præsentibus inclusam Serenitati vestræ transmisimus. Cæterum Barthus quoque multa proposuit, & suis querelis accumulaverat curas nostras. Sed cum rationibus hinc inde contenderemus, ad ultimum flexit animum, & fassus est invitum se fecisse, quod fecerat, nec culpa ejus id factum esse, quod contra majestatem vestram fuit attentatum, sed aliorum qui ipsum talia attentare compulerint. Promisit denuum ea, quæ agere habet, usque ad reditum Serenitatis vestræ differre velle. Oportuit tamen nos illi aliquas pecunias dare, ut quietius majestatem vestram expectare possit, seque cum socio, & suos sustentaret. Item etiam Corbel satis multa petit, & ostendit litteras debitorum: conqueritur etiam adversus majorem, & minorem Podmeniczki, quia, ut dicit castellanus ipsorum de Bistricia, & aliunde spoliat rusticos, & colonos suos, & deprædatur villas suas ad Bicska pertinentes. Cum hoc etiam ita dispositum est, licet tamen difficulter, ut omnia negotia sua usque ad reditum Serenitatis vestræ distulerit: solum hoc petit, ut præfati major, & minor Podmeniczki scriberent castellanis eorum, & majestas vestra mandaret iisdem, ne spoliarent colonos suos, neve diriperent villas ejus; alioquin cogeretur suos defendere, & si quid non fieret, non sibi, sed illis imputaretur, qui illum provocant injuriis.

(1) Part. I. Epist. MATHIAE CORVINI pag. 82.

riis. Postremo sunt duo Poloni, qui se asserunt suo nomine majestatis vestræ militasse, & stipendium ad plenum nondum fuisse ipsis solutum, & ferunt secum litteras hujusmodi debitorum, cum quibus etiam ita dispositum est, ut illa quoque in reditu Majestati vestræ proponerentur, & habita cum ipsis ratione id in eo negotio fieret, quod justum esse videretur. Omnia igitur hæc majestatem vestram considerare oportet, ne quod magnis laboribus dispositum est, alioquin ex levi causa destruatur. Quæ omnia non solum superioribus partibus, sed etiam toti regno Serenitatis suæ possent obesse. Reliquum est, ut nos majestati vestræ, quantum possumus, commendemus, quam salvam & incolumem esse, & cum omni felicitate ad nos redire optamus. Datum anno MCCCCLXII.

Annus Christi 1462.

Mathias ab profectione redux, quæcunque archiepiscopus cum Bohemis transegerat, rata habuit; expunctisque nominibus militiæ suæ auctoravit, ex quibus, quod veterani plerique essent, armisque ab teneris insueti, peditatum conflaverat, quod militum genus fere nostris inusitatum hactenus, præliis tamen utile, & pernecessarium primum omnium ab Mathia institutum fuisse vero simillimum est. Haud multo post reditum tempore per litteras ex Italia nunciatur, legatum collatis cum Venetorum duce consiliis non indiligenter apud summum pontificem egisse, fructum tamen diligentia minorem fuisse, quod Veneti vicena solum aureorum millia, pontifex stipendium annuum pro mille equitibus se daturos promiserint, cujus vadimonium Strigoniensis interea præstiturus esset: tam tenuis opis causam in Bosnensibus sitam videri, qui subsidia quoque adversum Turcos magnopere flagitarent. (1)

Cujus operam rex ratam habet.

Miserat re ipsa Stephanus ad Pium legatos, qui ob imminens futura æstate periculum auxilia ab finitimis principibus negata exorarent, propositis in medium causis, quibus papa ad maturandam opem incitaretur. Admissi ad pontificem in frequentissima purpuratorum patrum corona, sermonem, ut Gobelinus refert, (2) in hunc modum habuere. *Rex Bosnæ, filius tuus, beatissime pater, nos ad te misit, jussitque suo nomine hoc dicere. Certior factus sum Mahometem, qui Turcis imperat, æstate proxima, infesta contra me signa moturum, & jam copias, & belli machinas apparasse. Non sum ego, qui tantum impetum ferre possim: oravi Hungaros, & Venetos, & Georgium Albanum, ut opem mihi afferant: idem ex te peto; neque auri montes postulo: scire hostes, ac provinciales meos cupio, tuum mihi favorem haud quaquam deesse. Si norint Bosnenses, me non futurum in bello solum, fortius dimicabunt, neque Turcæ terras meas ingredi audebunt, quarum sunt aditus difficillimi, & arces pluribus in locis propemodum inexpugnabiles. Tuus antecessor Eugenius patri meo coronam obtulit, & pontificales ecclesias in Bosna voluit erigere. Renuit pater, ne Turcarum in se odium provocaret; erat enim novus Christianus, nec Manichæos adhuc regno expulerat: ego a puero baptizatus fui, & litteras latinas didici, & christianam fidem solide complexus sum; non timeo, quæ pater timuit: coronam ad me mittas opto, & sanctos episcopos: hoc signum erit te mihi non defuturum; si qua ingruerit belli moles, spem subditis a te coronatus, terrorem hostibus afferam. Jussisti vivente genitore meo arma, quæ in Dalmatia sub Venetorum manu erant, cruciatæ nomine collecta, ut ad eum mitterentur, non placuit senatui Veneto: jubeto ad me modo mittantur, fortasse majus imperium invenies, quando mutata est mens Venetorum, & Turcis feruntur indicturi bellum. Hæc peto, ut & legatum ad Hungaros mittas, qui meam causam regi commendet, horteturque arma mecum jungere. Hoc pacto salvari Bosna poterit, alioquin peritura est. Turcæ in meo regno munitiones aliquas construxere, & in agrestes mitem animum ostendunt; dicunt futuros liberos, quicunque ad se deficiunt, blandeque complectuntur. Rusticorum rude ingenium non intelligit artes, & libertatem perpetuo duraturam existimat; facile his dolis illectæ plebes a me deficient, nisi tuo præsidio munitum viderint, nec diu nobiles in suis arcibus perseverabunt, deserti a rusticis. Si quæreret regnum meum Mahometes, neque ultra progredi vellet, ferenda esset mea sors, neque pro me tuendo reliquam christianitatem vexare deceret, verum insatiabilis regnan-*

Legatorum a rege Bosnensium Romam missorum postulata.

(1) GOBELINUS lib. 9.

(2) Lib. 11.

Annus Christi 1462.

di cupido nullas habet metas: poſt me Hungaros agitabit, & Dalmatas Venetis ſubjectos, & per Carnos, & Iſtros quæret Italiam, cujus imperium ambit, & ſæpe de Roma loquitur, atque huc direxit animum: quod ſi permittentibus chriſtianis meo regno potitus fuerit, aptiſſimam provinciam, & loca peropportuna inveniet ad ſuum deſiderium explendum. Ego tempeſtatem primus expecto, poſt me Hungari & Veneti, & reliquæ nationes ſuam ſortem experientur, nec Italia conquieſcet, ſic ſtat conſilium hoſti. Hæc experimenta ad te defero, ne olim dixeris non fuiſſe prædicta, & me argueris negligentiæ. Pater meus anteceſſori tuo Nicolao, & Venetis futuram Conſtantinopolis calamitatem prædixit; non fuit adhibita fides, amiſit cum ſuo magno malo chriſtianitas regiam urbem, & patriarchalem ſedem, & Græciæ columen. Nunc ego de me vaticinor: ſi fidem datis, & opem, ſalvabor: alioquin peribo, & meam ruinam multi ſequentur. Hæc Stephanus ad te deferri juſſit: tu qui pater es chriſtianæ religionis, & conſilium, & auxilium adhibe.

Quibus Hungariæ legatus intercedit.

Hungariæ orator, ut coronam peti a Boſnenſibus audierat, quemadmodum in mandatis habuit, apud pontificem interceſſit, jura regis obtendens, quibus ſalvis mos legatorum poſtulato geri non poſſet. Pius, re cum cardinalibus communicata, Boſnenſibus reſpondit, coronam citra Mathiæ veniam, cui Boſnia vectigalis eſſet, mitti haud poſſe, magisque eos adniti oportere, uti periculum propulſent, quam ea rogare, quibus impetratis Hungarum laceſſerent, a quo ſpes ſubſidii maxima affulgeret. Bono animo eſſent, miſſum iri in Hungariam Dominicum Lucenſem, qui præter Venetos regem quoque in armorum ſocietatem pertraheret. Ita dimiſſi legati, ne ſpem quidem auxiliorum, ut ad annum narrabimus, regi ſuo a barbaris jam cæſo attulere.

Turci ad Savum flumen ab Hungaris vincuntur.

Quamquam in belli ſocietatem Mathiam pertrahere opus non erat, ſponte barbarorum injuriis ad arma provocatum. Mahometes enim, ut Hungarorum vires eminus periclitaretur, Halibegum cum magna copiarum parte Savum trajicere, omnemque late viciniam, quæ inter Savum, Dravumque flumen porrecta ob ubertatem ſoli, & molle coeli ingenium Italiæ parvæ nomen obtinuit, ferro, flammaque corrumpi juſſerat; ratus ea irruptione viam ad impetendum deinceps Hungariam complanatum iri. Halibegus ſuopte ingenio ferox, ad hæc prædarum ſpe mirum in modum incitatus, non modo Sirmienſem agrum latiſſime pervagatus, pleraque oppida igni foede cremaverat, ſed quod nullus ſe hoſtis ſpectabilem præberet, Tutakinum uſque torrentis inſtar prorumpens Hungariæ partem expilavit Præda ſpoliisque onuſtum, ac cum ſeptemdecim captivorum millibus revertentem Petrus Zokolius, penes quem earum provinciarum poteſtas erat, coactis ſumma celeritate copiis, haud procul Savo flumine nactus, ingruente nocte prælium auſpicatur, quod Polonorum equitum, qui ſtipendio conducti erant, virtute in diem uſque protractum, victoriam noſtris cum ſummo periculo conjunctam peperit. Nam barbari viſa noſtrorum paucitate bifariam diviſi redintegrata a fronte, & tergo pugna, facile pedites Hungaros loco movent, fugaque in ceteros ſenſim propagata campum victores obtinuiſſent, niſi regii equites cum Michaele Zokoly, Petri fratre forte fortuna intervenientes, noſtros a fuga, & Turcos a cæde continuiſſent. Michael enim reliquis conjunctus recenti milite in feſſos invehi coepit, victosque turbatis ordinibus in apertam fugam nullo negotio egit. Turci ad Savum delati majorem iſthic, quam in prælio cladem accepere: cum enim amiſſis equis tumultuarie in ſcaphas inſiliunt, noſtrique ab tergo inſtant, hauſti plerique ſunt, Halibego ægre in adverſam fluminis ripam cum pauciſſimis diſcrimini ſubducto. Cæſis quater mille barbaris, & liberatis ex captivitate chriſtianis præcipuus victoriæ fructus in caſtris, impedimentisque, quibus potiti ſumus, conſtitit. Mathias poſtquam rei geſtæ ſeriem, ac victoriæ nuncium accepit, quo animos militi ſufficeret, eos, qui primi fugam dederant, inſigni ignominia notavit, ceteris ob rem fortiter patratam publice collaudatis ampliſſima dona largitus eſt. (1)

Ceterum

(1) CROMER. hiſt. Polon. Lib. XXVII. BONFIN. Dec. III. Lib. IX.

Annus Christi 1463.

Ceterum quod barbari ab accepta clade quieturi minime viderentur, metusque esset, Mahometem jacturam in annum sequentem omni conatu reparaturum esse, Mathiaa, ut copiæ, quas hosti opponeret, præsto essent, toto regno delectus haberi jussit, & auxilia ab externis per oratores & litteras flagitare constituit. Maxima in pontifice subsidiorum spes erat: igitur cardinalem sancti Angeli, quem multum gratia, & auctoritate apud Pium valere noverat, ut legatum suum Romam propterea missum, pro vetere in Hungaros amicitia adjutum iret, magnopere obtestatus est. (1) *Misimus*, scribit, *ad sanctissimum dominum nostrum pro publicis fidei catholicæ, quam etiam privatis quibusdam regni negotiis - - Georgium præpositum. Cum autem jam nobis perspectissima sit reverendissimæ paternitatis vestræ benevolentia in nos singularis, & ferventissimus Zelus domus Dei, præfatum oratorem nostrum, & ejus celerem, ac votivam in omnibus expeditionem eidem reverendissimæ paternitati vestræ specialissime commendamus. Quod si unquam antea, nunc opus est, ut reverendissimus sancti Angeli cardinalis sua sapientia, & diligentia ostendat, quantus qualisve & Hungarorum, & omnium christianorum sit patronus. Cætera ipse orator noster explicabit, cui fidem adhibere dignetur.* - - Navasse pro virili operam sancti Angeli cardinalem paulum post regi significatum est, & spes haud levia injecta, pontificem proximo, quo fieri posset tempore, aliquot equitum peditumque millia, suo, & principum christianorum stipendio conducta, in Hungariam missurum, quorum opera rex adversum barbaroa uteretur.

Itaque rex ad continuandum bellum subsidia a pontifice petit.

His promissis mirifice recreatus animum erigere cœpit, inque barbarorum molitiones intentus, quasi non regni solum, sed totius Europæ cura illi mandata esset, tanto acrius excubabat, quanto majores ab Turcis apparatus fieri in dies nuncii afferebant. Jam enim Mahometea sub ipsum veris initium ad Moravam amnem castra locaverat, crebraque subsidia per Hellespontum ex Asia traducens, incertos principes finitimos reddidit, in quem belli molea incubitura, quorsumve barbarus suis consiliis evasurus esset: visusque est plerisque eam ob causam isthic milites coegisse, ut, Transilvaniamne, an Valachiam, Bosnenses, an Hungaros, faciles enim a Morava in omnem partem aditua sunt, petiturua esset, ancipitem Mathiæ animum redderet. Verum is aut Hungariam, aut Bosnam ex apparatu peti haud vane conjiciena Joannem Pongratz Transilvaniæ Vayvodam cum copiarum parte Sirmiensi provinciæ immisit, ut firmato præsidiis militaribus Belgrado, Savum custodiret, ac, si periculum ab Turcis ingrueret, eousque tueretur, quoad ipse cognito discrimine subsidia laborantibus adducturus esset. Hoc loco rea tum fuisse, Mathias Baghkoni Podiebradio, Georgii opinor aut filio, aut necessário in hæc verba significat. *Ceterum ubi scribitis, desiderare vos ad partem nostram de Turcis habere nova, respondemus, quod communis noster, & omnium christianorum hostis cum magno, ut solet, & potest apparatu, in tali loco positus consistit, ut dubium relinquat, quas tandem christianorum partes sit invasurus. Nos ea suspicione ducti ita omnia paramus, & eo modo cum regnicolis nostris concordavimus, ut, si opus sit, tanti inimici impetum fortiter excipiamus. Interim vero misimus ad inferiorem regni nostri plagam copias pro defensione, & primo occursu sufficientes, cum capitaneo Joanne Pongratz, cognato nostro, quem & nos, si necessitas postulabit, personaliter secuturi sumus cum spe bona fortunæ melioris.* (2) At, paulum post accommodanda erant barbaris consilia, qui motis castris Mathiæ animum in diversas partes distraxerant. Relicto enim Morava fluvio mare petituros se simulabant, tanquam bellum in insulaa tradueturi essent, re autem vera, ut Hungaros, & Bosnensea periculi securos, ex improviso magis obruerent. Id rex, ut re ipsa erat, suspicatus crebra ducibus, qui ad Savum excubabant, mandata misit, ut in omnes barbarorum motus intenti diligenter viderent, ne regnum ea parte periculo objiceretur: simul legatum de Mahometis molitionibus per Nicolaum electum Tinniensem episcopum, quem Romam

Mahometes finitimos principes, in quam partem irrupturus esset, incertos reddit.

(1) Part. I. epist. MATH. CORV. pag. 119. (2) Ibid. pag. 123.

Annus Christi 1463.

propterea miserat, certum reddidit, jubens, ut fubfidia, quorum fpem fibi feciffet, apud pontificem, ceterofque Italiæ principes urgeret, adderetque magis fibi opportunum videri, fi hoftem ab Dalmatiæ partibus terra potius, quam mari peterent: claffem enim, ut ufu compertum effet, ingenti hactenus fumtu, nullo tamen operæ pretio, aut illato barbaris damno mediterraneum pelagus oberraffe; ita futurum, ut diftractis hoftium copiis facilior deinceps omnibus belli ratio futura effet. Litteræ ad legatum datæ fic habent. (1) *Poft difceffum veftrum multa, & notabilia emerferunt, quæ plene notificamus vobis per Nicolaum doctorem electum Tiniuienfem. Is intra octo dies arripiet iter de omnibus penitus informatus. Interim de Turco hoc habete: quod facit apparatus quales, & quantos nunquam antea, confona omnium vox eft; ab uno mari ad alterum non alio cum tendere, quam in nos. Molimur quidem & nos contra pro finibus tuendis, quod poffumus; fed penfet unusquisque, fi foli, & inadjuti tantæ gentis impetum fuftinere poffumus. Animus nobis fupereffet, fi fuppeteret facultas. Ceterum quid hac æftate fecuturum fit, id dubitamus, nifi ab Italia certiffime aliqua fiat provifio. Nam fera auxilia veremur, ne parum profint: provifio autem multo præteritis honeftior, & fortaffis utilior effet, fi ab illa parte quamprimum hoftis invaderetur, non tamen per viam maris, quæ nihil unquam boni operata eft, fed per terram. Et invaderetur manu tam valida, ut neceffario caufam haberet, vel omnino tandem femel avertere fe a nobis, vel faltem ex æquo dividere vires fuas. Nos hic brevi videbimus, quid vel opportunitas fuadebit, vel coget neceffitas. Vos illic aut uno modo, aut alio, dummodo tempeftive, agite, inftate, efficite, prout de vobis confidimus, & prout imminentis periculi exigit magnitudo. Datum Budæ in fefto Marci MCCCCLXIII.*

De cujus molitionibus legatum fuum rex certum reddit.

Interea tamen, quoad miffis aliunde fubfidiis valentior in hoftem redderetur, ejus conatus arte eludendos fibi fumfit, pacis fimulacro ufus, cujus Mahometes fæpe alias periculum quoque apud fe feciffet. Commodum a Venetorum duce edoctus eft, Turcos miffa legatione fœdus offerre: id tempus occupandum ratus, Veneto per litteras fignificat, uti de induftria conciliandæ fecum pacis mentionem tractationi inferret, non, quod eam cum barbaro inire vellet, fed ut temporis lucrum faceret, quo belli apparatus externorum auxiliis melius fulcirentur. Morem regi, fed irrito conatu dux geffit, quod legati mala fide fecum agi putarent, omnemque pacis tractationem five fimulata, feu dedita opera abrumperent. Itaque tanto acrius Venetorum ducem ad belli focietatem fecum ineundam rex concitavit, quanto veri erat magis fimile, barbaros, discuffo fœderum negotio, vim omnem Hungariæ admoturos. *Cum nuper*, ita de his Mathias ad ducem fcribit, *octavo videlicet die menfis Aprilis e Strigonio certas litteras ad fraternitatem veftram dediffemus, non ita multis diebus poft advenerunt tandem, & pene fero quædam veftræ, in quibus fcribitis, tractatus illos pacis, five induciarum cum Turco nullum effe fortitos effectum; imo inter cetera refpondiffe Turcum ipfum: nos, fi pacem cum eo cuperemus, potuiffe per proprios nuncios de ea re fecum agere per viam terræ. Infolenter ille quidem, fed tamen vere. Nam licet jam dudum variis modis per obliquum fuperinde folicitaremur, nunquam tamen nofter ad illum acceffit nuncius, ne fcilicet illius animus tali refponfione magis intumefceret. Reliquum eft, ut ad ea, quæ tam de fuo, quam contra de veftro apparatu fignificatis, refpondeamus. Illius quidem & apparatum, & mentem, jam pridem fatis intelleximus, & amicitiæ veftræ proximis litteris copiofe declaravimus. Quæ fama in dies apud nos crebrefcit, & augetur: tanta illum, & talia moliri, ut non facile fuftineri poffit, quacunque impetum verterit. Verfurus eft autem, ut præcipimus, & ut fimillimum veri eft, non alio, quam in nos, utpote, quos ob diuturniores, & acriores inimicitias omnium mortalium habet inviffiffimos, & qui ab eo nec mari, nec montibus diftinguimur, fed longiffimis finibus ubique contigui, & quodammodo fecum implexi fumus. Nobis vero fupereffet quidem animus excipere illum, fed ingenue fatemur, folos nos impares effe, tantis inimi-*

Mathias pacis fimulatione barbaros ludificare nititur.

Qui conatus cum fruftra effet, Venetos in belli communionem vocat.

(1) Ibid. pag. 141.

inimici opibus & copiis. Nimis profecto, nimis lente, ac tenuiter præsertim in hac
æstate tam gravi nostro, imo communi periculo apostolica providet sedes, & reli- Annus
qui christiani. Utinam ne inflicto jam vulneri, quod absit, serum, & inane allige- Christi
tur remedium, aut tale aliquid necessario contingat, ut nullo nobis remedio sit opus. 1463.
Quapropter fraternitatem vestram iterum monemus, ut semel tandem avertat a nobis,
vel saltem ex æquo dividat hostem. Quod ita demum eveniet, si a latere vestro va-
lida, & non contemtibili manu quam primum ille appetatur, terra tamen magis,
quam mari. Nam quid hactenus vel illi nocuerit, vel vobis profuerit tam ingens
classium impensa, ipsi scitis. Nos etiam ex parte nostra his, quæ agenda erunt, et agi
poterunt, non deerimus, nec rei nostræ obliviscemur: maxime, si aliorum opportuna
affuerint adjumenta. Hæc in præsentiarum nobis vel consulenda in commune, vel ad-
monenda occurrunt. Vos pro vestra sapientia, si quid insuper majus, & melius
adjicere potestis, tempus est. Ceterum intra paucissimos dies missuri isthuc sumus
alterum oratorem nostrum, per quem, si qua interim emerserint, nota faciemus,
potissimum vero evidentius aperiemus mentem nostram, super illo vestrarum littera-
rum articulo, qui meminit de pace tentata cum Turco, quam ab illo non alia ma-
gis de causa repudiatam credimus, quam quod se leviter urgeri sentiebat: pulsetur
modo fortiter, quod nunc renuit, postmodum fortassis ultro offeret, & illi parti ci-
tius, ac libentius offeret, quam sibi viderit infestius imminere. Ita amplior belli
apparatus si minus proficiet ad victoriam, conferre poterit ad bellum commodius
componendum. Datum Budæ XXVII. Aprilis MCCCCLXIII. (1)

Veneti Mathiæ litteris ad commune in barbaros bellum vehementer in-
citati, classem se mari mediterraneo immissuros spopondere; quo minus autem *Illi præ-*
terra, ut optabant, quoque corriperent, militum paucitatem causati, stipendia, *ter suppe-*
quibus rex uteretur, auctum iri promiserant. Hæc Venetorum studia: pontifi- *tias stipen-*
cis contra voluntas, quod metus novi belli inter Italiæ principes optima con- *dia quo-*
silia interverteret, præter opinionem magnopere elanguit. Ægre ferebat Ma- *que pro-*
thias inani se hactenus spe lactatum, & pro subsidiis verba sibi data esse. Ita- *mittunt.*
que minime dissimulato, quem propterea cœperat, dolore, legato suo scripsit,
ut relicta Roma reditum in Hungariam maturaret, nec pontifici, apud quem
frustra operam hucusque locasset, porro molestus esse pergeret. (2)

Mathias rex Georgio Præposito Quinqueecclesiensi.

Reversus ad nos Nicolaus custos, orator noster, retulit summi pontificis ani-
mum quidem erga nos optime affectum, sed litteras excusationem prætendentes, *Quorum*
quod scilicet propter bella Italiæ rebus christianis ad præsens subvenire non possit. *cum spes*
Volumus igitur, ne amplius Sanctitati suæ fastidio illic sitis, sed post expedita alia *nulla Ro-*
negotia quamprimum redeatis. Unum illud semper, & potissimum in recessu ve- *mæ esset,*
stro diligenter imprimatis, periculosissimam hoc tempore esse hanc christianorum om- *legatum*
nium circa facta fidei negligentiam, & ita imprimatis, ut tam pontifex, quam *suum ex*
ceteri omnes clare intelligant, quid exinde sequi possit, & si quid sinistri, quod *urbe revo-*
absit, sequatur, nihil unquam in ea re Hungariæ regi imputari debere, per quem *cat.*
utique non stetit, quin non solum christianitas salva esset, verum & Mahometi su-
perstitio interiret. Nos deinceps necessario id agemus, quod statui nostro minus no-
xium videbitur futurum. Pontifex, ubi de re ab oratore edoctus est, veritus,
ne rex desperatis subsidiis inducias cum barbaris sanciret, quamquam penuria
magnopere laboraret, tamen & novam subsidiorum spem legato fecerat, & re
ipsa aliquot equitum, peditumque millia, suo, & publico christianorum ærario
conscripta in æstatis principio transmisit, pollicitus, se deinceps quoque, pro
fortunarum ratione, fidei, & regis causam tuiturum, quemadmodum ipse Pius
ad Antonium decanum Pistoriensem, quæstorem apostolicum, cui stipendia in
militem eroganda imperaverat, in hæc verba meminit. *Nuper ad resistendum im-*
pus Turcorum conatibus, inter cetera nonnulla millia equorum, & peditum bene

(1) Ibid. pag. 145. (2) Ibid. pag. 149.

expe-

Annus Christi. 1463.

expeditorum, sumtibus tam nostris, quam aliorum Christi fidelium, charissimo in Christo filio Mathiæ regi, & pro illius parte hucusque satisfecimus, indiesque satisfacere nitimur. (1) Quæ cum Mathiæ præpositus Quinque ecclesiensis significasset, animum, quem pene posuerat, resumsit, miraque solicitudine belli curas, &, quæ illi ex sententia gerendo necessaria essent, collato sæpe cum suis consilio, rursum complexus est.

Turci Bosnia brevi tempore per fraudem potiuntur.

Sed eo metu quidem Mahometes regem hoc anno liberavit ingentibus copiis in Bosniam effusus, ac brevissimo tempore, quod loca pleraque præsidiis vacua, & Bosnenses a milite imparati essent, omni regno, demtis paucis castris, quæ vim apparaverant, potitus. Tam vicino periculo excitus Mathias, Petro Szokolio, & qui isthic in stipendio erant, Polonis mandata miserat, ut conflato ex regiis præcipue equitibus, quorum præclara alias in bello virtus esset, quanta posset celeritate exercitu, laborantibus suppetias veniret. Szokolius suopte ingenio in Turcos ferox, & rei fortiter gerendæ avidus, quidquid in Sirmiensi tractu, finitimisque provinciis copiarum fuit, celeriter sub signa cogens, Savum transmittit, ac Stephano regi, qui se ad primum hostis adventantis rumorem Jaiczam cum uxore, ac familiaribus receperat, per occultos nuncios significat, arci ne se includi pateretur, sed contracto, ut in his angusthis posset, milite, montana occuparet: se ab tergo hosti incubiturum; ipse pro fortunæ ratione, quam experturus esset, rem caute, diligenterque ageret, ita futurum, ut divisus bifariam hostis, & vires distrahat, & spatium illi præterea ad congregandas copias præbeat. Salubre consilium respuit Stephanus, qui regni mallet, quam thesaurorum, quos amplissimos secum ferebat, jacturam facere: Jaiczæ tamen, quamquam arx altissimæ rupi insideret, tutaque ab hostium insultibus esset, haud satis fidens in Dalmatiam evadere conatus est: sed deprehensus in fuga, & castro, quod Elutium dicunt, inclusus, suorumque perfidia proditus regnum cum vita, & thesauris amisit. Id quem in modum, & quam ob rem tam brevi tempore gestum sit, Gobelinus illorum temporum scriptor hac narratione complectitur. (2) *Unus ex Turcorum ducibus*, inquit, *Bassam vocant, decimo quarto calendas Junias ingentibus præfectus copiis sub oppido Bobacsio, quod regni Bosnæ caput fuit, castra locavit: postridie imperator consecutus est. Rastices Manichæus olim, deinde christianum mentitus, oppido præfectus erat: is precio corruptus hostem intra mœnia recepit, suasitque custodibus arcis, ne Turcis rerum dominis resisterent. Tradita est arx munitissima, quæ facile poterat biennio defendi nulla re indigens. Imperator præter opinionem potitus oppido, ad persequendum regem cum parte copiarum Bassam mittit: triginta millibus passuum rex aberat in oppido, quod Jaicza vocant, eo namque Turcarum adventu percepto cum thesauris confugerat Dalmatiam petiturus. Bassa cum venisset Jaiczam, abiisse regem invenit, eumque magnis itineribus consecutus, in castello Elutio clausit, & arcta cinxit obsidione. Ille quarta demum die, fame, & siti coactus, sese cum omni thesauro, quem quinque reges tot annis congregaverant, fidei Bassæ credidit: quem imperator ad se ductum, multa spe demulcens, facile induxit, ut oppida, quæ in sua potestate restiterant, reddi juberet, plura, & meliora a se deinceps expectaturus. Scribitur præfectis arcium, ut claves, munitionesque tradant, parent omnes: atque ita octo ferme dierum spatio amplius septuaginta natura, & arte munitissima oppida, & auri amplius, quam decies centena millia nummum ex christianis opibus in manus hostium pervenere, quamvis non tam re, quam nomine Bosnenses christianum nomen sibi usurpavere: raptæ matronæ, atque virgines, templa sanctorum diruta, viri religiosi omni contumeliarum genere affecti, nobilitas omnis ad servitium in Asiam missa, regi paucis post diebus caput abscissum & cum eo alti sanguinis plerique necati.*

Rex Bosnæ captus obtruncatur.

Quo cædis genere:

Hæc Gobelinus: de necis tamen genere scriptores variant: Paulus pontifex, qui Pio successerat, a Mahomete ipso obtruncatum ad regem Francorum scri-

(1) RAYNALD. Annal, eccles. ad annum 1463. (2) Lib. 11.

scribit; (1) alii cutim vivo, spirantique detractam perhibent, atque in hac crudelissima carnificina barbarum exprobrasse regi ignaviam, quod cum auro, & argento, cujus immensa vis erat, turpiter perire, quam ad se, regnumque defendendum uti maluerit. Mahometes occupata Bosnia, ex captiva juventute peditum triginta millia conflavit; atque hinc Janiczarorum origo, maximum belli apud barbaros robur, & præcipua victoriarum, si quas Turci postea ex christianis obtinuerant, causa, caputque. (2) *Annus Christi 1463.*

Nostri, quos subsidio laborantibus venisse memoravimus, cognita Stephani fuga primum, tum nece; visoque nihil spei reliquum ad rem præclare gerendam superesse, trans Savum se recepere, ripamque cum vadis, ne barbarus ex recenti victoria ferociens in Hungariam irrumperet, militaribus operibus tumultuarie communitam, acerrima cura servabant. Mathias etsi magnopere casu Bosnensium afficeretur, tamen, quo minus totis viribus in hostem, ut optabat, moveret, desidia Venetorum, qui in mittendis subsidiis, quam periculi gravitas poposcerat, negligentiores fuere, effectum est: nec nihil huc contulisse visum, quod rex in conciliamda cum Friderico amicitia, redimendaque regni corona occupatus, animum a belli curis, ad pacis studia traducere necesse haberet. Proceres enim quo litibus inter regem, ac cæsarem obortis finem denique ponerent, idque ut facerent, a Dominico Torcellanensi episcopo legato, & Rudulpho Rudeshaimio præposito Frisingensi, oratore apostolico, incitarentur, foederum tractationem, quæ toties coepta, interruptaque erat, magno animo resumserant, obtentaque ab rege venia, litteras ad cæsarem dedere, quibus modum, ac rationes, ut in comitiis, ea de causa celebratis conventum erat, singillatim perscribunt, quas in tractatione foederum servari utrinque vellent. (3) *Mathias ob captum cum cæsare pacis negotium nequit Bosnensibus succurrere.*

Serenissime Princeps!

„ Pridem non multi nostrum ex Vacia Serenitati vestræ scripserunt in negotio tractatuum, per reverendum dominum Varadiensem habitorum: quorum articulos, in hac generali congregatione constituti cum fratribus nostris, & universitate regni, quantum opus fuit, communicavimus. Nunc unanimi deliberatione visis, & intellectis his, quæ tractata sunt, dicimus, & respondemus, nos ea, quæ Serenitas vestra pro communi pace facere dignata est, cum ea, qua possumus, majori gratitudine suscipere. Licet autem articuli ipsi visi sint majori ex parte difficiles, & hoc tempore, quo status noster ab infidelium insultibus assiduo perturbatur, satis onerosi; nihilominus tamen, quia ita rerum, & temporum conditio fert, & id rebus christianis ad præsens magis conducit, pacem, & concordiam, quam majores nostri cum prædecessoribus Serenitatis vestræ olim habuerunt, etiam cum onere nostro maluimus amplecti, modumque instituimus, quo tractatus illi, mutuæ dispositiones ad votivum continuo exitum perducantur, quove & differentiæ ipsæ componerentur, quæ inter partes hactenus viguerunt, licet culpa nostra minime acciderint. Hodie itaque super his oratori apostolico, in publico conventu publice facta relatio est, & electi jam sunt certi ex prælatis, & baronibus, certi vero ex regni nobilibus, qui brevi isthuc ad rem consummandam proficiscantur, & ea, quæ in facto consistunt, rebus adimpleant: super his vero, quæ mandari litteris debent, instrumentorum monumenta porrigant, e contraque a Serenitate vestra recipiant. Hæc voluimus interim vestræ majestati notificare, ut debitæ, ac firmæ intentionis vestræ consilia, ut meminerit paratam se tenere ad illa, quæ nos ab eadem vicissim expectamus. Datum Budæ MCCCCLXIII. „ *Procerum ad cæsarem ea de re litteræ.*

Nom:-

(1) Ad Ludovicum Galliarum regem anno 1464. VIII. idus Januarias

(2) CROMER. Hist. Polon. Lib. XXVII.

(3) Part. I. epist. MATH. CORV. pag. 153.

Annus Christi 1463.

Legati ad conficiendam cum Friderico pacem decernuntur,

Nominati haud multo post tempore septemviri, qui eam rem effectui darent: Stephanus Vardajus Colocensis, & Bachiensis archiepiscopus, Joannes Varadiensis antistes, primus foederis conciliandi auctor, hortatorque; Nicolaus de Ujlak Vayvoda Transilvanus, ac Machoviensis, & Sclavoniæ banus, Ladislaus de Palocz judex curiæ; Emericus Deák de Zapolya regni quæstor, Lambergerus, & Benedictus Thuroczius. His tria equitum millia addita, ut & decoris, & securitatis ratio haberetur. Hoc comitatu Neostadium profecti, cum urbi appropinquabant, civitate prohibiti sunt, quod tanta multitudo cæsari suspicionem ingereret, ne non fortasse vis ea pompa appararetur. Itaque Varadiensis episcopus cum ducentis solum equitibus in civitatem recipitur, reliquis Sopronium interea jussis concedere: nequid tamen fraudis interveniret, bona cæsaris venia Ladislaus Paloczius ad recognoscendam quoque coronam admissus est. Ab adventu confestim de conditionibus foederis agi coeptum, crebraque Neostadio Sopronium, & vicissim Sopronio Neostadium missitatione in hæc pacta conventum: uti in posterum Fridericus Mathiam filii, hic illum in patris loco habeat: Hungarus, Germanusve nullo discrimine esset: regnum Mathias, ejusque hæredes haberent; sin improlis decederet, ad Fridericum, aut ejus filium Maximilianum possessio in solidum devolveretur: de titulo item cautum, cæsarem omnes regni ordines regem Hungariæ salutarent: limites antiquo jure secernerentur, pauca, quæ Hungariæ ditionis essent, penes Fridericum quoad quadraginta aureorum numum millia ab rege, regnoque post cæsaris mortem præberentur, manerent. De pecunia, quam pro corona numerari oportebat, nihil publice sancitum, litterisque insertum est, sive nundinationis utrosque puderet, seu aliud, quod in vulgus manare non attinebat, in causa fuit. Juvat cum ad fidem faciendam, tum ad ea, quæ Ferdinandi I. Augusti temporibus magnas tricarum, litiumque causas in Olomucensi conventu præbuerant, rite intelligenda, foederis tabulas, quemadmodum litteris publicis utrinque firmatæ sunt, hoc loco in medium proferre. Ac procerum quidem Hungariæ, quibus ab Mathia arbitrium commissum est, ita habent. (1)

Quæ utrinque pacta conventa fuerint.

Ea legati certis conditionibus litterisque firmant.

„ Nos Stephanus Dei, & apostolicæ sedis gratia Colocensis, & Bachien-
„ sis ecclesiarum archiepiscopus, locique ejusdem Colocensis comes perpetuus,
„ Joannes eadem gratia episcopus Varadiensis, Nicolaus de Ujlak, Vayvo-
„ da Transilvanus, ac Machoviensis, & regni Sclavoniæ banus, comes Ladis-
„ laus de Palocz judex curiæ regiæ, & Emericus de Zapolya, summus the-
„ saurarius regius, & capitaneus partium superiorum regni Hungariæ, recognos-
„ cimus & notum facimus tenore præsentium universis. Cum alias occasione
„ differentiarum, & controversiarum, inter serenissimum principem, & domi-
„ num dominum Fridericum, Romanorum imperatorem semper augustum, Hun-
„ gariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. regem, ac Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, &
„ Carnioliæ &c. ducem dominum nostrum gratiosissimum ex una, & inclitum
„ regnum Hungariæ, prælatosque, barones, nobiles, proceres, incolas, & in-
„ habitatores ejusdem regni, partibus ex altera subortarum, & vertentium ad
„ nonnullos articulos, & capitula pacis, & concordiæ deventum fuerit, quod
„ nos serenissimi principis, & domini domini Mathiæ prætacti regni Hungariæ &c.
„ regis domini nostri gratiosissimi prælatorumque, baronum, nobilium, proce-
„ rum, incolarum, & inhabitatorum ejusdem regni, quorum plena, & omnimo-
„ da auctoritate, facultate & potestate, ad infra scripta utimur, & fulciti fi-
„ mus atque nostra, ad exhortationem sanctissimi domini nostri papæ Pii, me-
„ dio reverendorum patrum domini Dominici episcopi Torcellanensis, apostoli-
„ cæ sedis legati, missi cum potestate legati de latere, & domini Rudolphi de
„ Rudeshaim, præpositi Frisingensis, ac Wormaciensis ecclesiarum decani, san-
„ ctissimi domini nostri papæ referendarii, & apostolici oratoris, & nuncii in
„ præsenti casu sanctitatis suæ commissarii, cum præfato domino nostro impera-

„tore

(1) Accipimus instrumenta ad rem hanc facientia ex Auctario diplom. CL. KOLLARII, qui ea ex primigeniis tabulis exscripsit.

„ tore ad finalem, & ultimatam conclusionem eorundem articulorum, sponte, li- Annus
„ bere, bona, & sincera voluntate in hunc, qui sequitur modum, devenimus. Christi
„ Imprimis ad finem optatæ pacis, & concordiæ deliberatum, & con- 1463.
„ clusum est: quod Serenissimus princeps, & dominus, dominus Fridericus,
„ Romanorum imperator semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c.
„ rex, Austriæ, Stiriæ &c. dux, & hæredes sui, ab eo per rectam lineam de-
„ scendentes infra scripta castra, & oppida, quæ sua imperialis sublimitas, in
„ metis, & limitibus regni Hungariæ constituta possidet, & in suis manibus per
„ se, & alios suo nomine tenet, videlicet Vorchtenstein, & Kobelsdorff, cum
„ suis pertinentiis, omni imperio, & jurisdictione possideant, & teneant, & il-
„ lis libere utantur, & gaudeant pacifice & quiete, absque Serenissimi princi-
„ pis, & domini domini Mathiæ, dicti regni Hungariæ regis, domini nostri
„ gratiosissimi, ac hæredum, & successorum suorum, prælatorumque, baronum,
„ procerum & nobilium ejusdem regni quorumcunque per se, aut alios eorum
„ nomine, inquietatione, turbatione, exactione, gravamine, & molestia quibus-
„ cunque de jure, & de facto, accessione juris eorum præsertim, qui interesse
„ ad loca prænominata se habere prætendunt, in favorem quorumcunque, quo-
„ vis quæsito colore facta, aut fienda, salvis tamen decimis, & causis ecclesia-
„ sticis, quæ in foro suo ventilari, & agitari poterunt, prout juris est & ratio-
„ nis. In foro vero sæculari, in personalibus actionibus, & realibus contra &
„ adversus subditos suæ imperialis majestatis, & castrorum prætactorum, quo-
„ modolibet motis aut movendis coram judicibus, per suam imperialem maje-
„ statem in locis hujusmodi pro tempore deputatis, actor justitiam postulet, &
„ requirat, quæ ad requirentis instantiam expedite administrari debet; proviso,
„ quod eo ordine ad requisitionem subditorum prædictæ majestatis imperialis, &
„ dictorum castrorum per regem pro tempore, & ipsum regnum Hungariæ,
„ eorumque officiales procedatur, & procedi curetur: & si passagium genera-
„ le contra Turcos pro defensione fidei, & ipsius regni fieri contigerit, in ea
„ re requisitione prævia a dicto domino imperatore fienda, iidem subditi ma-
„ neant inclusi, sic tamen, quod in eum casum hujusmodi exactionum per suam
„ imperialem majestatem debita fiat dispositio, & adversus contravenientes, qui
„ quomodolibet, etiam pro suo interesse, aliquid attentarent contra ea, quæ præ-
„ tacta sunt, ac præfatum dominum imperatorem, & hæredes suos, tanquam
„ contra violatores pacis, rex ipse pro tempore, & regnum potenter assistentiam
„ faciant. Adjectum etiam est, & conclusum, quod post obitum dicti domini
„ imperatoris, rex pro tempore, & regnum Hungariæ facultatem habeant, di-
„ cta castra Vorchtenstein, & Kobelsdorff, & eorum redditus, casu quo idem
„ castrum Kobelsdorff per dictum dominum nostrum imperatorem demolitum
„ non fuerit, attento, quod modicæ æstimationis, & ruinosum existit, alias
„ ipsius redditus reluendi ab hæredibus suæ imperialis majestatis pro summa qua-
„ draginta millia florenorum Hungaricalium, & ducatorum boni auri, & justi
„ ponderis.

„ Item, quia præfatus dominus noster imperator bonis, & honestis re-
„ spectibus, hucusque titulo & nomine regio regni Hungariæ usus est, delibe-
„ ratum est, & conclusum; quod eadem sua majestas imperialis hujusmodi titu-
„ lo regio a prælatis, baronibus, nobilibus, proceribus, & aliis regnicolis re-
„ gni Hungariæ in antea libere, & quiete in eorum litteris, & ubilibet ho-
„ norata, & decorata, quoad vixerit, remaneat, & rex dicti regni Hungariæ
„ ac aliorum regnorum eidem regno cohærentium nominari, & vocari, & eo
„ titulo uti, & frui possit, & valeat, impedimento, contradictione, & turba-
„ tione regis pro tempore, dominorumque, & inhabitatorum ipsius regni pror-
„ sus amotis.

„ Item ut res publica, & felix sanctæ Romanæ ecclesiæ, christianæque
„ religionis status augeri, & promoveri eo salubrius, & utilius possit, præfa-
„ tus dominus noster gloriosissimus imperator serenissimum dominum nostrum Ma-

 „ thiam

Annus Christi 1463.

„ thiam regem dominum nostrum gratiosissimum, pro filio suo adoptivo habebit, & paterne amplectetur, & in præsentiarum in filium recipit, & adoptat, eique, & regno, amicitiam, favores, & promotiones paternas in antea faciet, eundemque dominum nostrum regem Mathiam, filium suum nominabit; & in recognitionem tantæ clementiæ, quæ multis respectibus a sua sublimitate cæsarea eidem domino nostro regi Mathiæ ad honorem, & commoda cedet, ut digna vicissitudine gratitudinis debitæ se erga suam imperialem majestatem exhibeat, conclusum est, quod idem dominus noster rex Mathias, adoptivus filius suæ serenitatis, præfatum dominum imperatorem ex adverso, quoad vixerit, pro patre honorare, reputare, nominare, scribere, & tenere debeat, annuendo, quod idem dominus noster rex Mathias præfatum dominum nostrum imperatorem, patrem, & regem nominet, honoret, reputet, & eidem patri, & regi Hungariæ scribet. Insuper dominum nostrum regem Mathiam, ac prælatos, barones, proceres, nobiles, incolas, & inhabitatores dicti regni Hungariæ, atque nos ipsumque regnum, supra dictos, vigore mandati nobis traditi obligamus, & obstringimus per præsentes ad servandum inconcusse, perpetuo, cum eodem domino nostro Romanorum imperatore, & hæredibus, terrisque, & dominiis suis pacem inviolabilem, ligis, & inscriptionibus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, immo sublatis eisdem, & consilia, & auxilia, & subsidia suæ imperiali celsitudini, nec non serenissimo principi domino Maximiliano, suæ imperialis majestatis filio cunctis in adversis, contra quoscunque, toties quoties fuerit opportunum, sanctissimo domino nostro papa, sede apostolica, & sancta Romana ecclesia duntaxat exceptis, efficacirer pro posse danda, facienda, & prosequenda, ad suæ majestatis imperatoriæ, & præfati filii sui requisitionem præfatorum regni Hungariæ, & regis pro tempore expensis, dum tamen in expeditione generali contra Turcos in hoc non fuerimus præpediti, ac irrationabili mora, & contradictione quibusvis in his omnino cessantibus libertatibus dicti regni in aliis semper salvis. Ob quod imperatoria majestas grata vicissitudine, favoribus, & promotionibus, dictum dominum nostrum regem Mathiam, & regni Hungariæ bonum statum signanter contra Turcum, & infideles Christi hostes apud sanctissimum dominum nostrum, summum pontificem, sedem apostolicam, principes sacri Romani imperii, & alias, ubi opportunum fuerit, sincere promovere, etsi, præmissis tamen signanter ad causam castrorum, ut supra, ordinatis semper salvis, aliqua partium, sive domini, aut eorum subditi, utrinque inter se, alter ad alterum querelas, aut petitiones quascunque habere prætenderint, illas prout de jure, & non aliter prosequi debebunt, quorum occasione justitia ad conquerentium requisitionem expedite erit administranda.

„ Item ad finem, quod sincera affectio præfati domini nostri imperatoris, quam ad dictum dominum nostrum Mathiam regem, filium suæ imperialis majestatis, & prætactum regnum Hungariæ gerit, amplius ab omnibus cognosci valeat, sua imperialis celsitudo, nobis supra dictis, Stephano archiepiscopo, Joanni episcopo, Nicolao Vayvodæ, comiti Ladislao de Palocz, & Emerico Thesaurario sacram coronam ipsius regni Hungariæ, suæ majestati per quondam serenissimam dominam Elisabeth reginam, una cum serenissimo olim bonæ memoriæ rege Ladislao ad fideles manus assignatam, & hucusque fideliter tentam, & custoditam, ne ad alienas manus illam devenire contingeret, oppidumque Sproniense, nomine dicti domini nostri Mathiæ regis, & ipsius regni Hungariæ gratiose assignavit, & omnem obligationem super eodem remisit. (1)

„ Item

(1) Credo pignoris rationes, quæ ad Sopronium attinebant, & ut alias memoravi, summam octo millium aureorum confecere, hoc loco intelligi, non item precium pro redimenda corona præstitum: alioquin cur rex prius ad Ragusinos, uti partem quoque contribuerent, scribere opus habuisset?

„ Item ad majorem solidationem paterni amoris, & in retributionem clementissimæ affectionis ipsius domini nostri imperatoris ad dominum nostrum Mathiam regem, & ipsum regnum Hungariæ, quodque imperialis majestas eo promtior ad ipsius regni commoda, & boni status incrementa, accuratius promovenda alliciatur, deliberatum, & conclusum est, quod vacante regno Hungariæ filiis, seu nepotibus legitimis, ex præfati domini nostri regis Mathiæ lumbis procreatis non existantibus, sua imperialis majestas, aut filius suæ cæsareæ sublimitatis, quem ad hoc deputandum duxerit, & post suæ serenitatis decessum, filiis ejusdem suæ majestatis, quem reliquerit, aut si plures fuerint relicti, alter ex istis, quem regnum ipsum præelegerit, in regem ipsi regno Hungariæ præficiatur, cum plena ejusdem regni administratione. Item si ut præfertur, præfatum regnum Hungariæ vacaverit, provideri debet per prælatos, barones, proceres, nobiles, incolas, & inhabitatores ejusdem regni, quod imperialis majestas, aut filius ejus, ut præmittitur, consilio, & potenti auxilio ejusdem regni Hungariæ, ut moris est, coronetur, & in administratione plena regni, in pace recognoscatur & efficaciter pro rege teneatur. Annus Christi 1463.

„ Item concordatum, & conclusum est, quod omnes injuriæ, differentiæ, dissensiones, impetitiones quæcunque, factiones inter partes ipsas, etiam occasione felicis reminiscentiæ regis Ladislai, ac alias quomodolibet subortæ, & partibus ipsis ex quacunque causa competentes, quoad se & hæredes, ac successores eorum penitus remissæ, ac exstinctæ esse debent, omnisque indignatio, & displicentiæ, quas præfati serenissimi principes, dominus Fridericus imperator, & dominus Mathias, reges contra quoscunque prælatos, barones, proceres, nobiles, incolas, & inhabitatores dicti regni, ac alios ecclesiasticos, & seculares ratione adhæsionis ipsis dominis, utrinque hinc inde factis conceptæ, in futurum minime ulciscantur, neque via facti, neque via juris; sed similiter remissæ, exstinctæ esse debent, pollicentes, promittentes, & obligantes nos sub bonore nostro, & fide christiana acturos, facturos, & cooperaturos realiter, & cum effectu, quod idem dominus noster rex Mathias, ac prælati, barones, proceres, & nobiles ejusdem regni Hungariæ, atque nos omnia & singula præmissa, per ipsos, & nos agenda, & facienda ante coronationem dicti domini nostri regis Mathiæ quantocius, & post hujusmodi coronationem infra duos menses, eandem coronationem immediate sequentes, sigillis, & litteris potiorum dicti Hungariæ, atque nostris authenticis firmabimus, roborabimus atque renovabimus, prosequemurque, implebimus, & faciemus, & rata, & firma babebimus, firmabunt roborabunt, atque renovabunt, prosequenturque, implebunt, & facient, ac rata & firma habebunt, confirmationesque opportunas super præmissis, nunc a præfato sanctissimi domini nostri papæ in hac causa commissario, & nihilominus expost etiam a Sanctitate sua & sede apostolica, ex certa scientia petemus, ac petent, & eisdem stabimus atque parebimus, stabuntque, & parebunt, dolo, & fraude in his omnibus cessantibus quibuscumque. In cujus rei testimonium, nos Stephanus Colocensis, & Bachiensis ecclesiarum archiepiscopus, locique ejusdem Colocensis comes perpetuus, Joannes episcopus Varadiensis, Nicolaus de Ujlak Vayvoda Transilvanus, ac Macbovienfis, & regni Sclavoniæ banus, comes Ladislaus de Palocz, judex curiæ regiæ, & Emericus de Zapolya, summus thesaurarius regius, & capitaneus partium superiorum regni Hungariæ præfati, sigilla nostra præsentibus fecimus appendi. Datum Soproni feria tertia proxima ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ (1) anno Domini MCCCCLXIII.

Fridericus vicissim, postquam litteras procerum nomine signatas accepit, fidem suam iisdem fœderum conditionibus, vulgato Neostadii litterarum instrumento in hæc verba obstrinxit. *Cæsar vicissim fidem suam publico diplomate obstringit.*

 „ Fri-

(1) Id est: XIX. Julii.

Annus Christi 1463

„ Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex, Austriæ, Stiriæ Carinthiæ, Carnioliæ dux, dominus Marchiæ Sclavonicæ, & portus Naonis, comes in Habsburg, Tyrolis, Pheretis, & in Kyburg, Marggravius Burgoviæ, recognoscimus, cum alias occasione differentiarum, & controversiarum inter nos ex una, & inclitum regnum Hungariæ, prælatosque, barones, nobiles, proceres, incolas, & inhabitatores ejusdem regni Hungariæ, partibus ex altera subortarum, & vertentium, ad nonnullos articulos, & capitula pacis, & concordiæ, in præsentia venerabilis Jeronymi archiepiscopi Cretensis, tunc apostolicæ sedis legati missi deventum fuerit: quod nos ad exhortationem sanctissimi domini nostri papæ Pii, in præsentia, & medio venerabilium Dominici episcopi Torcellanensis, apostolicæ sedis similiter legati missi, cum potestate legati de latere, & Rudolphi de Rudesheim, præpositi Frisingensis, & Wormatiensis ecclesiarum decani, ejusdem sanctissimi domini nostri papæ referendarii, & apostolici oratoris, & nuncii, in præsenti causa Sanctitatis suæ commissarii, cum venerabilibus, & magnificis Stephano Colocensis & Bachiensis ecclesiarum archiepiscopo, locique ejusdem Colocensis comite perpetuo, Joanne episcopo Varadiensi, principibus Nicolao de Ujlak, Vayvoda Transilvano, & Machoviensi, ac regni Sclavoniæ bano compatre nostro (1) comite Ladislao de Palocz judice curiæ regiæ, & Emerico de Zapolya, summo Thesaurario regio, & capitaneo partium superiorum regni Hungariæ, devotis fidelibus nostris dilectis, nomine serenissimi principis domini Mathiæ, prætacti regni Hungariæ regis, filii nostri charissimi, prælatorumque, & baronum, procerum, & nobilium ejusdem regni, ad finalem & ultimam conclusionem eorundem articulorum sponte, libere, bona & sincera voluntate in hunc, qui sequitur, modum devenimus.

„ Imprimis ad finem optatæ pacis, & concordiæ deliberatum, & conclusum est: quod nos Fridericus Romanorum imperator semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex, dux Austriæ &c. præfatus, & hæredes nostri, a nobis per rectam lineam descendentes, infra scripta castra & oppida, quæ in metis, & limitibus regni Hungariæ constituta possidemus, & in nostris manibus per nos, & alios nostri nomine tenemus, videlicet Vorchtenstein, & Kobelsdorff cum suis pertinentiis omni imperio, & jurisdictione possideamus, teneamus, ac illis libere utamur, & gaudeamus pacifice, & quiete, absque serenissimi principis Mathiæ dicti regni Hungariæ regis, filii nostri charissimi, ac hæredum, & successorum suorum, prælatorumque, baronum, procerum, & nobilium ejusdem regni, quorumcunque per se, & alios, eorum nomine inquietatione, turbatione, exactione, gravamine, & molestia, quibuscunque, de jure, & de facto, ac cessionis juris, eorum præsertim, qui interesse ad loca prænominata se habere prætendunt, in favorem quorumcumque, quovis quæsito colore facta, aut fienda, salvis tamen decimis, & causis Ecclesiasticis, quæ in foro suo ventilari, & agitari poterunt, prout juris est, & rationis. In foro vero sæculari, in personalibus actionibus, & realibus contra, & adversus nostros subditos, & castrorum prætactorum quomodolibet motis, aut movendis, coram judicibus per nos imperatorem præfatum in locis hujusmodi pro tempore deputatis, actor justitiam postulet, & requirat, quæ ad requirentis instantiam expedite administrari debet, proviso, quod eo ordine ad requisitionem prædictorum subditorum nostrorum, & dictorum castrorum, per regem pro tempore, & ipsum regnum Hungariæ, eorumque officiales procedatur, & procedi curetur: & si passagium generale contra Turcos pro defensione fidei, & ipsius regni fieri

con-

(1) GERARDUS DE ROO Hist. Aust. Lib. VI. de Maximiliano Friderici filio ita scribit: *Puer a Sigismundo Volkenstorfio Salisburgensi præsule sacris Baptismi undis tinctus, Maximiliani nomen accepit, suscipiente ipsum Nicolao Ujlako, Croatiæ præfecto.* Anno scilicet 1459. cum ab Mathia ad cæsaris partes cum factiosis secessit.

„ contigerit, & in ea requisitione prævia a nobis iidem subditi maneant inclusi, „ sic tamen, quod in eum casum hujusmodi exactionis per nos supra dictum „ Romanorum imperatorem debita fiat dispositio, & adversus contra venientes, „ qui quomodolibet etiam pro suo interesse aliquid attentarent contra ea, quæ „ prætacta sunt, aut nos, & hæredes nostros tamquam violatores pacis, rex „ ipse pro tempore, & regnum nobis potenter assistentiam faciant. Annus Christi 1463.

„ Adjectum etiam est, & conclusum: quod post obitum nostrum rex „ pro tempore, & regnum Hungariæ facultatem habeant, dicta castra, Vorchtenstein, Kobelsdorff, & eorum redditus, casu quo idem Kobelsdorff per „ nos demolitum non fuerit, attento, quod modicæ æstimationis, & ruinosum „ existit alias, ipsius redditus reluendi ab hæredibus nostris pro summa quadraginta millium florenorum Hungaricalium, & ducatorum boni auri, & justi ponderis.

„ Item quia nos supra dictus Fridericus Romanorum imperator &c. bonis respectibus, & honestis hucusque titulo, & nomine regis regni Hungariæ „ usi sumus, deliberatum est, & conclusum, quod nos hujusmodi titulo a prælatis, baronibus, proceribus, nobilibus & aliis regnicolis regni Hungariæ in „ antea libere, & quiete in eorum litteris, & ubilibet honorati, & decorati, „ quoad vixerimus, remaneamus; & rex dicti regni Hungariæ, & aliorum regnorum, eidem regno cohærentium nominari, & vocari, & eo titulo uti, „ & frui possimus, & valeamus, impedimento, contradictione, & turbatione „ regis pro tempore, dominorum, & inhabitatorum ipsius regni prorsus amotis.

„ Item ut respublica, & felix sanctæ Romanæ ecclesiæ, christianæque „ religionis status & peraugeri, & promoveri, & salubrius, & utilius possit, „ nos Fridericus Romanorum imperator præfatus, prædictum serenissimum Mathiam, regem Hungariæ, pro filio nostro adoptivo habebimus & paterne „ amplectemur, & in præsentiarum in filium recipimus & adoptamus, eique, „ & regno amicitiam, favores, & promotiones paternas in antea faciemus, „ eundem regem Mathiam, filium nostrum nominabimus, & in recognitionem „ tantæ clementiæ, quæ multis respectibus a nobis eidem regi Mathiæ ad honorem, & commoda cedet, ut digna vicissitudine gratitudinis debitæ se erga „ nos exhibeat:

„ Conclusum est: quod idem rex Mathias, adoptivus filius noster, nos „ imperatorem Romanum prætactum, ex adverso, quoad vixerimus, pro patre honorare, reputare, nominare, scribere, & tenere debeat, prætactique „ Stephanus Colocensis archiepiscopus &c. Joannes Varadiensis episcopus, Nicolaus de Ujlak Vayvoda, Ladislaus de Palocz & Emericus de Zapolya, „ nomine prælatorum, baronum, procerum, nobilium, & incolarum, & inhabitatorum dicti regni Hungariæ atque suo annuerunt, quod idem rex Mathias nos Fridericum Romanorum imperatorem, prædictum patrem suum, & „ regem nominet, honoret, reputet, & nobis patri suo regi Hungariæ scribat.

„ Insuper, cum præfati Stephanus Colocensis archiepiscopus, &c. Joannes episcopus Varadiensis, Nicolaus de Ujlak Vayvoda, Ladislaus de Palocz, „ &Emericus de Zapolya, prædictum regem Mathiam, nec non prælatos, barones, proceres, nobiles, incolas, & inhabitatores regni Hungariæ prædicti, „ ac ipsum regnum vigore mandati ipsis traditi, suis litteris obligaverint, & adstrinxerint, ad servandum inconcusse, perpetuo nobiscum, & hæredibus, terrisque & dominiis nostris pacem inviolabilem, ligis, & inscriptionibus in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque, imo sublatis eisdem, nobisque, & filio nostro charissimo Maximiliano ad consilia, auxilia, & subsidia cunctis in adversis contra quoscunque toties, quoties opportunum fuerit, „ sanctissimo domino nostro papa, sede apostolica, & sancta Romana ecclesia „ duntaxat exceptis, efficaciter, & pro posse danda, facienda, & prosequenda „ ad nostram, & præfati filii nostri requisitionem præfatorum regni Hungariæ, „ & regis pro tempore, expensis, dum tamen in expeditione generali contra Tur-

Annus Christi 1463.

„ Turcos in hoc non fuerint præpediti, ac mor: irrationabili, & contradictione quibusvis, in his omnino cessantibus, libertatibus dicti regni in aliis semper salvis. Ob quod nos præfatus Fridericus Romanorum imperator, nos, ac hæredes nostros, terras, & dominia nostra, ac incolas, & inhabitatores earumdem vice reciproca obligamus & adstringimus per præsentes, ad servandum similiter inconcusse, perpetuo, cum præfato filio nostro rege Mathia, hæredibus, ac successoribus suis, ac ipso regno Hungariæ, prælatisque baronibus, proceribus, nobilibus, incolis, & inhabitatoribus ejusdem regni Hungariæ pacem inviolabilem, ligis, & inscriptionibus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, imo sublatis eisdem præterea grata vicissitudine, favoribus, & promotionibus dictum filium nostrum regem Mathiam, & regni Hungariæ bonum statum, signanter contra Turcum, & infideles Christi hostes, apud sanctissimum dominum nostrum, summum pontificem, sedem apostolicam, principes sacri romani imperii, & alias ubi opportunum fuerit, sincere promovebimus, & si, præmissis tamen signanter ad causam castrorum, ut supra, ordinatis semper salvis, nos supra dicti, Fridericus imperator, & Mathias filius noster, aut subditi nostri utrinque inter se, aut nos alter ad alterum querelas, aut petitiones quascunque habere prætenderimus, illas, ut de jure, & non aliter prosequi debebimus, quorum occasione justitia ad conquerentium requisitionem expedite erit administranda.

„ Item ad finem quod sincera affectio nostri, Friderici Romanorum imperatoris præfati, quam in dictum Mathiam regem, filium nostrum, & prætactum regnum Hungariæ gerimus, ab omnibus amplius cognosci valeat, nos venerabilibus, & magnificis Stephano Colocensi archiepiscopo &c. & Joanni Varadiensi episcopo, Nicolao de Ujlak Vayvodæ, Ladislao de Palocz, & Emerico de Zapolya præfatis, sacram coronam ipsius regni Hungariæ, nobis imperatori Friderico præfato per quondam serenissimam Elisabeth reginam, una cum serenissimo olim bonæ memoriæ rege Ladislao ad fideles manus assignatam, & hucusque fideliter tentam, & custoditam, ne ad alienas manus illam devenire contingeret, oppidumque Sopronienſe, nomine dicti Mathiæ regis, filii nostri, & ipsius regni Hungariæ, gratiose assignavimus, & omnem obligationem super eodem remisimus.

„ Item ad majorem soliditatem paterni amoris, ac in retributionem clementissimæ affectionis nostræ ad præfatum regem Mathiam, filium nostrum, & ipsum regnum Hungariæ, quodque nos eo promtior, & ad ipsius regni commoda, & boni status incrementa accuratius promovenda alliciamur, deliberatum, & conclusum est: quod vacante regno Hungariæ filiis, seu nepotibus legitimis, ex præfati regis Mathiæ lumbis procreatis non exstantibus, nos supra dictus Fridericus Romanorum imperator, aut filius noster, quem reliquerimus, aut si plures a nobis fuerint relicti, alter ex ipsis, quem regnum ipsum præelegerit, in regem ipsi regno Hungariæ præficiamur, aut præficiatur, cum plena ejusdem regni administratione. Item, si, ut præfertur, præfatum regnum Hungariæ vacaverit, provideri debet per prælatos, barones, proceres, nobiles, incolas, & inhabitatores ejusdem regni, quod nos Fridericus Romanorum imperator prænominatus, aut filius noster, ut præmittitur, consilio, & potenti auxilio ejusdem regni Hungariæ, ut moris est, coronemur, seu coronetur, & in administratione plena regni in pace recognoscamur, seu recognoscatur, & efficaciter pro rege teneamur, & teneatur.

„ Item concordatum, & conclusum est, quod omnes injuriæ, differentiæ, dissensiones, impetitiones quæcunque, & actiones inter nos, partes præfatas, etiam occasione felicis recordationis regis Ladislai, ac alias quomodolibet subortæ, etiam nobis hinc inde, ex quacunque causa competentes, quod nos, & hæredes, & successores nostros, utrinque penitus remissæ, & exstinctæ esse debent, omnisque indignatio, & displicentia, quas nos præfatus Fridericus Romanorum imperator, & dictus Mathias filius noster, reges, con-

„ tra

„ tra quoscunque prælatos, barones, proceres, nobiles, incolas & inhabitatores dicti regni, ac alios ecclesiasticos, & seculares, occasione adhæsionis nobis utrinque hinc inde factæ, concepimus, in futurum minime ulciscamur, neque via facti neque via juris, sed similiter remissæ, & exstinctæ esse debent, pollicentes, & promittentes in verbo imperiali, nos omnia & singula in prætactis articulis, & capitulis contenta, & conscripta, & per nos fieri debere, acturos, facturos, prosecuturos, & impleturos, ac a præfato commissario sanctissimi domini nostri papæ, ad id potestatem habente, & nihilominus ex post etiam a sua sanctitate, & sede apostolica, confirmationes opportunas, ex certa scientia petituros, & obtemperaturos, quibus stabimus, & parebimus realiter, & cum effectu, dolo, & fraude in his omnibus cessantibus quibuscunque. In cujus rei testimonium imperialis nostræ majestatis sigillum præsentibus fecimus appendi. Datum in Nova civitate, feria tertia ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCCCLXIII; Imperii nostri duodecimo; regnorum nostrorum, Romani vicesimo quarto, Hungariæ &c. vero quinto. „

Annus Christi 1463.

Foedere in hæc capita confecto, ne quid litis postea castrorum nomine, quorum in tabulis memoria fit, ob sacramentum, quod rex in coronatione ordinibus de tuendo regni jure dicere solet, ab Jobo de Gara, & Ladislao de Kanisa oboriretur, cæsar seorsim cum Mathia pactis conventis egerat, uti castra cum fundis suis ex sacramenti formula eximerentur.

Ac seorsim cum rege Mathia ob possessiones in Hungaria habitas transigit.

„ Fridericus divina favente Clementia Romanorum imperator semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ rex, ac Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ dux, dominus Marchiæ Sclavoniæ, & portus Naonis, comes in Habspurg, Tirolis, Ferretis, & in Kyburg, marggravius Burgoviæ, & landgravius Alsatiæ, notum facimus tenore præsentium universis. Cum serenissimus princeps Mathias Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex, filius noster charissimus, in vim amicabilium tractatuum in præsentia venerabilis Jeronymi archiepiscopi Cretensis, tunc apostolicæ sedis legati, dudum nobiscum inchoatorum, omnia, & singula per venerabiles, & magnificos, Stephanum Colocensis, & Bachiensis ecclesiarum archiepiscopum, locique ejusdem Colocensis comitem perpetuum, Joannem episcopum Varadiensem, principes Nicolaum de Ujlak, Vayvodam Transilvanum, ac regni Sclavoniæ, Machoviensem banum, cum patrem nostrum comitem Ladislaum de Palocz judicem curiæ regiæ, & capitaneum partium superiorum regni Hungariæ, devotos fideles nostros dilectos, per dictum regem Mathiam, ac prælatos, barones, proceres, nobiles regni Hungariæ, ad hoc specialiter deputatos, in præsentia venerabilis Dominici episcopi Torcellani, nunc sedis apostolicæ cum potestate legati, de latere legati missi, & venerabilis Rudolphi de Rudeshaim, præpositi Frisingensis, & decani Vormaciensis sanctissimi domini nostri papæ Pii referendarii, & in hac materia pacis commissarii a sua sanctitate specialiter deputati, in prætactis conclusa, & acceptata, & in parte executioni demandata, juxta continentiam litterarum, dictorum archiepiscopi Colocensis, episcopi Varadiensis, Nicolai de Ujlak, Ladislai de Palocz, & Emerici de Zapolya, desuper emanatarum, pro se, & hæredibus, ac successoribus suis, de consilio, & assensu prælatorum, baronum, comitum, procerum, & nobilium dicti regni Hungariæ ratificaverit, & approbaverit, rataque, & firma habere se litteris suis adstrinxerit, adjiciendo expresse, quod nos Fridericus imperator præfatus, & hæredes nostri per rectam lineam a nobis descendentes infra scripta castra, & oppida, Vorchtenstein, Kobelsdorf, ferream civitatem, Güns, & Rechnicz, cum suis pertinentiis ac omni imperio, & jurisdictione possidere, & tenere, & illis libere uti, & gaudere debeamus pacifice, & quiete, absque præfati Mathiæ regis hæredum & successorum suorum regni Hungariæ, ac dominorum, & inhabitatorum ejus, & præcipue eorum,

Annus Christi 1463.

„ rum, qui jus ad prædicta castra principaliter, aut ratione cessionis juris eo-
„ rundem factæ se habere prætendunt, seu prætendere possent, videlicet, Job
„ de Gara, & Ladislai de Kanisa & fratrum, & hæredum suorum, & alio-
„ rum quorumcunque inquietatione, turbatione, exactione, gravamine, impe-
„ dimento, vel molestia, quibuscumque, quas per se, vel alios, directe, vel
„ indirecte, de jure, vel de facto, quovis quæsito colore, nobis, & hæredi-
„ bus nostris inferre possent, donec, & quousque nobiscum, aut hæredibus no-
„ stris per rectam lineam a nobis descendentibus amicabiliter, & pacifice con-
„ cordatum fuerit super eisdem, salvis tamen causis decimarum, & aliis causis
„ ecclesiasticis, quæ in suo foro ventilari, & agitari poterunt, & debebunt,
„ prout juris est, & rationis. In causis vero profanis, aut secularibus actio-
„ nibus, tam realibus, quam personalibua contra, & adversus subditos nostros
„ ratione castrorum prædictorum motis, & movendis, actor justitiam quæret, &
„ postulabit coram nobis, vel hæredibus nostris aut judicibus, per nos in locis
„ ad hoc constitutis pro tempore deputatis, vel deputandis; prout, & dicti sub-
„ diti in præfatis causis, & actionibus justitiam coram præfato rege Mathia, aut
„ officialibus, seu judicibus suis contra subditos regni petent, & postulabunt,
„ quibus hinc inde expedita justitia ministrari debebit, salvo etiam, quod si
„ passagium generale contra infideles, & pro defensione fidei fieri continge-
„ ret, in ea re requisitione prævia a nobis fienda dicti subditi nostri sint, &
„ maneant inclusi, sic tamen, quod in eum casum hujusmodi exactionis, per nos
„ debita fiat dispositio: salvo denique, quod post obitum nostrum, & non ante
„ prædictus rex Mathias, filius noster carissimus, ac successor suus, & rex pro
„ tempore, sive regnum facultatem habeant, dicta castra Vorchtenstein, & Ko-
„ belsdorff, & eorum redditus, casu quo dictum castrum Kobelsdorff, tamquam
„ ruinosum, & modici valoris, per nos demolitum non fuerit, alias ipsius red-
„ ditus reluendi ab hæredibus nostris, pro summa quadraginta millium floreno-
„ rum Hungaricalium, seu ducatorum boni auri, & justi ponderis: pollicendo,
„ & spondendo nobis in verbo regio, pro se, hæredibus, ac successoribus suis, ac
„ toto regno, quod si quispiam de regno, cujuscumque status, gradus, vel con-
„ ditionis existat, & præcipue dicti Job de Gara, & Ladislai de Kanisa, aut
„ ipsius fratres, vel hæredes eorum, aut alii eorum nomine vel causam, seu
„ cessionem ab eisdem babentes, nos hæredes nostros a nobis per rectam li-
„ neam descendentes, aut officiales nostros, sive eos, qui dicta castra nomine
„ nostro tenent, vel in futurum tenebunt, contra præmissa quocumque modo,
„ etiam pro suo interesse turbare, molestare, aut inquietare contingat, se, &
„ bæredes, ac successores suos, ac ipsum regnum, prælatosque, barones, co-
„ mites, proceres, & nobiles regni contra tales, tamquam violatores pacis no-
„ bis, & hæredibus, officialibus, & bis, qui a nobis hujusmodi pro tempore
„ tenent, assistentiam facturos, quodque nos in pacifica possessione castrorum præ-
„ dictorum, ut prædictum est, manutenebunt, & tuebuntur, non obstante jura-
„ mento, quod ipse rex Mathias in coronatione sua de conservandis, & recu-
„ perandis libertatibus, juribus, & dominüs regni Hungariæ, seu ad regnum
„ pertinentibus præstare habebit, atque præstabit, in qno concordiam, & in-
„ scriptionea per eum, & regnum Hungariæ nobicum factas, expresse excipe-
„ re babebit, & pro exceptis habere vult, quas & post coronationem suam
„ innovabit, & innovari facere debebit. Denique a præfato domini nostri san-
„ ctissimi papæ commissario primum, & deinde sanctissimo domino nostrn, & se-
„ de apostolica confirmationem omnium præmissorum ex certa scientia, & cum
„ derogatione pro hac vice juramenti per regem desuper præstari soliti, cum
„ omni diligentia petendo, & peti faciendo, juxta continentiam præsati regis
„ Matbiæ, filii nostri carissimi, litterarum super boc emanatarum: quod nos Fri-
„ dericus prætactus pro nobis, & hæredibus nostris in verbo imperiali pollice-
„ mur, & promittimus, quod omnia, & singula, per nos in præmissis fienda,
„ implebimus, & prosequemur, ac rata, & firma tenebimus, & servabimus,

„ con-

„ confirmationemque primum, a præfati domini nostri papæ in hac causa commissario, & nihilominus demum etiam a sanctissimo domino nostro, & sede apostolica, ex certa scientia similiter petemus, & peti faciemus, dolo, & fraude in his cessantibus quibuscumque. In cujus rei testimonium nostræ imperialis majestatis sigillum præsentibus fecimus appendi. Datum in Nova civitate feria tertia ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCCCLXIII. imperii nostri duodecimo, regnorum nostrorum, Romani vicesimo quarto, Hungariæ vero quinto. Annus Christi 1463.

Orator quoque apostolicus, ut nihil præter juris formam fieret, obtenta a pontifice venia, tabulas fœderis, ut partibus convenerat, Pii nomine, & auctoritate IX. calendas Augusti in hunc tenorem confirmavit, ex quibus magna prioribus lux affulget. *Pactorum utriusque partis tabulas legatus pontificius confirmat.*

„ Rudolfus de Rudeshaim, decretorum doctor præpositus Frisingensis, ac decanus Vormaciensis, sanctissimi in Christo patris, & domini nostri domini Pii, divina providentia papæ secundi referendarius, & ipsius, nec non sedis apostolicæ orator, & nuncius, ac commissarius unicus, ad infra scripta ab eodem domino nostro papa atque sede apostolica specialiter deputatus, universis, & singulis Christi fidelibus, præsentes nostras litteras inspecturis, visuris, & audituris, omnibusque, & singulis, quorum interest, intererit, seu interesse quoque infra scriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis, aut præeminentiæ existant, communiter, & divisim salutem in domino sempiternam, & præsentibus fidem indubiam, adhibere noveritis nos pridem litteras præfati D. sanctissimi domini nostri, ejus veris bullis plumbeis, cum chordulio cannapis, more romanæ curiæ impendentibus bullatas, sanas siquidem, & integras, non viciatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes nobis præsentatas recepisse, hujusmodi sub tenore. *Pius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Rudolfo, decano Vormaciensi, referendario, ac nuncio, & oratori nostro salutem, & apostolicam benedictionem. Pietati divinæ placuit, & utique congruebat, ut Salvator noster JEsus Christus, princeps regum terræ, & dominus dominantium, ac universorum, quæ in cælo sunt pariter, & in terra, dum devicta morte nos liberaverat a diabolica potestate, & in cœlum ascenderet pro regimine suæ domus, quæ regnum ejus est, & bene fundata super petram, vicarium mortalibus dimitteret, ad quem fideles universi reges, & principes recursum haberent, cuique obedirent, & ea, quæ pro cunctorum pace, & quiete statueret, reverenter acceptarent: cumque nos hoc ævo divina disponente clementia ipsius nostri Salvatoris licet immeriti vicariatum teneamus, ad hoc operas nostras libenter intendimus, ut cuncta regna christiana inter se, & in Christo, capite nostro, summa pace conquiescant. Sane dudum, cum post obitum claræ memoriæ Ladislai Hungariæ regis, charissimi filii nostri, tam Fridericus Romanorum imperator semper augustus, quam Mathias Hungariæ reges, super ipso regno, quod eorum quisque ad se spectare asseruit, non parva differentia suborta fuisset, placuit altissimo, eosdem certa pacis media, & capitula annotare, quibus inter alia cavetur, ut pro robore, & firmitate pacis eorundem, & singulorum capitulorum, inter ipsos annotatorum, noster, & hujus sedis consensus, approbatio, & confirmatio intervenire deberet, cum autem hujusmodi pacis capitula communi partium prædictarum consensu sint edita, & concepta, atque per nos mature visa, & diligenter ponderata nihil contineant, cui nostrum debeamus denegare consensum,* (1) *sintque pro partium prædictarum, & fidelium christianorum conservatione, eapropter devotioni tuæ omnia, & singula capitula, uti facta sint, auctoritate nostra confirmandi, stabiliendi, & robo-*

(1) Satis liquet, regnum Hungariæ pontificibus fiduciario jure non fuisse obnoxium: alioquin cum de successione Friderici ad Hungariam in tabulis agitur, quin pontificii consensus mentio fiat, Pius hanc pactorum conditionem tamquam juri suo iniquam, consensu suo non firmasset.

Annus Christi 1463.

roborandi, ac decernendi illa stabilia, & prout sonant, perpetuo fore servanda, ac decernendi, supplendi quoque omnes, & singulos defectus, si quis in eisdem capitulis, & eorum celebratione quomodolibet intervenerint, & nihilominus si aliquo impediente capitula ipsa usque hodie completa non sint, ea tamen complendi, & compleri, ac perfici faciendi per partes prædictas procurandi, prout quamlibet earum concernit, & cum completa, & ad finem perducta fuerint, quod cito fieri optamus, similiter confirmandi, & roborandi, cum promissionibus, adjectionibus pœnarum, juramentis, obsidibus personarum, depositorum, castrorum, terrarum, jurium, & bonorum obligationibus, renunciationibus, cautelis, clausulis, & solemnitatibus, de quibus eidem devotioni tuæ, de earum partium consensu videbitur; quomodolibet expedire ad perpetuitatem observationis capitulorum hujusmodi, plenam concedimus facultatem, cum potestate inhibendi, & mandandi eisdem partibus, si opus fuerit, & aliis, quibus tibi expedire videbitur, ut capitula præmissa inviolabiter observent, sub pœnis, quas duxeris faciendas, ac censuris ecclesiasticis, necnon compromissores, & conservatores, pro observatione hujusmodi deputandi aliaque omnia, & singula ordinandi, providendi, mandandi, & faciendi, quæ pro inviolabili observatione capitulorum prædictorum, & ad roborationem, & stabilimentum pacis, & concordiæ partium prædictarum necessaria tibi visa fuerint, & quomodolibet opportuna. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ, MCCCCLXIII; quarto nonas Maji, pontificatus nostri anno quinto. Pius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Rudolfo, decano Wormaciensi, referendario, ac nuncio, & oratori nostro salutem, & apostolicam benedictionem. Intelleximus negotium pacis regni Hungariæ agitari, & cum hæc res nobis cordi sit, tam ob partes, quam etiam, ut fidei defensio augeatur, tibi præsentium tenore committimus, ut nostro nomine tractatibus intersis, & omnem solicitudinem secundum tibi a Deo datam prudentiam adhibeas, quod negotium illud feliciter concludatur, & ne nostra auctoritas in confirmando conclusa desit, auctoritatem tibi præstamus, & concedimus per præsentes, ut nostro nomine cuncta de partium consensu confirmes, & omnia alia, ad hoc opportuna, concedas. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. tertio nonas Maji, pontificatus nostri anno quinto. „Post quarum quidem litterarum apostolicarum præsentationem, & receptionem nobis, & per nos, ut præmittitur, factas, ac postquam partes, videlicet gloriosissimus dominus Fridericus Romanorum imperator semper augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex, Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ dux ex una, & reverendissimi in Christo patres, & domini domini Stephanus Colocensis, & Bachiensis ecclesiarum simul unitarum archiepiscopus, nec non dicti loci Colocensis comes perpetuus, Joannes episcopus Varadiensis, Nicolaus Vayvoda Transilvanus, comes Ladislaus de Palocz judex curiæ regiæ, & Emericus de Zapolya summus thesaurarius, vice, ac nomine serenissimi domini Mathiæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. regis, nec non, & palatini præsentia, reverendissimi patris, & domini domini Dominici episcopi Torcellanensis, sedis apostolicæ cum potestate legati de latere per terras, & dominia sacræ imperiali celsitudini subjecta, ad totalem concordiam in effectu talem, ut sequitur, devenissent: quod videlicet restituta per præfatum gloriosissimum dominum Fridericum imperatorem ipsi regno, seu dictis dominis prælatis, & baronibus ipsius nomine sacra ejusdem regni corona, receptoque per eundem dominum imperatorem præfato serenissimo domino Mathia rege Hungariæ in filium adoptivum, prout & realiter cum effectu hujusmodi sacram coronam per manus præfati domini episcopi Torcellanensis, & nostras, tamquam sedis apostolicæ, & præfati sanctissimi domini nostri oratoris, dictis prælatis, & dominis restituit, ac dictum serenissimum dominum Mathiam in filium adoptivum suscepit, sua majestas ipsum dominum Mathiam regem pro filio tenere, nominare, ac reputare, ipsumque, ac regnum prædictum paterne amplecti, ac prosequi, nec non coram sanctissimo domino nostro summo pontifice, ac principibus sacri Romani imperii,

„ ma-

Annus Christi 1463.

„ maxime contra Turcum favorabiliter promovere, suaque majestas, nec non hæredes, terræ dominia, atque subditi ejus, cum inclito regno, ac suis terris, dominiis, & subditis pacem perpetuam, & inviolabilem tenere, & observare, & querulantibus regnicolis de subditis suæ majestatis, habitantibus in oppidis, & castris ferreæ civitatis, Guncz, Rechnicz, Forchtenstein, & Kobelsdorff expeditam justitiam ministrare, seu ministrari facere, & in eventu, quo de consilio suo passagium generale contra Turcos fieri contingat, quod dicti sui subditi includantur, & sicut alii regnicolæ, onus hujusmodi subeant, dummodo per suam majestatem, aut ejus officiales executio, & dispositio in talibus fiat, permittere debeat, prout hæc, & alia in inscriptione suæ majestatis, ad quam nos referimus, plenius continetur: ex adverso vero serenissimus dominus Mathias rex præfatum gloriosissimum dominum Fridericum imperatorem, in patrem habere, & tenere, & ejus hæredea per rectam lineam ab eo descendentes in possessionem castrorum Vorchtenstein, & Kobelsdorff, quousque post suæ majestatis obitum ab hæredibus suis pro summa quadraginta millium florenorum Hungaricalium aut ducatorum boni auri, & justi ponderis per regem, aut regnum reluantur, nec non in possessione oppidorum fere civitatis, Guncz, & Rechnicz, quousque cum sua majestate vel ejus hæredibus amicabiliter desuper concordetur, manutenere, & contra quoscumque præcipue dominum Job de Gara, ad Guncz, & Rechnicz, & comitem Ladislaum de Kanisa ad ferream civitatem jus habere prætendentes, hæredes eorum, nec non & eos, qui vigore cessionis factæ, vel fiendæ, aut alios jus ad hujusmodi oppida habere, prætendere possent, defendere, & dicto domino imperatori, & suis assistere, neque permittere, quod subditi dictorum castrorum, & oppidorum, per officiales suos, regnum, vel regnicolas quovis modo graventur, turbentur, aut exactionentur, excepto casu passagii, de quo supra: quin immo disponere, quod eis querulantibus de aliis subditis regni per officiales, vel judices regis, aut regni expedita justitia ministretur, quodque regnum ipsum, rex, prælati, barones, & regnicolæ regni pacem inviolabilem cum dicto gloriosissimo domino imperatore, suisque hæredibus, in perpetuum observare, nec non suæ majestati, & illustrissimo principi domino Maximiliano, ejus filio in cunctis necessitatibus toties, quoties rex, prælati, barones regni desuper fuerint requisiti, excepto casu generalis expeditionis contra Turcos, suis propriis expensis contra quoscumque, Romana ecclesia, sede apostolica, & sanctissimo domino nostro duntaxat exceptis, auxilia & præsidia ferre teneantur, ac quod majestas imperialia tam apud, & per regem, & regnicolas titulo regnorum Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, ad dies vitæ suæ decorata permanere ac in litteris, & inscriptionibus quibuscumque regem se appellare, & a prælatis, baronibus, & regnicolis rex appellari, & vocari, ipsique prælati, & barones, quod serenissimus dominus rex Mathias filius suæ majestatis eandem in litteris suis, & alias regem appellare possit, annuere. Et in eventum, quo regnum ipsum non relictis per ipsum dominum Mathiam regem liberis, a lumbis suis legitime descendentibus, vacare contingat, dictum dominum imperatorem, aut ejus filium, & in eventum, quo eum decedere, & plures filios relinquere contingat, unum ex eis in regem suscipere, & potenti manu in, & ad regnum, & ipsius possessionem introducere, & illa manutenere, omniaque præmissa, & inicriptiones desuper factas, & datas, per regem, & regnum ipsum ante coronationem regis Mathiæ, & post illam infra duos menses sub sigillis potiorum ex regno approbari, & ratificari facere teneantur. Quodque hinc inde omnes injuriæ, actiones & impetitiones, quæ uniquæque partium contra aliam, & sibi adhærentes præsertim occasione domini regia Ladislai bonæ memoriæ habuit, vel habere potuit, remissæ esse, & censeri, atque pro remissis haberi, & teneri debeant, prout in Inscriptionibus per dictum dominum serenissimum regem, nec non præfatos reverendissimos patres, & magnificos dominos archiepisco-

Annus Christi 1463.

„ pum Colocensem, episcopum Varadiensem, Nicolaum Vayvodam Transilvanum, comitem Ladislaum de Palocz, & Emericum de Zapolya, tamquam procuratores, & negotiorum gestores regis, & regni pleño mandato fussultos, desuper datis, ad quas similiter nos referimus, plenius continetur; fuimus tam per præfatum gloriósissimum dominum Fridericum imperatorem; quam prænominatos dominos, archiepiscopum Colocensem, episcopum Varadiensem, Nicolaum Vayvodam Transilvanum, comitem Ladislaum de Palocz, & Emericum de Zapolya, coram nobis personaliter constitutos, nomine, ac vice præfati serenissimi domini Mathiæ regis, prælatorum, principum, baronum, comitum & nobilium regni Hungariæ debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem præinsertarum litterarum apostolicarum, ac confirmationem mediorum, & capitulorum pacis, & concordiæ, juxta vim, & formam, continentiam, & tenorem inscriptionum suarum desuper datarum hujusmodi procedere dignaremur, juxta traditam, seu directam per easdem litteras apostolicas nobis formam: nos igitur Rudolphus præpositus, & decanus, ac referendarius, oratorque, & nuncius, nec non commissarius supra dictus, attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, & consonam ratic ni, volentesque mandatum apostolicum nobis directum hujusmodi reverenter exequi, ut tenemur; idcirco auctoritate apostolica, vigore præinsertarum litterarum apostolicarum nobis tradita, & qua fungimur in bac parte, omnia, & singula media, & capitula, pacis, & concordiæ hujusmodi, uti facta sunt, & inscriptionibus prædictis continentur, ad requisitionem, & instantiam gloriosissimi domini imperatoris, prælatorum, & baronum, ac nomine regis, & regni præfatorum confirmavimus, approbavimus, stabilivimus, & roboravimus, ac illa inviolabiliter observanda fore decrevimus, confirmamusque, approbamus, stabilimus, & roboramus, ac inviolabiliter servanda fore decernimus per præsentes. Quæ omnia & singula præmissa vobis universis, & singulis supra dictis, quibus præsentes nostræ litteræ diriguntur, intimamus, insinuamus, & notificamus, ac ad vestram, & cujuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes, mandantes nihilominus vobis, & cuilibet vestrum, etiamsi imperiali, aut regali præfulgeatis dignitate, in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus omnia, & singula capitula, & media pacis hujusmodi, uti facta existunt, & in inscriptionibus prædictis continentur, plenarie, & integre, atque inviolabiliter, & inconcusse observetis, & faciatis, quantum in vobis fuerit, ab aliis plenarie, & integre observari. In quorum omnium, & singulorum fidem, & evidens testimonium præmissorum præsentes nostras litteras fieri fecimus, sigillique nostri jussimus appensione communiri. Datum, & actum in Nova civitate Saloburgensis dioecesis, sub anno a nativitate domini MCCCCLXIII. Dominica die, vicesima quarta mensis Julii, pontificatus sanctissimi præfati domini nostri, domini Pii divina providentia papæ secundi, anno quinto. „

Quibus Mathias suo quoque nomine subscribit.

His in hunc modum auctoritate apostolica firmatis tabulæ in Hungariam ad regem missæ sunt, ut prius, quam corona incingeretur, secundum pacta conventa, suo nomine ratas haberet, fidemque omnium eorum, quæ Sopronii, ac Neostadii per legatos cum cæsare transacta sunt, in se se reciperet. Mathias, re cum suis Budæ deliberata, foederum conditionibus citra difficultatem VII. Calendas Augusti ita subscripsit.

„ Mathias Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. notificamus universis, præsentes nostras litteras inspecturis, vel audituris, quod cum serenissimus, ac invictissimus princeps dominus Fridericus Romanorum imperator semper Augustus, Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ dux, pater noster carissimus, tamquam pacis amator, & zelator, in vim amicabilium tractatuum, per reverendissimum patrem dominum Joannem episcopum Varadiensem in præsentia reverendissimi patris, domini Jeronymi archiepiscopi Cretensis, tunc apostolicæ sedis legati, cum sua majestate inchoatorum, & ex post, per

„ præla-

Annus Chriſti 1463.

„ prælatos, barones, & nobiles regni noſtri Hungariæ in generali congregatione
„ regni in oppido noſtro regali Budenſi deſuper celebrata, ſub certis modis appro-
„ batorum, & acceptatorum, & nunc per reverendiſſimos, & magnificos Stepha-
„ num Colocenſis, & Bachienſis eccleſiarum archiepiſcopum, locique ejusdem
„ Colocenſis comitem perpetuum, Joannem epiſcopum Varadienſem, Nicolaum
„ de Ujlak, Vayvodam Tranſilvanum, ac regni Sclavoniæ, & Machovienſem
„ banum, comitem Ladislaum de Palocz judicem curiæ regiæ noſtræ, & Eme-
„ ricum de Zapolya theſaurarium noſtrum, & capitaneum partium ſuperiorum
„ regni noſtri Hungariæ, per nos & dictos prælatos, baronea & nobiles regni
„ ad hoc cum plena poteſtate ſpecialiter deputatos, in præſentia reverendiſſimi
„ patris domini Dominici epiſcopi Torcellani, nunc ſedis apoſtolicæ cum poteſtate
„ legati de latere miſſi, & venerabilis Rudolphi præpoſiti Friſingenſis, & Deca-
„ ni Vormacienſis ſanctiſſimi domini noſtri referendarii, & in bac materia pacis com-
„ miſſarii, a ſua ſanctitate ſpecialiter deputati concluſorum, & in parte execu-
„ tioni demandatorum, nos in ſuæ majeſtatis filium adoptaverit, & receperit,
„ nosque pro filio nominare, tenere, paternaliter proſequi, ac nos & regnum
„ noſtrum maxime in facto Turcorum, apud ſanctiſſimum dominum noſtrum,
„ principes imperii, & alibi fideliter promovere ſpoponderit; ſacram regni no-
„ ſtri Hungariæ coronam dudum apud ſuam majeſtatem, per genitricem quon-
„ dam felicis recordationis regis Ladislai prædeceſſoris noſtri depoſitam benigne
„ reſtituerit, pacem inviolabilem pro ſe, & hæredibus, ac ſucceſſoribua, nec
„ non dominiis ſuis, cum regno noſtro inierit, & conſtituerit, aliaque plura gra-
„ ta nobis, ac regno noſtro fecerit: nos de conſilio, & conſenſu prælatorum,
„ baronum, comitum & nobilium regni, ne dum in præſata congregatione Bu-
„ dæ obſervata, ſed & in alia congregatione noviſſime in Tolna tenta, habitis,
„ & obtentis, omnia, & ſingula per dictos archiepiſcopum, epiſcopum Nicolaum
„ Vayvodam, comitem Ladislaum de Palocz, & Emericum de Zapolya, con-
„ cluſa, & acceptata, prout in litteris eorum, deſuper datis, continetur, pro nobis,
„ & hæredibus, ac ſucceſſoribus noſtris ratificamus, & approbamus, eaque rata,
„ & grata habebimus, & proſequemur, & ultra ea, quæ in dictis eorum lit-
„ teris continentur, de ſimili conſilio, & conſenſu prælatorum, baronum, comi-
„ tum, & nobilium regni noſtri, ſimiliter pro nobis, bæredibus, & ſucceſſori-
„ bus noſtris volumus, & ita cum ſua majeſtate ex parte regni concordatum eſ-
„ ſe dicimus, & profitemur, quod idem ſereniſſimus dominus imperator pater
„ noſter cariſſimus, & hæredes ſui per rectam lineam ab eo deſcendentes infra
„ ſcripta caſtra, & oppida, videlicet Vorchtenſtein, Kobelsdorff, ferream ci-
„ vitatem, Güns, & Rechnitz, cum ſuis pertinentiis, ac omni imperio, & ju-
„ risdictione poſſidere, & tenere, & illis libere uti, & gaudere debeant, pa-
„ cifice, & quiete, absque noſtra, bæredum, & ſucceſſorum noſtrorum, regni
„ dominorum, & inhabitatorum ejus, & præcipue eorum, qui jus ad dicta ca-
„ ſtra principaliter, aut ratione ceſſionis eorundem factæ, vel fiendæ, habere
„ prætendunt, aut prætendere poſſent, videlicet Job de Gara, & Ladislai de
„ Kaniſa, & fratrum, & hæredum ſuorum, & aliorum quorumcunque inquie-
„ tatione, turbatione, exactione, gravamine, impedimento, vel moleſtia, qui-
„ buscunque, quas per ſe, vel alios directe, vel indirecte, de jure vel de fa-
„ cto, quovis quæſito colore, dicto domino imperatori, ac ſuis hæredibus in-
„ ferre poſſent, donec, & quousque cum eadem ſua Serenitate, aut bæredibus
„ ſuis per rectam lineam ab eadem deſcendentibus amicabiliter fuerit concorda-
„ tum, & pacifice ſuper eisdem, ſalvis tamen cauſis decimarum, & aliis cauſis
„ eccleſiaſticis, quæ in ſuo foro ventilari, & agitari poterunt, & debebunt,
„ prout juris eſt & rationis. In cauſis vero profanis, aut ſecularibus actionibus,
„ tam realibus, quam perſonalibus, contra & adverſus ſubditos imperialis maje-
„ ſtatis, ratione caſtrorum prædictorum motis, & movendis, actor juſtitiam
„ quærat, & poſtulabit coram imperatoria majeſtate, vel hæredibua ſuis, aut
„ judicibus per eos in locis ad hæc conſtitutis, pro tempore deputatis, vel de-

„ putan-

Annus Christi 1463.

„ putandis, prout & dicti subditi, in præfatis causis, & actionibus justitiam coram nobis quærent, & postulabunt. Quibus hinc inde expedita justitia ministrari debebit, salvo etiam, quod si passagium generale contra infideles pro defensione fidei, & regni fieri contingeret, in ea re, requisitione prævia a majestate imperiali fienda, dicti subditi sint & maneant inclusi, sic tamen, quod in eum casum hujusmodi exactionis per suam majestatem debita fiat dispositio, salvo denique, quod post obitum serenissimi domini imperatoris, patris nostri carissimi, & non ante, nos aut successor noster, & rex pro tempore, sive regni facultatem habeamus, & habeant, dicta castra Vorchtenstein, & Kobelsdorff, & eorum redditus, casu quo dictum castrum Kobelsdorff, tamquam ruinosum & modici valoris, per majestatem imperialem demolitum non fuerit, alias ipsius redditus reluendi ab hæredibus suæ majestatis pro summa quadraginta millium florenorum Hungaricalium, seu ducatorum boni auri, & justi ponderis. Ceterum in verbo regio pro nobis, hæredibus, & successoribus nostris, ac toto regno, eidem domino nostro imperatori, patri nostro carissimo addicimus, pollicemur, & spondemus, quod si quispiam de regno, cujuscunque status, gradus, aut conditionis existat, & præcipue dicti Job de Gara, & Ladislaus de Kanisa, aut ipsius fratres, aut hæredes eorum, aut alii eorum nomine, vel causam, seu cessionem ab eisdem habentes suam imperatoriam majestatem bæredes ejus, ab ea per rectam lineam descendentes, aut officiales suos, sive eos, qui dicta castra nomine suæ Serenitatis tenent, vel in futurum tenebunt, contra præmissa quocunque modo, etiam pro suo interesse turbare, molestare, inquietare qualitercunque contingat, nos, & hæredes, ac successores nostri, & regnum ipsum hujusmodi, atque ceteri prælati, barones, comites, & nobiles regni, contra tales, tanquam pacis violatores, domino imperatori, suis hæredibus, officialibus, & his, qui ab eis hujusmodi castra pro tempore tenent, potenter assistentiam faciemus, & eos in pacifica possessione castrorum prædictorum, prout prædictum est, manutenebimus, & tuebimur: non obstante juramento, quod in coronatione nostra de conservandis, & recuperandis libertatibus, juribus, & dominiis regni nostri Hungariæ, seu ad regnum pertinentibus, præstare habebimus, & præstabimus, in quo concordiam, & inscriptiones per nos, & regnum ipsum cum imperiali majestate factas expresse excipiemus, & pro exceptis haberi volumus, quas & post coronationem nostram innovabimus, & innovari faciemus. Denique a præfato sanctissimi domini nostri commissario primum, & demum etiam a sanctissimo domino nostro confirmationem omnium præmissorum ex certa scientia, &c. cum derogatione pro bac vice juramenti per nos desuper præstari soliti, cum omni diligentia petemus, & peti faciemus, dolo, & fraude, ac quacunque sinistra adinventione, vel machinatione cessantibus quibuscunque. In quorum omnium fidem, robur & testimonium, præsentes nostras litteras appensione sigilli nostri fecimus communiri. Datum in oppido nostro Budensi, feria tertia post festum beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCCCLXIII. regnorum nostrorum Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. quinto. „

Eas pontifex itidem ratas habet.

Hactenus regis litteræ: in quibus nullam de successionis jure, si Mathias improlis obiret, in cæsarem, aut aliquem, ex hujus filiis transcripto, quod tamen præcipuum foederis caput erat, memoriam fieri, permirum nonnullis videri potest. Satisne autem id momenti sit, ut arbitremur, Mathiam non omnes regni ordines in ea re sibi consentientes habuisse, præsertim quod proceres, quibus eæ partes mandatæ erant, litteris ad cæsarem datis, quarum supra meminimus: non de omnibus ad conventum se retulisse perhibeant, aliorum esto judicium. Verum id utcunque fuerit, pontifex cognito pacificationem huc jam adductam esse, ut tabulæ suo arbitratu firmatæ veluti coronidem acciperent, gaudii plenus, quod sopitis dissensionibus, quibus componendis frustra alias per legatos operam locabat, tam feliciter inter partes amicitia coaluisset, litteras apo-

stolicas

ſtolicas vulgavit, quibus objecta ſacrorum comminatione, quæcunque ictis foederibus ſancita eſſent, ſervari omnino jubet. Quod etſi ſerius aliquanto factum ſit, tamen quia id narrationis ordo poſtulat, hoc loco memorandum eſt. (1) Annus Chriſti 1463.

Pius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Licet ſuſcepti regiminis cura dietim nos innumeris, quibus diſtrahi conſpicimur, negotiorum illidat incurſibus, ad ea tamen ſummopere noſtræ dirigimus affectionis intuitus, ut nobis ex alto commiſſum implere poſſimus officium, & univerſis noſtræ vigilantiæ creditis, jurgiorum, contentionumque ſemotis diſpendiis, pacis, & quietis præſidia feliciter miniſtremus. Illa rurſus ampliori perſtringentes apoſtolici numinis adminiculo, quæ ad eorundem pacis, & quietis ſolidationem gratis diſſidentium mediis novimus proceſſiſſe. Sane pro parte chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Friderici Romanorum imperatoris ſemper Auguſti, & Mathiæ regis Hungariæ illuſtris, ac venerabilium fratrum noſtrorum Stephani archiepiſcopi Colocenſis, Joannis epiſcopi Varadienſis, ac dilectorum filiorum nobilium virorum Nicolai de Ujlak Vayvodæ Tranſilvani, & Ladislai comitis de Palocz judicis curiæ, ac Emerici de Zapolya ſummi theſaurarii ipſius regis, & capitanei partium ſuperiorum regni Hungariæ, petitio continebat: quod cum olim inter ipſum imperatorem ex una & dictum regnum, prælatosque, barones, nobiles, proceres, & incolas, & inhabitatores ejusdem regni ex altera partibus, certæ differentiæ, & controverſiæ ſubortæ fuiſſent: & venerabilis frater Hieronymus archiepiſcopus Cretenſis, nuncius, & orator noſter primo, & deinde dilectus filius Rudolfus electus Laventinenſis, tunc decanus eccleſiæ Wormacienſis, commiſſarius hujusmodi negotii, ad hoc per nos ſpecialiter deputatus, tam apud imperatorem, quam regnum, prælatos, barones, nobiles, & proceres hujusmodi, pro ſedandis differentiis, & controverſiis prædictis laboraſſent, tandem archiepiſcopus Colocenſis, epiſcopus Varadienſis, Vayvoda, comes, & theſaurarius dicti pro pace, ſuper differentiis, & controverſiis hujusmodi tractanda, & concludenda, oratores regis, & regni prælatorum, nobilium, ac procerum eorundem, ad dictum imperatorem pro ſedandis differentiis, & controverſiis prædictis miſſi fuerunt: & inter partes ipſas ad exhortationem noſtram medio venerabilis fratris noſtri dominici epiſcopi Torcellanenſis, & dicti electi, tunc decani, amicabilis concordia ſucceſſit, quam ipſi imperator, & rex de conſilio prælatorum, baronum, & nobilium prædictorum, nec non archiepiſcopus Colocenſis, epiſcopus Varadienſis, Vayvoda, comes, & theſaurarius præfati, tam ſuo, quam regis, & regni eorundem nominibus ſignificarunt, & approbarunt, promittentes illam irrefragabiliter obſervare, prout in litteris concordiæ, ac imperatoris, & regis eorundem ipſorum, ac archiepiſcopi Colocenſis, epiſcopi Varadienſis, Vayvodæ, comitis, & theſaurarii, præfatorum ſigillis munitis, & quarum tenorem præſentibus inſeri fecimus, proſpicitur latius contineri. Quam quidem concordiam dictus electus, tunc decanus, ad imperatoris, & archiepiſcopi Colocenſis, epiſcopi Varadienſis, Vayvodæ, comitis, & theſaurarii nominibus prædictis inſtantiam, ad hoc a nobis ſufficienti mandato ſuffultus, auctoritate apoſtolica per ſuas litteras confirmavit, & approbavit. Quare pro parte imperatoris, ac regis, nec non archiepiſcopi Colocenſis, episcopi Varadienſis, Vayvodæ, comitis, & theſaurarii eorundem nominibus prædictis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut concordiæ hujusmodi, nec non ſingulis in ipſis litteris contentis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur apoſtolicæ confirmationis, adjicere, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi ſupplicationibus inclinati, nec non concordiam, & contenta hujusmodi, ac quæcunque inde ſequuta, rata habentes, & grata, illa eadem auctoritate apoſtolica, & ex certa ſcientia confirmamus, approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in Litteris in hæc verba vulgatis

eisdem;

(1) Ex Auctar. Diplom. Cl. Kollarii.

Annus Christi 1463.

eisdem: & nihilominus, partibus ipsis in virtute sanctæ obedientiæ tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut concordiam, & contenta hujusmodi irrefragabiliter observent, nec contra ea, vel ipsorum aliquid, quovis quæsito colore, venire præsumant, nobis, & successoribus, & Romanorum pontificibus contra partem, concordiam, & contenta prædicta non servantem, quoties opportunum fuerit, justitia mediante procedendo, ac illam ad eorundem observantiam per formidabiles, de quibus, nobis, vel eisdem successoribus videbitur, poenas compellendum, eadem facultatem auctoritate reformando, concordia prædicta nihilominus rata manente, præterea volumus, quod præfatus rex ad præstandum de conservandis, ac recuperandis libertatibus, juribus, & dominiis dicti regni solitum juramentum minime teneatur, quod ea duntaxat, per quæ concordia, & contenta prædicta quomodolibet venire posset, quin immo concordia, & contenta hujusmodi in juramento prædicto, quod idem rex præstabit omnino excipiantur, & pro exceptis habere debeant, non obstantibus contrariis quibsucunque. Tum insertis ad verbum tabulis, partiumque litteris, quas supra memoravimus, in hæc verba concludit: *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, communitionis, suppletionis, mandati, reservationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare, præsumserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. undecimo calendas Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.*

Corona regni post viginti annorum exitum in Hungariam reducitur.

Confecta in hunc modum pace, nostri coronam ingenti pompa Sopronium adduxere, atque illinc, postquam populo undequaque confluenti triduum aspectabilis facta fuisset, Budam incredibili omnium gaudio delata est, creditumque cum sacerrimo hoc pignore pacem, ac felicitatem regno tamquam postliminio rursus invectam esse. Bonfinius, dum nostri cum pecunia, ad redimendam coronam Neostadium venissent, nonnihil tumultuatum in suburbio esse memorat, quod nec Hungari ante receptam coronam pecuniam præstare, nec Germani, nisi numerata pecunia, illam in manus consignare vellent: Varadiensis tamen, & Passavini episcoporum interventu sopitas discordias, & diadema Budam deportatum esse, rege ad Savum contra barbaros occupato. Qua id fide narret, haud satis mihi compertum est: quod coronam episcopo Torcellanensi, & præposito Frisingensi, ut litteræ habent, consignatam, tum Hungaris ex pactis conventis traditam fuisse, extra omnem dubitationem sit: neque credibile videatur, regem, qui paulum ante fœderis tabulas Budæ suo nomine firmarat, quatuor dierum spatio ad Savum cum exercitu provolare potuisse.

Mathias confecta cum Friderico pace bellum in Turcos meditatur.

Mathias recepta a Friderico corona, firmatisque fœderibus, tanto acriore cura bellum in Turcos alias decretum, complexus est, quanto crebriores nuncii de secundis barbarorum progressionibus afferebantur. Nuper admodum in Stiriam & Carnioliam irrumpentes, fœdissima strage eas provincias affecerant, ingentemque christianorum copiam in servitutem abegere. Ea barbarorum audacia rex vehementer commotus veritusque ne armorum felicitate illecti, Hungariæ quoque partem, quæ Stiriæ finitima est, aut Dalmatiam ex itinere reduces, percursarent utrisque misso isthuc milite cavit, ac Ragusinis, qui periculo viciniores fuere, suppetias miserat, certus belli molem, quo Turcos ab iis provinciis abstraheret, in Bosniam transferre. Cujus rationes ut magis expeditas haberet, oratorem ad Venetos legarat, qui icto secum fœdere, Mahometem, post expugnatam Peloponnesum immissa ægeo mari classe distraherent, simulque

Istorum in Dalmatiam, Stiriamque procursione ad id incitatus.

pontifice per litteras de discrimine edocto, subsidia accelerari petiit. *Scio*, scribit, *notissimum esse Sanctitati vestræ his superioribus diebus in Alemannia, & quæ egerit & quorsum ea egerit Turcus. Nemini quippe dubium est, non Epiroticos illum montes affectare, sed per ista quasi pontem sibi parare ad reliquam christianitatem opprimendam; ego vero sentiens proximum exinde civitati meæ Ragusinæ imminere periculum, & id mox, quod absit, gradum fore periculi communis, ea potissimum de causa, nisi præsidio illarum partium, quantum ad præsens ipse potui copiarum*

Ma-

Magis ut proposito, ac officio meo faciam satis, & animum declarem meum, quam quod sperem, solus sufficere posse ad tantos impetus sustinendos. Cum igitur luce magis clareat Beatitudini vestræ, inimicus fidei catholicæ quid statuat, his coeptis pro sua sapientia, & debito pastorali de remedio cogitet opportuno, & ita cogitet, ut tam letifero vulneri non serum, & leve, sed tempestivum, & validum adhibeatur medicamen: nam si ultra jam tardabitur, vereor equidem, ne talia iterum sequantur, quæ etiam cunctis adnitentibus, non modo valde difficile, sed & impossibile sit emendare. (1)

Annus Christi. 1463.

Idem pontificis studium.

Pontifex, qui jam dudum eam ob causam Romæ conventum indixit, eo diligentius Italiæ principes, ut per se se aut legatos adessent, cohortatus est, quo magis pristinum commovendi adversus barbaros belli studium animo suo obversari senserat. Convenere præter Genuensium, Sabaudi, & montis Ferratensis, pene omnium ex Italia principum legati, cum quibus, cum de stipendio, id enim maxime agebatur, pontifex deliberat, plerique decretum de decumis, quod in Mantuano conventu sancitum erat, recepere: quæ res cum ingentes omnibus animos rei feliciter patrandæ ingessisset, Veneti cum Burgundo fœdus inierant, quo cautum est, ut sociata classe communibus viribus in barbaros ageretur. Habuit pontifex legatis gratiam, solutoque conventu litteras ad universos christianos vulgavit, quibus post tentatos frustra toties principes, novam rursus belli in barbaros concitandi spem oriri significat, & ad paria studia, sociorum, qui in id bellum conspirarant, suoque, qui contemto capitis periculo, se bello interfuturum spoponderat, exemplo accendit. Inter cetera enim *alios*, inquit, *hactenus exhortati sumus defensionem fidei suscipere, atque in bellum ire, missuri legatos, atque alia facturi, quæ nostræ facultates sufferre possent, mansuri pro necessitatibus ecclesiæ apud Septa ovium, quæ restant nondum expugnatæ, nunc majora promittemus, nos ipsos periculis objectabimus, nostrumque caput adversus Turcos offeremus in bellum, & quantum nobis ecclesia Romana, & patrimonium beati Petri ministrare poterit, tantum pro fide catholica protegenda exponemus, & profundemus in hoc itinere. Nec soli proficiscemur in hostes, clarissimo enim genere natus, & amabilis Deo princeps Philippus Burgundiæ dux in hanc expeditionem venturum se offert, non sine delecta militum manu, & exercitu valido; potentis, & clari Venetorum ducis Christofori Mauri ingens, & formidanda classis, superioribus mensibus in Græciam navigavit, totamque fere Peloponnesum vi, atque armis eripuit hosti, Isthmumque peninsulæ, qui sex millibus passuum inter duo maria patet, undecim, ut ajunt, diebus excitatis muris, ac turribus clausit, memorabile factum, & inter præclara veterum opera numerandum: hæc eadem classis, ut præmissum est, nobis non deerit: spondent quoque, & ceteri Italiæ principes pro sua religione, & in commune bonum affectione præcipua tam sancto digna opere auxilia: favente nobis altissimo maritimum bellum feliciter absolvemus, quoniam non sunt Turci pares in pelago Venetis. Ex altera parte in terra pugnabunt Hungari genus hominum in bello ferox, & jam Turcos vincere didicerunt. Inclitus rex gentis hujus Mathias jam coronam, & pacem in regno consecutus ingentes poterit derivare, atque in prælium ducere copias. Hæc nobis certissima sunt belli præsidia, cum his ibimus, cum his Dei prælium decertabimus. Erunt & Albani nobiscum, & multi per Græciam, ut speramus, & aliæ hosti subjectæ provinciæ, a Turcis deficientes castra nostra sequentur, christiani enim sunt, oderuntque Mahumetem; hosti parent coacti metu, qui non est diuturnus magister officii; ut primum spes libertatis affuerit, adversus insolentes dominos cornua erigent, nec deerunt in Asia motus, ut sunt in omni gente, atque in omni provincia male pacati homines, & novitatum cupidi, qui tempus exspectant: non erit facile Turcis tot locis occurrere, difficile defenditur, quod undique a multis oppugnatur.* Tum barbari feritatem, ac miram, ad quam christianorum oscitantia, & discordiis excreverat, potentiam expingit. *Interea quantum creverint Turcorum vires difficile dictu est, auditu miserum: a mari pontico, usque ad omnem Savum, & ab ægeo pelago, usque ad Danubium nobilissimas inter-*

Et ad christianos principes adhortatio.

(1) Part. I. epist. MATH. CORVINI pag. 150.

Annus Christi 1463.

jacentes provincias, suæ possessionis fecerunt: transiverunt, & ipsum Danubium, Valachiæque magnam partem occupaverunt: penetraverunt & Savum, atque agros Hungariæ longe, lateque vastaverunt. Hoc anno Bosniam invaserunt, universumque regnum sibi subjecerunt, & insulam Lesbon. Quanta vero crudelitate in subactis urbibus, ac provinciis usi sint, horret animus dicere: in Constantinopoli Græcorum imperator obtruncatus est, & caput ejus hasta suffixum, per castra delatum est, Rascianis principibus eruti sunt oculi, in Lesbo multitudo puberum palo transfixa, in Bosna regem, qui salutem pactus se se dediderat, cum patruo suo, Mahometes ipse humano sanguine insatiabilis, sua manu, ut fertur, jugulavit. Quo crudelitatis genere, quominus in ceteros quoque christianos sævirent, Hungaros in causa esse, qui, quamquam deserti a plerisque essent, suum caput pro salute omnium manifesto periculo objicere non vererentur. *Nam Hungari*, ait porro, *tantum sub Callisto vigilantes arma sumserunt, qui de tuendo regno soliciti, dum suos fines observant, custodiunt nostros.* (1) Hæc pontificis ad christianos exhortatio: Mathiæ singilatim nunciatum audacter in hostem moveret, qui Venetorum, & Burgundi studio in partes distrahendus esset: adjecta spes fœderis cum duce proxime uniendi, affuturos ad eam rem oratores, & quod maximo stimulo esse poterat, stipendium ex pontificio ærario, & imperatis decumis viritim erogatum iri.

Mathias in Turcos profecturus.

Rex cum sponte sua, tum crebris promissis, ac præcipue Bosnensium, qui jugum Turcicum graviter ferebant, nunciis ad bellum incensus, habito militum delectu, quibus stipendiarios suos adjunxerat, profectioni signum dedit, modicis de industria itineribus usus, ut spatium ceteris sub signa confluendi daret. Hoc modo Varadinum, quod Petri vulgus dicit, pedetentim ventum est, & exercitus trans Danubium metari jussus, quo ab hostili maleficio, qui trajecto Savo late grassabatur, tutior esset. Ibi cum hostium consilia, quo evasura essent, speculatur, oratores, ab Venetorum duce adsunt, ut fœderis rationes communi consilio ad loci, temporisque usum exigerentur. Facile utrisque armorum studio pariter in barbaros flagrantibus convenit, fœdusque in has conditiones percussum (2)

Fœdus cum Venetis conficit.

In nomine Dei æterni amen. Postquam perfidus Turcus, perpetuus christiani nominis hostis victoriarum cursu vehementius elatus, in dies factus est insolentior, modo hos, modo illos potius quadam ejus sævitia, quam rei militaris peritia domuit, & ditioni suæ Græciam, Bulgariam, Serviam, Constantinopolim urbem olim opulentissimam, Peloponnesum, Trapesundam, Moldaviam, & alia maritima loca, postremoque Bosniam, provincias omnes christianorum nomen profitentes, nullo propemodum repugnante subegit, ac etiam Christianæ religionis cultores, de quorum excidio jam dudum molitus est, sternere non desinit, est sperandum in divina clementia summi Creatoris nostri, qui pro redemtione nostra tormentum crucis subire dignatus est, quod ab hujusmodi persecutoribus Turcorum hostium nunc fidelem populum suum christianum liberabit; jamque ipse pater omnipotens assiduis deprecationibus fidelium suorum, divinum auxilium implorantium placatus, & quorum eversæ sunt domus, dissipatæ fortunæ, liberi in servitutem tracti, parentes crudeliter interemti, misericordia motus, victoriis illis, tot christianorum cruore pollutis finem imposuit. Et ut victoriarum cursus adversus Turcos citius dirigatur, illustrissimum dominium ducale Venetiarum, in Turcorum nomen semper infestum, ad hoc bellum adversus Turcos suscipiendum, una cum serenissimo domino rege Hungariæ in hanc hodiernam diem excitavit, simulque societate, & fœdere junxit, ut effrænata Turcorum audacia, quæ ulterius ferenda non est, cum falsa Mahometana fide tam ex mari, quam ex terra penitus deleatur, & ipsi sævissimi Turci sceleratissimi facinoris meritas pœnas luant.

Itaque divino numine adducti serenissimus, & excellentissimus dominus dominus Mathias Dei gratia rex Hungariæ &c. ex una, ex altera parte illustrissimus dominus, dominus Christophorus Mauro Dei gratia dux, & inclitum dominium Venetiarum, etiam

in

(1) Inter Epist. ÆNEÆ SYLVII 397. (2) RAYNALD. ex cod. Ms. Vallicellano.

in Dei nomine ad hanc compositionem, unionem, intelligentiam, & ligam contra infidum Turcum optimo animo, & sincerissima mente, unanimiter, & simul conveniunt cum his modis infra scriptis, pactis, capitulis, conventionibus, promissionibus, & obligationibus pro conservatione sanctissimae christianae religionis, & amplificatione nominis Christi, summi creatoris nostri. Tum hæc utrinque foederis capita sancita. Veneti reciperent tamdiu se aperto bello Turcam infectaturos, quam diu Mathias rex bellum itidem cum eo gereret; instructuros præterea classem quadraginta triremium, atque in loca maritima incursuros, per Dalmatiam quoque, perque Peloponnesum pedestres, equestresque copias ad distrahendum in plures partes hostem, educturos. Mathias vicissim fidem dedit, se cum valido exercitu in provincias Turcorum juri obnoxias incursurum, cautumque, ne quid Hungarus in Veneto limite, aut Venetus in Hungarico novaret, nec pars altera, altera non consentiente, aut imprudente pacem cum barbaris conficeret. Reservatum ad hoc jus universis regibus principibus, ac ducibus his foederibus, ubi voluerint, accedendi, quod citra moram ex juris forma communitum, adjectaque loci, ac temporis nota his verbis vulgatum est. *Actum in Sirmio in Varadino Petri, in aula serenissimi, & excellentissimi domini regis prædicti anno Domini MCCCCLXIII. indictione XI. die XXII. Septembris præsentibus reverendissimis, & dignissimis dominis, Stephano archiepiscopo Colocensi, & Joanne episcopo Varadiensi, ac magnificis, & potentibus dominis, Michaele dignissimo comite palatino regni Hungariæ, Nicolao Vayvoda, bano Sclavoniæ, comite Stephano de Frangipanibus, bano Croatiæ, Pamano comite Zagoriæ bano Sclavoniæ, ac magnifico domino Emerico Zapolya regis thesaurario dignissimo, & aliis dominis præsentibus & adstantibus partibus ad hæc vocatis, & specialiter rogatis.*

Annus Christi 1463.

Foederis conditiones.

Mahometes cognito per speculatores Mathiæ adventu sive adolescentiam regis despicatui baberet, seu facile paucas, quas ducebat, Savo Danubioque, nam trans istum rex castra habuerat, copias arceri posse putabat, opposito cum copiarum parte Alibego, ipse in Macedoniam recessit. Mathias & gloriæ cupidine accensus, & hostis contemtu irritatus, militem Danubio admovet, simulatoque alibi, alibi tentato transitu barbaros explicatis ordinibus aggressus semel, iterumque profligavit, transque Savum rejecit. Tum ut victoriæ fructum legeret, celeritate utendum ratus, transmisso Savo, Serviam ab suis percursari jubet, qua foede vastata militem paulisper in castris continuit, partim, ut captata quiete labori magis esset idoneus, partim ut subsidia, quæ sequebantur, citra hostis maleficium acciperet. His circiter autumni initium in castra receptis, instauratisque copiis, partem copiarum in Bosniam præmittit, rectaque Jaiczam urbem, regni caput petere mandat; ipse alteris castris suos consequutus & commeatus rationes faciliores præstitit, & nequid ab tergo periculi oriretur, supra quam aut ætas, aut belli usus ferret, diligenter, prudenterque providit. Ut ad urbem ventum, visa captaque primo impetu est. Strage ingenti inter barbaros edita. Arx defensionem apparabat, & quamquam nihil in ea oppugnanda prætermissum, quod ad accelerandam deditionem pertineret, tamen pluvius præter morem autumnus, & ingruentis hiemis rigor longiorem, quam in principio existimatum fit, obsidionem reddiderant. Itaque trium fere mensium spacio protracta obsidio est, magisque fame, quam armis pugnatum. Cujus cum barbari, Asiatica mollitie corrupti impatientes essent, deditionem, vitam duntaxat pacti, fecere. Recepta arce et in omnem eventum militaribus operibus communita, finitimæ urbes partim sponte, partim armorum metu potestati regis certatim se subjecerant, ut adeo intra paucos dies sexaginta numero oppida cum arcibus, excusso barbarorum jugo, juri Hungarico redderentur.

Tum in Bosniam promovens

Breviſaicam cum toto regno recuperat.

Atque id primum veluti regis rudimentum, quod militiæ posuerat, fuit ut arduum initio, ita exitu felix, ac gloriosum, victoriarumque, quas deinceps fere ex barbaris consecutus est, ominosum auspicium: neque dubium erat, belli gloria inescatum, porro in hosticum ipsa hieme promoturum fuisse, nisi, acceptis ex Hungaria nunciis, Bohemos, qui nuper ad fidem redierant, Moravis con- junctos,

Annus Christi 1464.

Redit ob turbas domi concitatas.

Annus Christi 1464. junctos, novas rursum turbas dare, victoriæ cursum reflectere ingratis suis coactus esset. Itaque relicto in Bosnia militari præsidio, quantum ad vim arcendam satis esset, ceterisque ad hiberna dimissis, in Hungariam rediit. Cum in principio anni per Sclavoniam iter facit, futuras belli curas jam multo ante animo complexus, quo subsidia facilius compararet, ad pontificem litteras dedit, ut, intellecto felici armorum progressu, communem causam cum ceteris Italiæ principibus libentius adjutum iret. Multæ iis, fereque totius anni res cum a se, tum legatis adversum Turcos gestæ comprehenduntur; itaque ad conciliandam annalibus fidem, lucemque omnino dignæ, quarum meminerimus. (1)

Mathias rex papæ Pio II.

Rerum in Bosnia gestarum seriem prolixe ad papam scribit.

„ Beatissime pater! Serius forsitan, ac ratio debiti postulabat, accessit „ tandem mihi copia temporis, facultasque scribendi ad Sanctitatem vestram de „ rebus apud me gestis, quibus divina clementia dextram suam hoc tempore „ nobiscum magnificare dignata est. Par erat, ut ante priores primus ante prodiisset nuncius, index officii mei, notum facturus ordinem rerum actarum, per „ quas vota, & spes vestræ Sanctitatis, quæ princeps rerum est, ad Dei laudem, „ ac propensiorem publicæ salutis curam reficerentur. Sed cum notitia horum, „ quæ gesta sunt, quo sera, eo magis plena futura sit, volui vel tardius exequi, quod negligere non debui. Juvabit puto audire plenius, & nota rectius agnoscere. Igitur dum circiter calendas Majas opportune congregato exercitu castra metatus essem ad ripas Danubii, eam partem versus, quam frequentior incursus hostium vexare, vastareque plene jam consueverat, non „ longe aberat etiam Turcus magnus cum exercitu magno, & cum manu, pro „ suo more, valida. Res inprimis satis contecta erat, quorsum acies flectere „ disponeret, nam locus, quem castris occupaverat, plures partes respiciebat, „ eratque pervius ex concursu viarum, quascunque petere vellet. Exploratores nostri varium sæpe nuncium afferebant, aliis ad castrum Nandoralbense, vallo circumdandum, quibusdam ad prælium nobiscum ineundum, aliis „ alio eum tendere asserentibus. At paulum post ambiguitas hæc sublata fuit, „ palamque factum est, invitatum eum a quibusdam proditoribus Bosnam versus declinare. Eo dum festinus accessisset, suscepta proditione quam antea paraverat, prius forte, quam eduxisset gladium, vicit: proditoribus æque, ut proditione potitus. Vinxit deinde regem, arte, & dolo, non armis susceptum, „ demumque excruciatum necat: arces omnes, & munitiones regni in deditionem accepit, custodibus earum manus ultro porrigentibus. Verum antequam „ Bosnam ingressus esset, dimiserat præfectum Serviæ, Alibeg nominatum, cum „ haud parva exercitus parte, e regione apud vada fluminis Savi, ut nos ab „ ejus transitu vel prohiberet interim, vel averteret. Is enim Savus unus ex „ vulgatissimis Pannoniæ fluminibus inter corpus Hungariæ, & regnum Bosnæ „ medius interfluit. Cum hoc igitur hoste tunc mihi primum res gerenda fuit, „ post feliciter acta est. Nam cum idem obsisteret nostris, & prohibere tentasset passus, ac insuper eas partes, quæ castris meis vicinæ erant, lacessere coepisset, ibi demum justa acie, & aperto prælio una primum, & paulo post altera vice fractus, victus, & fugatus est. Multi ex hostibus gladio, multi ad „ flumen adacti obruentes se invicem, & obruti a se se, naufragio, ruinaque „ perierunt. Dux ipse cum parva sociorum manu in phaselis, & lembis subvecti, salutem asservavere. Ego vero postea, quam hujusmodi victoria a Deo „ donatus sum, rei bonæ spem meliorem sequi statui, & illico levavi tota castra a loco priori, trajeci Danubium, continuatoque gressu accessi ad vada „ Savi, ab hostibus jam ante occupata: quibus facile superatis depuli ab inde „ reliquias hostium prius fugatorum, & ad persequendum eos iter in Serviam „ direxi.

(1) Part. I. epist. MATH. CORV. pag. 161.

„ direxi. Nam tempore intermedio Turcus confectis rebus Bosnæ, fines ejus „ retro cedens, excesserat, regressusque jam fuerat in Macedoniam. Annus Christi 1464.

„ Itaque castra Serviæ inferenda erant: eam ego longe, lateque pervagari, ceterum igne, gladio, præda vastare jussi. Multi in ea ex hostibus turmatim palantes deprehensi in occisionem, & captivitatem devenerunt: animarum circiter millia quindecim, de servitute in libertatem pristinam cum armentis, & rebus feliciter reducta sunt. Et hæc quidem apud Serviam acta. Ex qua demum regressus, opus habui eam partem exercitus, quæ laboribus fessa erat, paululum remittere, ut ampliori post usui, quiete refecta, servaretur, cum parte autem reliqua, quæ vegetior videbatur, & item novis subsidiis coemtis, intendi animum ad recuperationem Bosnæ, recenti casu amissæ; ut cui opem ferre, ne periret, præventus dolis non potui, ei vel perditæ, ope Dei, qui fraudis, dolique vindex est, opportune consulerem. Recogitanti quippe mihi, & diligentius consideranti, quantum, & quale vulnus christiana respublica in eo casu acceperat, non sinebat necessitas curæ differre remedium. Sed mox, ac simul & parare provisionem, & facere, quæ si vel menstruo tempore neglecta fuisset, nunquam similem opportunitatem redituram, post expertus adstruere ausim. Accingor igitur, & ad prosequendum opportunitatem hanc coegi prius me ipsum, quam recte dispofuerim; præmissi, qui expedirent impedimenta, sequutus ipse accessi, & arcem, sive, ut communiter loquimur, castrum, & oppidum Jaicza nominatum obsidione circumdedi: quod quidem caput regni illius est, & locus tam natura ipsa, quam arte, & ope inter omnia munitior. Quem cum oppugnare coepissem, primo fere impetu, & primo aggressu incolas oppidi in deditionem accepi, factaque irruptione in oppidum, cum hostibus Turcis armis pugnatum est. Hi quoque die eodem, qui quartus erat positæ obsidionis, a nostris superati necantur alii, quidam vero in arcem profugere compelluntur. Restabat jam arx ipsa expugnanda, in cujus oppugnatione, trimestri fere spacio, magna solicitudine laborando, multa ex cæli intemperie, multa ex asperitate hiemis, præterea ex incommoditate varia plurium rerum, plus, quam hostilia passus, constantia tandem, & perseverantia vicimus: ubi complures ex hostibus conclusis per opportunitatem oppressi fuere: reliqui de vita duntaxat pacti, ad dedendum arcem, & se se compulsi sunt. Ex quibus prope quadringentos in vita servatos, bellatores quidem robustos, & armis assuetos mecum eduxi, habiturus eos pro servis ad usum opportunum. Hoc itaque modo, & ordine redditis, & acceptis castro, & oppido Jaicza, mox multorum aliorum castrorum deditio sequuta est. Jam circiter triginta manibus meis reddita sunt, & totidem, vel paulo plura in obedientiam, & deditionem accepi, habebamque spem indubiam de ceteris, quod ad hoc usque tempus vel nulla, vel pauca apud manus hostium contineri potuissent, si tempestas hiberna majoribus intensa frigoribus ampliores mihi labores non interdixisset. Quam ob rem consultius visum est, reducere exercitum, & ad ea, quæ uberius agenda sunt, intendere. Redii ergo ex Bosna spe priori felix, re præsenti multo felicior, sed ad illam opportunitate quadam, & diligentia gerendarum rerum incitatus eram, hanc vero divina propitiatione consecutus sum. Ad utramque autem agendam talis ordo, taliaque principia parata sunt, ut ex eis vulneri huic, quod christiano corpori ex ruina Bosnæ inflictum erat, facilius, quam ante, salubriusque remedium parari poterit, quandoquidem sane vulnus non jam angulos Europæ, non latera sola, sed præcordia ipsa attigerit; potuissetque ad omnes ejus partes infesta correptione dilatari. Qua in re animus quidem mihi ad impendendam ampliorem curam promtus est, sed ut ministerium quoque opportunum indeficiens sit, opus est auctrice & adjutrice Sanctitate vestra, quam penes virtus omnis, & principatus rerum, ducatusque consistit. Sed hactenus de rebus Bosnæ.

„ Nunc

Annus Christi 1464.

„ Nunc de impedimentis, quæ hanc curam meam, ac simul intentionem interturbant, conqueri paucis non prætermittendum putavi. Et quidem beatissime pater, non credo latere Sanctitatem vestram, quot, quantosque labores sustulerim ab eo tempore, quo ad regni hujus gubernacula vocatus, susceptusque sum, in his, quæ ad ipsius regni restaurationem requirebantur, & quam lacerum regnum, quamque turbatum, attritum, & in omnibus pene membris dissolutum susceperim. Laboravi impigra solicitudine ad consolidanda vulnera ejus, ruinasque corrigendas, quibus tam ex dissensione interna, quam ab externis hostibus non modo affectum, sed pene collapsum erat. Placuit Deo nostro favorem adhibere curis meis, secutumque est post multos tandem labores, sudoresque profusos, ut primum intestina bella consopirentur, deinde ab omnibus quoque advenis hostibus regnum ipsum purgaretur, ita, ut compositis & internis, & circumvicinis differentiis ad eam solam curam redactus fui, quæ mihi adversus christianæ fidei hostes, & hæreditaria fuit, & perpetua futura est. Hanc igitur jam jam liber ab aliis prosequebar; huic nimirum vacare, huic denique omne studium, omnemque operam accommodare me coepisse, testimonio sunt ea, quæ his diebus superioribus a me gesta sunt: quibus dum occupatus intenderem, & christianorum inimicos a christianis propulsarem, ecce ex parte altera infidi christiani in superiores hujus regni fines, irruptione facta, occuparunt complures sedes, & latibula ad usum latrocinii, ex eisque ibidem in hac mea utili absentia, plurima damna, & nocumenta intulerunt, inferreque, & cumulare non cessant, ita, ut pro quorum ego fide, & statu communi adversus infideles depugno, ab his infideliter impugner. Qua in re credat Sanctitas vestra nihil mihi magis molestum occurrere, quam retrahi a prosecutione curæ susceptæ, & ab usu victoriæ partæ nunc maxime opportuno. Jam sane operæ precium foret prosequi iter, quod feliciori ferro apertum est, ea quoque, quæ bene quæsita sunt, & tueri diligentius, & promovere. Quocirca mittere hæc scripta decrevi Sanctitati vestræ, gratis rebus etiam ingratas miscens, ut utrarumque conditione servata, sit, unde filiorum profectibus congratularetur, sit etiam, unde solicitudinem capiat ad consulendum defectibus. Hæ etenim duæ res præsentem hoc tempore animum, & curam Sanctitatis vestræ exigunt, ut & profectus ipsi promoveri possint, & defectus, impedimentaque tolli. Meam intentionem certo sciat Sanctitas vestra, eo inclinatam esse, ut fidei catholicæ, & fidelium defensioni omni opera, & cura omni mea serviatur, præsertim, si facultas mihi, libertasque adsit, & impedimenta non obsint. Quorum alterum si defuerit, alterum vero si obstiterit, cogar vel invitus hanc curam meam alio destinatam alio convertere. Quin imo protestor ex hac die apud Sanctitatem vestram, ut in casu, quo mihi injuriis lacessito necessitas obvenerit, arma hæc contra infideles sumta, adversus infidos fideles retrahere, & offensores regni mei e contra offendere, id a me justo dolore pulsato fieri, nec succensere mihi Sanctitas vestra, aut imputare dignum ducat, si adesse non potero obsequio status publici, quod pro redimendis privatis patriæ periculis coarctor abesse. Potest tamen inter hæc nihilominus Sanctitatis vestræ auctoritas intervenire, quæ sufficiens erit mihi, & facultatem reddere, ut prosequar, quæ coepi, & impedimenta expedire, ne eo retrahar, quo nolim. Quod ut Beatitudo vestra curare dignetur, tam mea devotio, quam fidei debitum expostulat. - - - Datum in oppido Dombno regni Sclavoniæ, die XXVII. Januarii, anno Domini MCCCCLXIV. „

Quæ domi per regis absentiam turbæ concitatæ fuerint.

Turbarum origo, quibus rex a barbaris se revocatum queritur, a Bohemis, qui Trenchiniensem provinciam tenebant, nuperque ab Dionysio ad fidem revocati sunt, coepit: illi pactam ab archiepiscopo pecuniam sibi minime redditam questi, infesta signa secundum Vagum amnem circumferentes, pene omnia loca ad Tirnaviam usque occuparant, factisque in vicinos agros, Moraviamque procursionibus, hos vicissim ad agendas ex finitima Hungaria prædas conci-

concitabant. Ita mutuis latrociniis per absentiam regis utrinque certatum est, fereque res in apertum bellum eruperat, quod Bohemiæ rex Moravorum, Mathias contra suorum causam tuerentur, nisi ab regis reditu missis ultro citroque legatis composita jurgia, & pax, ut narrabimus, conciliata fuisset.

Annus Christi 1464.

Ceterum Mathias, postquam victor ex hoste rediit, vulgata per Europam armorum felicitate, apud principes christianos mirifice inclaruerat, cujus foedera missis oratoribus plerique exposcebant. Pontifex omnium maxime gaudio ex regis victoria perfusus, instaurato cum Italiæ principibus foedere, subsidia se missurum pollicitus est. Ludovicus Galliarum rex legato, quem ad Podiebradium Bohemiæ regem miserat, in mandatis quoque dedit, ut adito Mathia amicitiam offerret, spemque communis in barbaros belli faceret, si pactis conventis plures in armorum societatem pertraherentur. Multum, diuque cum proceribus, ac rege Gallus egerat, in primis, ut contracta per legatos principum amicitia, & constitutis domi rebus, animum defuncta conjuge ad novas nuptias adjiceret; Catharina enim paulum post, rex quam rediit, improlis decesserat, an ut Gallam sibi matrimonio jungeret, aut quæ Gallo sanguine juncta esset, non habeo, quod affirmem. Mathias re cum proceribus deliberata, in hunc modum oratori ad postulata per suos (1) responderi jussit.

Legatus ab Gallia & Bohemia missus.

„ Egregie miles! ea quæ tam viva voce proposuistis, quam etiam in „ scriptis obtulistis, serenissimus dominus noster rex una cum suis consiliariis, „ prælatis, & baronibus clare intellexit, & breviter in hunc modum respondet. „ Primum in eo quod narrastis aliqua multum bona nova regiæ majestati, & „ vias, ac modos ad ea consequenda tetigistis, illa omnia sua Serenitas libenter audivit; ac quod inter cetera dixistis, vos habita consideratione diligenti, „ ad quantam nunc respectu antiquorum temporum paucitatem simul, ac imbecillitatem redacta sit christianitas, multis jam ab annis in hoc laborasse, ac di„ versa propter hoc perambulavisse loca, ut tandem, universalis inter om„ nes christianos concordia componeretur, ad hunc videlicet finem, quo „ tandem melius, ac potentius contra paganos fidei defensio posset procurari. „ In eo regia majestas laudat operam, ac studium vestrum, & multo magis lau„ daret, quando videret istos tam notabiles tractatus votivum perductos ad ef„ fectum. Commemorastis latissime, tanquam pro negotio principali, qualiter „ serenissimus dominus rex Bohemiæ in sua, & quodam modo etiam domini „ nostri regis, velut fratris, & filii sui personis, vos pro attentando hujus„ modi negotio ad christianissimum regem Francorum transmisisset: & quod præ„ fatus christianissimus Francorum rex, si modo vos de pleno mandato docuis„ setis, statim ad omnia paratus extitisset, & ligam generalem cum principibus „ christianis sine dilatione iniisset, cujus quidem ligæ etiam capitalia quædam puncta „ præsentastis, in quibus inter alia continetur de oratoribus regum, & princi„ pum, cum amplissima facultate, ad certum locum, & tempus destinandis, qui „ rerum omnium omnimodam potestatem habeant, & de occurrentibus quibus„ libet pro communi utilitate disponant. Ad hoc regia Serenitas ita respondet, „ quod nihil optabilius, nihil melius, nihil salutarius contingere posset populis „ christianis & fidei catholicæ, quam si gentes christianæ, tantis inter se terra„ rum spatiis distantes, linguis insuper, & habitibus, & studiis, ac voluntatibus „ tantopere differentes, imo etiam vetustissimis, & maximis odiis diffidentes, „ & majori ex parte de facto quotidianis invicem bellis implicitæ, nihilominus „ tamen his omnibus non obstantibus, quasi in unum corpus redigi, & ad cele„ rem, ac firmam concordiam deduci, & per consequens ad eadem studia, & eas„ dem voluntates, & actus conformari, ac conglutinari pro sufficienti tempo-

Quæ hujus postulata, & quid illi responsum.

„ re

(1) Part. I. epist. MATH. CORV. pag. 129. sed male ad annum 1463. locata; mors enim Catharinæ a Balbino, cesensque ad annum 1464, ubi & coronatio regis affigitur, quas duas temporis notas epistola continet.

Annus Christi 1464.

„ re valerent. Hæc enim esset excellentissima & singularis via, per quam in commune bonum omnia dirigerentur, ecclesia Christi, & Romanorum imperium ad dignissimam amplitudinem excresceret, paganismus omnis destrueretur, & orthodoxa fides plus, quam unquam dilataretur. Ceterum ista hujusmodi universalis concordiæ, & generalis ligæ mentio, hic apud majestatem regiam fuit hactenus inaudita, & merito exspectasset sua Serenitas a domino rege Bohemiæ prius condignam superinde avisationem, quam talia suo nomine fuissent mota, & incepta. Licet enim ille fuerit pater, hic filius, habet tamen & filius suum regnum, discretos fines, peculiare consilium in curia sua, & proprios quosdam respectus, & quia consiliarios habet ad omnia sufficientes, non indiget promotione alterius.

„ Cum christianissimo autem Francorum rege, serenissimus dominus noster rex, jam dudum optavit omnem amicitiam, & benevolentiam contrahere, & observare, quam & nunc tempestive oblatam libentissime acceptat, gratiasque agit tantæ humanitati christianissimi regis Francorum, quem bene novit sua Serenitas inter omnes christianos reges tam nobilitate sanguinis, quam amplitudine dignitatis, obtinere principatum, maximeque ad ipsum pertinere cognoscit tam altos, & tam notabiles rerum tractatus. Meminit etiam sua majestas, prædecessoribus suis, Hungaris regibus, per multa retro secula cum domo Franciæ semper aliquam, vel conjunctissimam amicitiam, vel necessitudinem, seu affinitatem fuisse, regesque, & reginas de illa domo, in hoc regno sæpius exstitisse. Quæ omnia regiam Serenitatem inducunt, ut cum clarissimo, & christianissimo Francorum rege, strictissimam societatem, & confoederationem habere desideret, velitque jam ex nunc de facto initam firmiter observare, & quid quid tanti regis sapientia, & auctoritas pro bono communi disposuerit, acceptare, & tenere. Sed quia, ut prædictum est, apud regiam majestatem usque ad hoc tempus hæc fuerunt inaudita, ita, quod nec consulere potuit superinde, quos merito debuisset, imo nec cum suis consiliariis sufficienter adhuc deliberare, & licet dignissimum videtur Serenitati suæ, eos, cum quibus aliquam intelligentiam habet, ut Venetos, & præsertim principalissima totius christianitatis capita, sedem videlicet apostolicam, & imperatoriam celsitudinem prius, quam ad specialiores conclusiones descensus fiat, super his aliquantulum reddere certiores. Ita enim commune debitum, & publica honestas exigit. Ista tamen, quæ ab aliis merito requiruntur, regia majestas jam de facto observat, nec quempiam christianum injuria lacessit, aut lacessere intendit, sed cum omnibus fidelibus vicinis pacem firmavit, & tenet, solosque paganos pro hostibus habet. Ad hos submovendos & conterendos omnis cura, & omnes tendunt apparatus, omnisque expensa proventuum, non solum trium dierum, sed etiam totius anni. Sit modo aliis principibus christianis idem studium, eadem intentio cum effectu, per regiam majestatem nunquam stabit, quo minus Turci confringantur, & christiana religio protegatur, & amplificetur. Nec credant ceteri christiani, Hungaros tantummodo pro patria, & suis duntaxat finibus, decertare: possent, si vellent, & dudum potuissent tales tenere modos, & ea foedera inire, quod illæsis, & quietis permanentibus Hungaris, alii periculosa Turcorum arma sensissent. Hoc igitur, quod petitur a regia majestate faciendum, quotidie sponte facit, & factura est in futurum. Et quia continuis fatigatur infidelium bellis, inconveniens est dicere: quod vel non indigeat auxiliis, vel oblata refutet, imo potius longo jam tempore negata efflagitat, &, si porrigantur, libentissime amplectitur. Rogentur vero solemniter alii reges, & principes christiani, ut pacem invicem teneant, ut fidei succurrant: a nobis talia postulata, de communi videlicet pace servanda, & fide tuenda jam de facto impetrata ubique intelliguntur. Quamvis etiam absque ista, tam manifesta professione hæc omnia de nobis præsumi possent, & deberent, cum scriptum est, *ex operibus eorum cognoscetis eos.* Non oportet ergo dominum nostrum regem

„ monere,

„ moneri, cùm fit in procinctu: aliquid facere intendunt, faciant similiter, videlicet de facto, & fine dilatione, cum jam certum fit, quod & sanctissimus dominus noster personaliter, & duces Burgundiæ, & Venetorum fint parati ad movendum se; ita, quod nullus dicere potest, quod non habeat, quos sequatur: omissis ergo tractatibus eatur ad effectum. Annus Christi 1464.

„ Ceterum quoad ea, quæ secretius retulistis, regia Serenitas ita respondet, primum erat de remissione injuriarum: quam petitionem similiter supervacaneam esse censet regia majestas. Quippe qui adhuc tempore electionis, suæ omnibus inimicis suis clementer indulserit, & multis etiam postmodum denuo culpabilibus veniam præteriterit ita, quod a nullo fere dici potest, quod de aliquo inimicorum suorum vel in personis, vel in rebus qualemcunque sumserit vindictam. Nec usquam in mundo Hungarorum aliquis exul, aut relegatus a patria procul vagatur. Hoc idem in proxima sua coronatione factura est regia majestas, laudabili in eo prædecessorum suorum consuetudine observata: quamvis & alioquin regni hujus instituta, & legales ritus ita tenent, quod contra quoslibet, etiam regiæ majestatis culpabiles non statim, & ex abrupto animadvertitur, sed secundum juris vias, & legitimas proceditur sanctiones. Ergo etiam quoad hanc partem christianissimi regis Francorum consilia, & postulata dignissima, prius per regiam majestatem adimpleta sunt, quam per vos proposita exstitissent, possuntque intelligi obtenta, absque omni ulteriori instantia requirentis.

„ Secundum erat, quod christianissimus Francorum rex, ex multis potissimum Alemannis, de serenissimo domino rege obloquentibus, dicentibusque non ad regiam majestatem, sed ad alios quosdam regnum hoc pertinere, notabilesque infamias contra suum, & genitoris sui nomen, aliosque suos inique diffundentibus aures nullo modo adhibuerit, præsertim quod talia non ad pacem publicam, cui studet, sed ad majorem christianorum perturbationem spectare judicarit. Fecit in hoc christianissimus rex, ut in aliis omnibus, optime, & proposito suo convenientissime: meritoque debuit tantus princeps hujusmodi malignæ invidiæ figmenta non modo non credere, sed nec audire. Novit insuper regia majestas libertates regni, & jura clarissima, potestatemque plenissimam deligendi pro arbitrio principis virili regum semine per defectum penitus intercepto; scitque etiam illustrem genitorem suum ita vixisse, seque taliter gessisse, ut de eo nihil vere dici possit a quoquam, nisi quod ad summam probitatis laudem pertinet, & magnanimæ virtutis gloriam sempiternam. Ea vero, quæ forte de ipso malignitas ausa est comminisci, & alioquin minime verisimilia, etiam ratione temporum impossibilia esse, facile conjiciuntur.

„ Tertium erat de concilio præcipue per electores imperii satis instanter postulato, & tamen per christianissimum regem rejecto: prudentissime quidem hoc quoque, & utilissime. Concilii enim congregatio singulariter ad Romanum spectat pontificem; siquidem ejus est, ecclesiam Dei reformare, qui vice ejusdem in terris regit illam. Nec satis apparet, quid hoc tempore boni concilium possit afferre. Ex conciliis enim sæpius schismata, & discordiæ, ac utilissimarum rerum perturbationes, & impedimenta, seu retardationes oriuntur. Quæ omnia maxime nunc essent periculosissima, & communi paci, fideique defensioni evidentissime contraria.

„ Quartum ex persona vestra addidistis: videlicet de novo matrimonio regiæ majestatis procurando. Ad quam partem pro nunc nihil regia serenitas aliud respondet, nisi, quod ex debito honestatis, & etiam bonæ consuetudinis satisfacere vult modestiæ, & quoniam ita divinitati visum est, ut novæ viduitatis casum incurreret, tenere intendit, aliquatenus moderationem omnimodam, postea tandem, cum tempus suaserit, atque honestas, deliberabit superinde, prout videbitur opportunum. „

Annus Christi 1464.

Mathias coacto Albæ conventu ex ritu gentis coronatur.

Hæc legato data responsa: quæ quem exitum habuerint, quod Bohemiæ regi, a Pio pontifice sacris interdictum esset, Galli autem turbis cum foris, tum domi obortis implicarentur, in compertis non habeo. Illud constat, confecto feliciter in Turcos bello, regem a proceribus exoratum, ut, quando ad decorem regiæ dignitatis nihil reliquum ac diadema nuper ingenti precio redemtum esset, ex majorum ritu coronari se pateretur. Mathias quamquam ob recens elatam conjugem privato, publicoque dolori indulgeret tamen suorum postulatis, quod æquitati consentanea essent, haud gravate assensus est; quove major solennitati celebritas conciliaretur, generalem regni conventum Albam regiam indixit, in quo ab inauguratione de iis, quæ ad reipublicæ salutem attinent, communi consilio transfigeretur. Adsuere ex toto latissime regno omnium ordinum viri ingenti frequentia, ipsi adeo exteri didita inaugurationis fama, sive ad visendam, seu cohonestandam celebritatem magnis clientelis stipati certatim confluxerant. A Friderico cæsare sexcenti equites cum primi ordinis principibus missi, qui splendorem celebritati adjicerent: aderant quoque ab Georgio Bohemiæ rege optimates haud pauci, pompæ, & pacis conciliandæ causa: Venetorum dux Justinianum clarissimo apud suos genere ortum, atque legati prærogativa ornatum in Hungariam legarat, ut foederato regi de nova dignitatis accessione publico reipublicæ nomine gratularetur. Ut Albæ adfuerant, tantum omnes celebrandæ inaugurationis incesserat studium, ut nihil pensi habita temporis religione, erat enim dies ultimæ domini Coenæ sacer, regem basilicæ divi Stephani maxima pompa inductum, ex regni consuetudine per Dionysium Strigoniensem inaugurari juberent. Archiepiscopus, qui eam solemnitatem jam quartum obierat, manantibus præ gaudio lacrimis coronato regi cum proceribus, ac populi multitudine vitam, felicitatem, maximumque illius dignitatis incrementum precatus est: rex vicissim dicto palam ex ritu gentis sacramento officiis certans, bene de se meritos præmiis affecit, Joanneque Varadiensi, cujus singulare in se studium expertus est, Bihariensi provincia donato, quatuor, ac ducentos, ut regibus nostris mos est, equitum prærogativa ornavit. (1) Inter quos cum Justinianus quoque orator Venetus multum splendoris ad inaugurationis celebritatem attulisset, rex, ut primum pompæ finis factus est, Venetorum duci eam ob causam datis litteris amplissimam gratiam habuit. (2) *Interfuit*, ita litteræ habent, *felicis coronationis nostræ mysticis solemnibus una cum alio collega suo magnificus dominus Franciscus Justinianus, illustrissimæ dominationis vestræ orator specialis. Qui quidem pro sua singulari prudentia, & virtute nihil prætermiserunt, quod ad summum decoris nostri cumulum pertinebat, & illam affectionis erga nos vestræ sinceritatem, tametsi jam pridem nobis pluribus experimentis satis cognitam, dictis pariter, ac factis per omnes numeros plenissime, & efficacissime repræsentarunt. Quapropter amicitiæ vestræ merito gratias agimus, quod in dies magis, ac magis perspicimus omnia, quæ ad honorem, & commodum nostrum spectant, tam diligenter vobis cordi esse; gratias, inquam, agimus quam maximas, & idem de nobis fraternitati vestræ pollicemur, cujus gloriæ, & amplitudini, sicut toto mentis desiderio favemus, ita nunquam studio, & opera defuturi sumus.* Cæsaris, ac Georgii legati magna itidem officiorum significatione, quoad conventus solveretur, exculti; ingentem deinceps, cum ad suos redierant, de regis magnificentia, & liberalitate famam concitarunt.

Ejus ad Venetorum ducem propterea litteræ.

Legati a coronatione foederis tabulas cum cæsare initas denuo confirmant.

Ut comitiis a peracto coronationis ritu initium datum est, placuit ante omnia, ut proceres, quorum arbitrio fœderis conditiones anno priore cum Friderico coaluerant, fidem primum suam liberarent, tum ceterorum quoque, ac denique regis nomine, secundum pacta Neostadii conventa fœdus publicis iterum litteris stabiliretur. Eorum, qui fœderis auctores erant, in hæc verba habent. (3)

Nos

(1) BONFIN. dec. IV. lib. I. & auct. Mf. rerum Austr. alias a nobis laudatus.

(2) Part. I. epist. MATH. CORV. pag. 205.

(3) Auctar. diplom. CL. KOLLARII, qui id, & quæ sequuntur, ex authenticis tabulis sanctioris tabularii Aug. Dom. depromsit.

„ Nos Stephanus Dei, & apostolicæ sedis gratia Colocensis,& Bachiensis ecclesiarum archiepiscopus, locique ejusdem Colocensis comes perpetuus, summus cancellarius regius, Joannes eadem gratia episcopus ecclesiæ Varadiensis, Emericus de Zapolya gubernator Bosnæ, ac regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclvaoniæ banus, Nicolaus de Ujlak Vayvoda Transilvanus, ac Machoviensis, & præfati regni Sclavoniæ banus, & comes Ladislaus de Palocz judex curiæ regiæ, notum facimus tenore præsentium, significantes, quibus expedit, universis. Quod cum nos in æstate proxime præterita, de consensu, & sufficienti mandato, ac deliberatione, tam serenissimi domini nostri regis Mathiæ, quam etiam universorum aliorum prælatorum, & baronum regni Hungariæ, missi fueramus, ad serenissimum principem dominum Fridericum, Romanorum imperatorem, ac Hungraiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. regem pro componendis tractatibus in facto sacræ coronæ hujus regni Hungariæ, quibus tandem feliciter consummatis, & ad finem deductis, inter alia promiseramus suæ cæsareæ majestati, ut hujusmodi dispositiones, tractatus, & pacta, consensu, & ratihabitione dicti domini nostri regis, ac præfatorum aliorum prælatorum, & baronum regni confirmari faceremus, quod & fecimus, prout in aliis litteris eorundem domini nostri regis, ac dominorum prælatorum, & baronum continetur. Quæ quidem res, & confirmatio, ex quo de communi omnium voluntate acta est, nosque, qui hujusmodi tractatuum, & dispositionum auctores fuimus, omnia, & singula ea, quæ tunc nominibus, & in personis, quorum supra, per nos tractata, conclusa, & disposita fuerint, quoad omnes articulos, & capitula litterarum desuper confectarum denuo, & ex novo, quantum nostri interest, rata habemus, & ex certa scientia confirmamus, testimonio præsentium litterarum nostrarum mediante. Datum in Alba Regali, in congregatione nostra generali, die tertia mensis Aprilis, anno Domini MCCCCLXIV. Annus Christi 1464.

Reliqui optimatum seorsim quoque vulgatis litteris pacta prioris anni, interposita fide, in hunc tenorem confirmarunt: quas, ne quid ad illustrandum argumentum desit, prioribus adjicere visum est. *Quod ceteri proceres suo itidem nomine faciunt.*

„ Nos Dionysius Dei, & apostolicæ sedis gratia cardinalis archiepiscopus ecclesiæ Strigoniensis, Ladislaus Agriensis, Joannes Quinque-ecclesiensis ecclesiarum episcopi: Michael Orszag de Guth regni Hungariæ palatinus, Joannes Pongracz Vayvoda Transilvanus, Joannes de Roszgon magister Tavernicorum regalium, Job de Gara, Stephanus de Peren, Ludovicus de Maroth, & Franciscus de Chak, ceterique prælati, barones, nobiles, & proceres regni Hungariæ, notum facimus tenore præsentium universis, quibus expedit. Quod cum in æstate præterita, reverendissimus, reverendusque in Christo patres, domini Stephanus archiepiscopus ecclesiarum Colocensis, & Bachiensis, locique ejusdem Colocensis comes perpetuus, ac Joannes episcopus ecclesiæ Varadiensis: item magnifici comes Ladislaus de Palocz judex curiæ regiæ, Emericus de Zapolya alias summus thesaurarius regius, nunc vero gubernator regni Bosnæ, & Nicolaus de Ujlak Vayvoda Transilvanus, ac Machoviensis, & regni Sclavoniæ banus, missi de nostro consensu, & deliberatione, ac sufficienti mandato ad serenissimum principem, dominum Fridericum Romanorum imperatorem, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. regem, nonnullos tractatus, dispositiones, & pacta pro pace, & unione inter ipsum dominum Fridericum imperatorem, ac serenissimum principem dominum Mathiam Dei gratia regem Hungariæ, nosque ejusdem subditos, jam firmatis, nec non pro recuperatione sacræ coronæ dicti regni Hungariæ fecerint, & concluserint, promiserintque eidem domino Friderico imperatori, nomine omnium nostrum, ut etiam nos, qui absentes in ejusdem tractatibus fuimus, hujusmodi dispositiones, & pacta acceptaremus, & ratificaremus: igitur nos recognoscentes eosdem dominos oratores juxta limites mandatorum nostrorum, eis datorum, ad utilitatem regni, &

Annus Christi 1464.

„ & omnium nostrum in rebus, & negotiis hujusmodi processisse, egisse, & conclusisse; volentesque exinde ipsorum promissionibus satisfacere, universas illas dispositiones, & pacta, quas ipsi pro unione, & pace inter ipsum dominum Fridericum imperatorem, ac annotatum dominum nostrum regem, ac regnum suum, & nos, jam, ut præmisimus, firmatis, nec non pro recuperatione sacræ coronæ prænotatæ juxta continentiam litterarum ejusdem domini nostri regis, ac etiam aliarum litterarum ipsorum dominorum oratorum, sub eorum sigillis confectarum fecerunt, & concluserunt, quoad omnes earum articulos, clausulas, & capitula acceptamus, & approbamus, easque dispositiones, & singula in dictis litteris contenta, communi deliberatione, & voluntate, ac ex certa scientia confirmamus, præsentium litterarum, quas majorum ex nobis sigillis communiri fecimus, testimonio, & vigore mediante. Datum in congregatione nostra generali, in Alba regali die tertia mensis Aprilis, anno Domini MCCCCLXIV.

Hactenus optimatum litteræ: cum vero tanti impendii fuerit, coronam recuperari, placuit, ut post confirmata Andreæ I., Ludovici, ac Sigismundi regum decreta, quæ ad libertatis jura, ac prærogativas attinent, ne simili periculo deinceps objiceretur, communi regis, ac ordinum scito, locum, in quo custodiretur, in hæc verba decernere. *Item, quia novimus nos, & noverunt omnes domini prælati, & barones nostri, novit etiam tota communitas regni, quomodo, & qualiter propter indebitam custodiam, & provisionem sacræ coronæ, ipsa corona fuit ab hoc regno alienata: in cujus alienatione irreparabilia damna, & indicibilia spolia, & multas incommoditates, hoc regnum passum est, & tandem post multos labores, & fatigas, & graves expensas, ipsa corona ex pecuniis communitatis regni novissime est redemta. Nos ergo volumus, ut debemus, de pari consensu, & voluntate dominorum prælatorum, & baronum, ac regni nostri nobilium hoc in loco providere, circa debitam custodiam, & conservationem ipsius coronæ sacræ, locum alias consuetum, & personas ad id idoneas, ne quod Deus avertat, ipsa corona iterato ab hoc regno alienetur.* (1)

Et rex ipse rursum ratas habet ex pactis conventis.

Mathias soluto conventu Budam profectus, ne quid amicitiæ, recens cum Friderico contractæ, obturbaretur, accitis ejus oratoribus, quæcunque hactenus fœderum causa ab suis acta, firmataque essent, rata itidem, ut proceres cæsari prius stipulati sunt, habuit, litteris in hunc modum exaratis. (2)

„ Mathias Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. notum facimus, tenore præsentium significantes, quibus expedit, universis. Quod quia in æstate proxime præterita, fideles nostri, reverendissimus, reverendusque in Christo patres domini, Stephanus ecclesiarum Colocensis, & Bachiensis archiepiscopus, locique ejusdem Colocensis comes perpetuus, ac Joannes episcopus Varadiensis, summi, & secretarii cancellarii nostri, item magnifici comes Ladislaus de Palocz judex curiæ nostræ, Emericus de Zapolya, alias summus thesaurarius noster, nunc vero gubernator regni nostri Bosnæ, & Nicolaus de Ujlak Vayvoda Transilvanus, ac Machoviensis, & regni nostri Sclavoniæ banus, missi per nos, de consensu, & electione omnium prælatorum, baronum, nobilium, & procerum præfati regni nostri Hungariæ, ad serenissimum principem dominum Fridericum Romanorum imperatorem &c. patrem nostrum carissimum cum pleno mandato, & facultate nostra, ac dictorum prælatorum, baronum, nobilium, & procerum, inter alia, nonnullos tractatus, dispositiones, & ligas pro pace, & unione inter ipsum dominum Fridericum imperatorem, ac nos, dictosque prælatos, barones, nobiles, & proceres, præfati regni nostri Hungariæ jam firmatis, tempore eo, quo sacra corona hujus regni nostri Hungariæ ab ipso domino imperatore recuperata est, fecerant, & concluserant, promiserantque eidem domino Friderico imperatori, patri nostro, ac dictorum prælatorum, baronum, nobilium,

&

(1) In corpore juris patrii. Decreto anni 1464.

(2) Ex Auct. diplom. CL. KOLLARII.

Annus Christi 1464.

„ & procerum nostrorum nominibus, ut nos hujusmodi dispositiones, tractatus, „ & ligas post coronationem nostram jam, auxiliante domino, feliciter susceptam, ex novo ratificaremus, confirmaremus, & observare promitteremus, „ juxta continentias litterarum hinc inde desuper emanatarum: igitur nos præfatus rex Mathias, hujusmodi dispositiones, tractatus, & ligas per omnia „ quemadmodum factæ, & habiti sunt, de articulo ad articulum approbamus, „ ratificamus, confirmamus, & ea omnia, & singula pro nobis, ac hæredibus „ nostris, sub dignitate nostra regia, harum serie observare promittimus, & „ pollicemur. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes „ litteras duplici sigillo nostro, quo ut rex præfati regni nostri Hungariæ utimur, „ impendenti communitas, duximus concedendas. Datum Budæ in festo beati „ Georgii Martyris, anno Domini MCCCCLXIV. regni nostri anno septimo, „ coronationis vero primo.

Eadem opera cum Bohemorum legatis fœdus sancit.

Dimissis ad cæsarem legatis, cum Bohemis quoque transigere placuit, ne ob turbas absente contra Turcos rege exortas, quas, ut memoratum est, mutuis procursionibus, ac latrociniis Moravi in Hungaria, Bohemi contra, qui ad obedientiam redivere, contra datam fidem vicissim in Moravia exercebant, bellum alieno prorsus tempore sufflaminaretur. Conventum in eam præcipue conditionem est, ut, qui latrocinia deinceps exercere ausint, non modo parta præda, sed bonis omnibus exuti, illius arbitrio starent, cujus juribus obnoxii essent, neve quid propterea cuiquam fraudi daretur, reges bona fide per nuncios, aut litteras agerent, pollicerenturque, se, quicunque in manifesto crimine tenti fuerint, citra veniam multaturos. Pactorum tabulæ in hæc capita conscriptæ sunt. (1) *Nos Mathias Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex notum facimus tenore præsentium, quibus expedit, universis: quod licet inter majestatem nostram, ac serenissimum principem, dominum Georgium, eadem gratia regem Bohemiæ, patrem nostrum, nostrumque Hungariæ, & suum Bohemiæ regna, occasione quorundam damnorum, & nocumentorum per nostros, & ejusdem domini Georgii regis subditos utrinque illatorum, & commissorum, quædam differentiæ, & controversiæ ortæ fuerint, tamen ne occasione præmissa in majora mala excrescant, utque pax inter majestatem nostram, ac ipsum dominum Georgium regem Bohemiæ, nostrosque, & ejusdem subditos firmiter perduret, præmissaque jam allata recte reformentur, cum eodem domino Georgio rege Bohemiæ in hanc dispositionem habitis superinde maturis tractatibus devenimus, & has inivimus compositiones. Primo, quod utraque regna, tam scilicet nostrum Hungariæ, quam suum Bohemiæ inter se se, ac subditos, & incolas eorundem, intra extraque commeantes, pacifica sint, & secura: Ceterum quod tam nos, quam ipse dominus Georgius Bohemiæ rex, omnes subditos nostros, qui damna, & alia nocumenta in præfatis regnis inferunt, vicissim de eisdem regnis evocare faciamus, diligentiamque adhibeamus, ut tales revertantur, & ab illatione damnorum, & nocumentorum cessent, provideamusque, ne plures malefactores in auxilium supra dictorum de uniuscujusque nostrorum regno exeant, aut favores, & subsidia, eis faciant, nec patiamur, aut permittamus, vel foveamus quoscunque spoliatores, aut malefactores in alterius nostrum, & subditorum nostrorum damnum deinceps procedere, aut in ipsis regnis nostris & metis eorundem multiplicari, & adunari. Item si quis ex subditis alicujus nostrum in regno alterius nostrum spolia, & alia mala, non petita prius justitia, & aut justa oblatione non acceptata, publice, & palam commiserint, tales, a quo scilicet fuerint, regno prohibeantur, & omnibus bonis eorum priventur, sine spe restitutionis, si qui autem ex ipsis nostris in privato aliqua spolia, damna, & nocumenta commiserint, contra eos specialiter deferatur querela ad eum, cujus sunt subditi, & petatur justitia, ex quorum parte idem plenam justitiam administrare teneatur, malefactores etiam qualescunque, & undecunque existant, ibi, ubi scilicet reperti fuerint, super maleficio judicentur, fiatque justitia ex parte eorundem: malefactores vero profugi de unius nostrum regno ad regnum alterius profugientes de eodem regno reddantur, vel*

In quas conditiones.

(1) Diplom. Bohem. Siles. CL. SOMMERSBERGII Tom. I. pag. 1083.

Annus Christi 1464.

vel saltem inibi non conserventur. Praeterea in cujus nostrum finibus castella, vel fortalitia per malefactores in alterius damnum nostrum, & nocumentum erecta fuerint, is principaliter teneatur ad ferendum remedium, ut ea distrahantur, & removeantur: alter vero nostrum, dum requisitus fuerit, auxilium superinde ferre debeat, super damnis quoque, ac nocumentis huc usque hinc inde illatis, fiat conventio oratorum amborum nostrum, plenum mandatum habentium, quos ad hæc deputavimus in festo nativitatis beati Joannis Baptistæ, proxime venturo, in civitate nostra Sakolcza, alias Skalice nuncupata, ubi, & quando præmissis omnibus recte, & secundum justitiam discussis, utrinque satisfactio impendatur, teneamurque subditos nostros, qui priora commiserunt, ad eam faciendam compellere, aut nostrorum pro eis satisfacere. Quæ omnia supradicta sine dolo, & fraude observabimus, & verbo nostro regio observare promittimus, testimonio præsentium litterarum mediante, quas in hujus rei memoriam, & firmitatem, secreto sigillo nostro, quo rex Hungariæ utimur, fecimus roborari. Datum Budæ in festo beatorum Tiburtii, & Valeriani martyrum, anno Domini MCCCCLXIV. regni nostro anno septimo, coronationis vero primo.

Turcis Jaiczam oppugnantibus.

Nondum res domi in hunc modum pacatæ erant, cum novus rursum a barbaris metus Hungariam perculit: Mahometes ob amissam anno priore Jaiczam pudore juxta, ac dolore frendens ingentes per hiemem apparatus fecerat, ut deleta, quam contraxerat, nominis macula, jacturam amissi regni pensaret. Itaque maximam exercitus partem Bosniæ infundit, reliquum Ragusio admoveri jubet, sive nostros eo consilio distrahere voluit, seu, ut fastus & arrogantiæ plenus erat, ostentata armorum fiducia vilipenderet. Res variis nunciis per Hungariam, ac Italiam didita, fœderatorum conatus non tam ab coepto opere absterruit, quam mira voluntatum potius conspiratione exacuit. Pius præsertim, etsi senio, ac morbis jam fractus esset, ingenti animo curas resumserat, datis ad classem, quæ in Pisano portu anchoras jecerat, mandatis, primo quoque tempore Anconam solveret, ut Venetorum triremibus conjuncta in barbaros vela dirigeret. Nunciatum quoque Mathiæ, ut habito militum delectu in hostem progrederetur, affuturos a Venetis, & Italia belli sumtus, quantum in stipendia satis esset: iter tamen de industria ita temperaret, ut eodem tempore mari, terraque communi studio hostem aggrederentur: Pontificem proxime venturum Anconam, & cum classe, quo majores reliquis animos ingereret, in barbaros soluturum esse: classem Constantinopoli admotum iri, ut barbarus ad sua defendenda retraheretur. Rex tam ampla subsidiorum spe erectus, ac suapte in hostem gloria incensus Emericum Zapolyam cum parte copiarum præmittit, ipse cum plerisque veteranorum legionibus modico itinere profectus castra crebrius, quam aut vellet, aut periculi gravitas fineret, stataria defixit, in nuncios fere impatienter intentus, qui mandata ad iter accelerandum ex Italia afferrent. Sed cum diu frustra exspectat, & Mahometes interea Jaiczam acerrima obsidione cingeret, veritus ne sociorum desidia urbs deditionem faceret, injussus signum profectioni dedit, & cur id fecisset Pio, datis in hæc verba litteris, significavit. (1) *Beatissime pater! magno, & manifesto christianorum viso periculo Sanctitas vestra crebris me, & vehementibus tam per nuncios, quam per litteras adhortationibus impulit, grave bellum moliri, pollicens non defutura nobis sua subsidia, & insuper promittens principum, & populorum copiis ad nonas Junias e portu Anconitano navigaturam, & adeo valida manu ipsa Turcarum viscera invasuram, ut hostis noster necessario diversas in partes distractus ad me opprimendum nec vires habiturus esset, nec otium. Memini & illud per vestram Beatitudinem mihi præmandatum, ne nimis tempestive castra moverem, sed exspectarem prius Sanctitatis vestræ profectionem, quatenus eodem animo, & tempore cuncti pariter insurgamus. Quibus ego pollicitationibus merito fretus, & præceptis obstrictus apparatum feci, quam potui amplissimum, & dum Beatitudinis vestræ progressum operior, nunc demum collectis undique viribus in campo constituor. At vero nec sperati quidquam subsidii*

Mathias se ab pontifice, & fœderatis destitutum queritur.

adhuc

(1) Part. I. epist. MATH. CORVINI pag. 173.

adhuc video, & dum a tergo nequaquam ita, ut dictum est, & constitutum erat, infestatur inimicus, prævenit ecce cunctantes, & totos in me unum convertit impetus; utpote liber, & fere ab omni alia parte indistractus. Quod si me spes illæ multiplices in hos casus non induxissent, potuissem equidem per unam aut aliam viam rebus meis mature, & commode providere. Nunc autem hostis opibus potens, & natura ferox, fortasse prudenter conjiciens, istius tanti christianorum motus majorem fore ostentationem, quam effectum, prior plagam intulit, & ad ipsa prope vitalia penetravit. Bosnam quippe totius christianitatis, ut ita dicam, clavem, & portum, & unde quaquaversum in occidentem, & septemtrionem aditus patet, gravi meo labore nuper recuperatam, quasi pensitans, quid omiserit, rursus invasit, & omnia illic castra, apud manus nostras habitas, simul obsedit. Quæ licet munita sint, quantum repente muniri potuerunt, tali tamen vi, ac tantæ multitudini resistere diu non possunt; nisi aut ejiciatur inde inimicus, aut retrahatur. Ad hoc ego autem solus minime sufficio, licet & sæpe professus sum, & notius est, quam ut asseveratione indigeat. Ceterum pro rei magnitudine dissimulare non valeo, quin iterum dicam, hæc nunquam eventura fuisse; si vel ego pollicitis fultus subsidiis campum occupare potuissem, vel hostis copiarum abundantissimus, aliunde satis impedimenti habuisset. Nam quis eum credat ultro Jaiczam fuisse obsessurum, si retro Constantinopolim obsideri aut sensisset, aut saltem timuisset? Cum igitur tanto in discrimine pendeat non meus duntaxat, sed omnium fidelium status, necessitate extrema coactus publica imploro auxilia, ac potissimum Sanctitatis vestræ fidem invoco, promissa efflagito. Si quid usquam subsidii est, si quid classis maritimæ, si quid terrestrium copiarum, si quid usquam, nunc appareat, & ita appareat, ut negligentiam promtitudo, tarditatem celeritas compenset. Hinc nos totis viribus recta eo pergimus, ubicunque magis proficere posse videbimur, fidei simul, & patriæ in omnem eventum pro nostra facultate non defuturi.

Annus Christi 1464

Quamquam non iniquæ regis querelæ essent, minime tamen pontificem in causa fuisse, cur subsidiorum spes adhæreret, ex eventu patuit. Anconam enim profectus, cum maxime operi intendit, lethali morbo correptus paucos post dies obiit, tametsi & moriturus postrema cura bellum in barbaros sociorum causa complexus esset. Nam ut Campanus, ejus vitæ scriptor meminit (1) *nuncio allato de incursione Turcarum, in agrum Ragusinum, milites ducentos ad corporis custodiam comparatos cum paucis sagittariis triremi expedita navigare ex templo Ragusium jussit, triremes Venetas numero duodecim, in quibus & Venetorum dux aderat, ubi appropinquare intellexit, deferri se jussit ad primum littus, classem inspecturus, eaque inspecta subgemuit, una edicta voce, nuper sibi navigandi occasionem defuisse, nunc occasioni se defuturum. In cubiculum relatus solvi statim profluvio coepit, medicis nihil periculi promittentibus, & hæc quoque principum miseria est, inquit, ne in morte quidem carere assentatoribus, postulavitque Eucharistiam, quam & triduo prius acceperat, & paulo ante ad Lauretanum. Acciri deinde patres jussit, quos hortatus est, ut in expeditione persisterent: triremes, & quæ in portu erant, & quas venire per fretum Siculum nunciabatur, tradi Venetis jussit: pecunias ad aureum nummum quadraginta millia ex decimis exacta Mathiæ regi Pannoniorum mitti in sumtus belli. Cum deficere vires sentiret, rejiciens se se in cardinalem Papiensem, fili, inquit, curam meorum ipse suscipito, & huic expeditioni adesto. Interrogatus ab illo, an sepeliri Romæ se vellet, non tenuit lacrimas, subdens: & quis id procurabit? illo recipiente, se curaturum, refici visus est, vocavitque patres ordine ad osculum, postulata prius a singulis venia, si minus recte rem christianam administrasset, lacrimantibus omnibus, & Bessarione ejus verba de re christiana sanctissime gesta excipiente, iterum amplexis omnibus inungi se jussit, ubi concurrens & ipse precibus inter hymnos exspiravit, voce ultima ægre edita, qua rogabat omnes, ut pro se precarentur.* Pontifex ab gestis rebus vere magnus, & Hungariæ causa per omnem vitam, etiam cum privatus degeret, omnium maxime solicitus, quem si mors foe-

Pio pontifice; qui interea obiit, prorsus innocente.

deratis

(1) RAYNALD. Annal. eccles. ad an. 1464.

Annus Christi 1464.

vel saltem inibi non conserventur. Praterea in cujus nostrum finibus castella, vel fortalitia per malefactores in alterius damnum nostrum, & nocumentum erecta fuerint, is principaliter teneatur ad ferendum remedium, ut aa distrabantur, & removeantur: alter vero nostrum, dum requisitus fuerit, auxilium superinde ferre debeat, super damnis quoque, ac nocumentis bucusque binc inde illatis, fiat conventio oratorum amborum nostrum, plenum mandatum babentium, quos ad bæc deputavimus in festo nativitatis beati Joannis Baptistæ, proxime venturo, in civitate nostra Sakolcza, alias Skalice nuncupata, ubi, & quando præmissis omnibus recte, & secundum justitiam discussis, utrinque satisfactio. impendatur, teneamurque subditos nostros, qui priora commiserunt, ad eam faciendam compellere, aut nostrorum pro eis satisfacere. Quæ omnia supradicta sine dolo, & fraude observabimus, & verbo nostro regio observare promittimus, testimonio præsentium litterarum mediante, quas in bujus rei memoriam, & firmitatem, secreto sigillo nostro, quo rex Hungariæ utimur, fecimus roborari. Datum Budæ in festo beatorum Tiburtii, & Valeriani martyrum, anno Domini MCCCCLXIV. regni nostro anno septimo, coronationis vero primo.

Turcis Jaiczam oppugnantibus.

Nondum res domi in hunc modum pacatæ erant, cum novus rursum a barbaris metus Hungariam perculit: Mahometes ob amissam anno priore Jaiczam pudore juxta, ac dolore frendens ingentes per hiemem apparatus fecerat, ut deleta, quam contraxerat, nominis macula, jacturam amissi regni pensaret. Itaque maximam exercitus partem Bosniæ infundit, reliquum Ragusio admoveri jubet, sive nostros eo consilio distrahere voluit, seu, ut fastus & arrogantiæ plenus erat, ostentata armorum fiducia vilipenderet. Res variis nunciis per Hungariam, ac Italiam didita, fœderatorum conatus non tam ab coepto opere absterruit, quam mira voluntatum potius conspiratione exacuit. Pius præsertim, etsi senio, ac morbis jam fractus esset, ingenti animo curas resumserat, datis ad classem, quæ in Pisano portu anchoras jecerat, mandatis, primo quoque tempore Anconam solveret, ut Venetorum triremibus conjuncta in barbaros vela dirigeret. Nunciatum quoque Mathiæ, ut habito militum delectu in hostem progrederetur, affuturos a Venetis, & Italia belli sumtus, quantum in stipendia satis esset: iter tamen de industria ita temperaret, ut eodem tempore mari, terraque communi studio hostem aggrederentur: Pontificem proxime venturum Anconam, & cum classe, quo majores reliquis animos ingereret, in barbaros soluturum esse: classem Constantinopoli admotum iri, ut harbarus ad sua defendenda retraheretur. Rex tam ampla subsidiorum spe erectus, ac suapte in hostem gloria incensus Emericum Zapolyam cum parte copiarum præmittit, ipse cum plerisque veteranorum legionibus modico itinere profectus castra crebrius, quam aut vellet, aut periculi gravitas sineret, stataria defixit, in nuncios fere impatienter intentus, qui mandata ad iter accelerandum ex Italia afferrent. Sed cum diu frustra exspectat, & Mahometes interea Jaiczam acerrima obsidione cingeret, veritus ne sociorum desidia urbs deditionem faceret, injussus signum profectioni dedit, & cur id fecisset Pio, datis in hæc verba litteris, significavit. (1)

Mathias se ab pontifice, & fœderatis destitutum queritur.

Beatissime pater! magno, & manifesto christianorum viso periculo Sanctitas vestra crebris me, & vebementibus tam per nuncios, quam per litteras adbortationibus impulit, grave bellum moliri, pollicens non defutura nobis sua subsidia, & insuper promittens principum, & populorum copiis ad nonas Junias e portu Anconitano navigaturam, & adeo valida manu ipsa Turcarum viscera invasuram, ut bostis noster necessario diversas in partes distractus ad me opprimendum nec vires babiturus esset, nec otium. Memini & illud per vestram Beatitudinem mibi præmandatum, ne nimis tempestive castra moverem, sed exspectarem prius Sanctitatis vestræ profectionem, quatenus eodem animo, & tempore cuncti pariter insurgamus. Quibus ago pollicitationibus merito fretus, & præceptis obstrictus apparatum feci, quam potui amplissimum, & dum Beatitudinis vestræ progressum operior, nunc demum collectis undique viribus in campo constituor. At vero nec sperati quidquam subsidii

adouc

(1) Part. I. epist. MATH. CORVINI pag. 173.

Annus Christi 1464

adhuc video, & dum a terga nequaquam ita, ut dictum est, & constitutum erat, infestatur inimicus, prævenit ecce cunctantes, & totos in me unum convertit impetus; utpote liber, & fere ab omni alia parte indistractus. Quod si me spes illæ multiplices in hos casus non induxissent, potuissem equidem per unam aut aliam viam rebus meis mature, & commode providere. Nunc autem hostis opibus potens, & natura ferox, fortasse prudenter conjiciens, istius tanti christianorum motus majorem fore ostentationem, quam effectum, prior plagam intulit, & ad ipsa prope vitalia penetravit. Bosniam quippe totius christianitatis, ut ita dicam, clavem, & portum, & unde quaquaversum in occidentem, & septemtrionem aditus patet, gravi meo labore nuper recuperatam, quasi peusitans, quid omiserit, rursus invasit, & omnia illic castra, apud manus nostras habitas, simul obsedit. Quæ licet munita sint, quantum repente muniri potuerunt, tali tamen vi, ac tantæ multitudini resistere diu non possunt; nisi aut ejiciatur inde inimicus, aut retrahatur. Ad hoc ego autem solus minime sufficio, licet & sæpe prafessus sum, & notius est, quam ut asseveratione indigeat. Ceterum pro rei magnitudine dissimulare non valeo, quin iterum dicam, hæc nunquam eventura fuisse, si vel ego pollicitis fultus subsidiis campum occupare potuissem, vel hostis copiarum abundantissimus, aliunde satis impedimenti habuisset. Nam quis eum credat ultro Jaiczam fuisse obsessurum, si retra Constantinopolim obsideri aut sensisset, aut saltem timuisset? Cum igitur tanto in discrimine pendeat non meus duntaxat, sed omnium fidelium status, necessitate extrema coactus publica imploro auxilia, ac potissimum Sanctitatis vestræ fidem invoco, promissa efflagito. Si quid usquam subsidii est, si quid classis maritimæ, si quid terrestrium copiarum, si quid usquam, nunc appareat, & ita appareat, ut negligentiam promtitudo, tarditatem celeritas compenset. Hinc nos totis viribus recta eo pergimus, ubicunque magis proficere posse videbimur, fidei simul, & patriæ in omnem eventum pro nostra facultate non defuturi.

Quamquam non iniquæ regis querelæ essent, minime tamen pontificem in causa fuisse, cur subsidiorum spes adhæreret, ex eventu patuit. Anconam enim profectus, cum maxime operi intendit, lethali morbo correptus paucos post dies obiit, tametsi & moriturus postrema cura bellum in barbaros sociorum causa complexus esset. Nam ut Campanus, ejus vitæ scriptor meminit (1) *nuncio allato de incursione Turcarum, in agrum Ragusinum, milites ducentos ad corporis custodiam comparatos cum paucis sagittariis triremi expedita navigare ex templo Ragusium jussit, triremes Venetas numero duodecim, in quibus & Venetorum dux aderat, ubi appropinquare intellexit, deferri se jussit ad primum littus, classem inspecturus, eaque inspecta subgemuit, una edicta voce, nuper sibi navigandi occasionem defuisse, nunc occasioni se defuturum. In cubiculum relatus solvi statim profluvio coepit, medicis nihil periculi promittentibus, & hæc quoque principum miseria est, inquit, ne in morte quidem carere assentatoribus, postulavitque Eucharistiam, quam & triduo prius acceperat, & paulo ante ad Lauretanum. Acciri deinde patres jussit, quos hortatus est, ut in expeditione persisterent: triremes, & quæ in portu erant, & quas venire per fretum Siculum nunciabatur, tradi Venetis jussit: pecunias ad aureum nummum quadraginta millia ex decimis exacta Mathiæ regi Pannoniorum mitti in sumtus belli. Cum deficere vires sentiret, rejiciens se se in cardinalem Papiensem, fili, inquit, curam meorum ipse suscipito, & huic expeditioni adesto. Interrogatus ab illo, an sepeliri Romæ se vellet, non tenuit lacrimas, subdens: & quis id procurabit? illo recipiente, se curaturum, refici visus est, vocavitque patres ordine ad asculum, postulata prius a singulis venia, si minus recte rem christianam administrasset, lacrimantibus omnibus, & Bessarione ejus verba de re christiana sanctissime gesta excipiente, iterum amplexis omnibus inungi se jussit, ubi concurrens & ipse precibus inter hymnos exspiravit, voce ultima ægre edita, qua rogabat omnes, ut pro se precarentur.* Pontifex ab gestis rebus vere magnus, & Hungariæ causa per omnem vitam, etiam cum privatus degeret, omnium maxime solicitus, quem si mors foederatis

Pio pontifice, qui interea obiit, prorsus innocente.

(1) RAYNALD. Annal. eccles. ad an. 1464.

Annus Christi 1464. deratis non eripuisset, dubium non erat, quin bellum communi studio in barbaros decretum, felici exitu absolvendum fuerit.

Mathias fit in Bosniam adventus fama Mahometem fugat. Sub hæc Mathias acceleratis itineribus ad Savum profectus, transmisso flumine in barbaros promovebat. Mahometes jam ultra vicesimum diem Jaiczam actis vineis, omnique machinarum genere oppugnarat, corruptisque magnam partem operibus assultum moliebatur, cum adventantis regis fama territus, partim mersis, partim relictis machinis, impedimentisque foedam fugam, ne viso quidem hoste corripuit, ac nocte, dieque nullo dato militibus ad quietem spatio in Macedoniam evasit. Hostis metus ingentes nostris animos adjecerat, visumque omnibus, ut instaurato ab ruinis oppido, barbaros a fuga ad pugnam retraherent, utendum tempore, ac, quo correptus esset, metu: uno prælio, cujus exitus minime dubius videbatur, rem posse dirimi, Bosniamque, eliminato penitus hoste, ab jugo liberari. Sed Mahometes magis recesserat, quam ut cum aliquo operæ precio consequi eum nostri possent: ad hæc corrupta, quacunque præcesserat, annona difficilem nostris adeo commeatum reddidit, ut nisi, manifesto cum periculo, baud satis tutus in hosticum aditus esset. Ne tamen frustra miles otio tabesceret, in Rasciam promota castra sunt, & Zoinichium, quod barbari insederant, obsessum. *Ac vicissim, cum Zoinichium obsidet.* Parum faustam obsidionem futuram in principio patuit, quod Emericus Zapolya, cui primum ab rege in milites imperium erat, cum situm loci, & obsidionis vias speculatur, oculum sagitta transfixus labori inutilis redderetur. Malum hinc, ut fit, ab vulgo omen captum, quod brevi post tempore in militarem tumultum pene abiit. Cum enim fama increbresceret, Mahometem, majoribus quam antea instructum copiis, ad solvendam obsidionem appropinquare, neque rex ab coepto opere destiturus videretur, Emericus Zapolya, partim vulneris dolore, partim vociferatione militum persuasus, ipse regi, ut soluta obsidione reverteret, auctor erat. Id ubi a refractariis intellectum est, ac in dies barbari affuturi ferebantur, convulsis signis obedientiam se detrectaturos comminati sunt, nisi obsidio, quæ nullo fructu bactenus protracta esset, solveretur. Itaque rex, qui militari Zapolyæ ingenio multum alias tribuerat, periculum re ipsa subesse ratus, receptui cani jussit, & ad Savum castra transferri.

Metu barbarorum fugatur. Id tanta trepidatione factum perhibent, ut relictis magnam partem machinis, magis fuga, quam receptus videretur, soloque metu rex vicissim ab Zoinichii obsidione rejectus sit, ut nuper Mahometes regis fama consternatus Jaiczam deseruerat. Fugam regis Spondanus turpiorem fuga Mahometi fuisse contendit: quod quam ob rem homo minime militaris scripserit, causam non reperio: tametsi, si quis adolescentiam regis, cum Mahomete multarum palmarum duce, & hujus severam in suos indolem, cum militum, qui illius imperio obnoxii erant, seditione contendat, haud scio, tantine Spondanus videri possit, ut fides ejus dicacitati habeatur. Ceterum fama de barbarorum adventu, ut sibi Spondanus persuadet, in annis non fuit. Mahometem enim cognito suorum periculo, ut turpem nupernæ fugæ notam aboleret, magnis itineribus in nostros profectum, sed intellecto obsidionem solutam esse, rursum restitisse compertum est: credo alterum alterius fortunæ haud satis confisos, neutrum universis viribus prælio, cui plurium provinciarum salus intereretur, congredi voluisse. (1)

Exauctoratis seditionis primipilis rem militarem instaurat. Utcunque tamen id fuerit, Mathias magnum se operæ precium retulisse arbitratus, quod periculum a Bosnia repulerit, domum redux, exauctoratis seditionis primipilis, militarem disciplinam certis legibus circumscriptam per cohortes vulgari, novaque supplementa conscribi jussit, quibus perpetua, pacis quoque tempore, armorum esset exercitatio; & propositis præmiis belli ardor, cum gloriæ desiderio sensim instillaretur. Quo factum, ut brevi castigatissimum militem redderet; mutuoque studio alter alteri tractandorum armorum scientiam cum gloria præreptum iret: ex quibus legionem, quam a thoracibus nigram dixere,

(1) Bonfin. loco cit. & plerique scriptores domestici.

xere, conflarat, Macedonicæ persimilem, quæ deinceps ad omnes, quas Ma-
thias ex boste reportarat, victorias magno semper usui fuit.

Annus Christi 1464.

A belli curis, quibus eum Mahometes in Peloponnesum conversus ma-
gnopere explicuerat, civilem rempublicam complexus, hac quoque parte no-
vam Hungariæ faciem inducere molitus est. Ut enim erat patris cura, qui ad
eam operam præstantissimos viros aliunde accersiverat, non modo in politicæ
præceptis, sed litteris etiam egregie ab pueritia institutus, facile pervidit, quan-
tum suis, regnoque commodaturus esset, si armorum cupiditatem, quæ ipsa etiam
natura potius, & animi ferocia, quam usu, scientiaque ad id tempus contineba-
tur, litterarum consuetudine perpolirent. Itaque locum designare constituerat,
neque enim publicum (1) in eum finem, stabileqne Lycæum Hungaria ad id
tempus habuit, in quo optimatum liberi, ceterique, quos cupido litterarum ali-
quando incesseret, omni scientiarum genere excolerentur. Pulcherrimi facinoris
Dionysium inprimis Strigoniensem, quo illa ætas, Sylvio teste, juris consultum
meliorem non viderit, tum Joannem Vitézium episcopum Quinque-ecclesiensem,
virum latine, græceque eleganer ac solide doctum, tum in poetica ea cum lau-
de versatum (2) ut cum quovis veterum contendi possit, hortatores præcipue
babuit: qui cum usu comperissent, quibus impendiis Hungari litterarum causa ad
exteros adirent, sæpeque præcellentis ingenii ob fortunarum tenultatem rudes
domi hærere cogerentur, regem suapte ad eam destinationem pronum orabant,
ne bac in re suis consultum nollet, locoque designato veniam impetraret a pon-
tifice, ut quod unum ad regni felicitatem desideraretur, litterarum professionem
juris publici esse vellet, juberetque. Paulus, hujus nominis secundus, qui Pio
pontifici interea subrogatus erat, haud gravate Mathiæ postulatis subscripsit, lit-
terasque ad Dionysium & Joannem dederat, quibus quid præstitum, & quem in
modum ab illis ea in re vellet, in hæc verba significat. (3)

Eodemque studio, ut publica scientiarum Lycæa per Hungariam erigerentur.

Strigoniensis archiepiscopi, & Quinque-ecclesiensis Antistitis opera.

„ Paulus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus archiepiscopo
„ Strigoniensi, & episcopo Quinque-ecclesiensi salutem, & apostolicam benedi-
„ ctionem. Romanus pontifex coelestis regni claviger, & Christi vicarius, pro-
„ vide considerans, quod per litterarum studia profugatis ignorantiæ tenebris,
„ commoda tam privata, quam publica, spiritualia, & temporalia proveniunt
„ universo, divinus cultus, & fides catholica augentur, animarum saluti consu-
„ litur, insurgentes controversiæ deciduntur, pax, & tranquillitas terris, æquum
„ ab iniquo cernitur, non immerito illustrium personarum supplicationibus pul-
„ satus, illarum votis annuit, per quæ tanta bona cunctis provinciis fidelibus
„ succedunt, & litterarum studio vacare desiderantium, statui, & necessitati pro-
„ videtur. Sane exhibita nobis nuper pro parte charissimi in Christo filii no-
„ stri Mathiæ regis Hungariæ illustris petitio continebat, quod in regno Hun-
„ gariæ licet amplo, & fertili, non viget aliquomodo studium generale, pro-
„ pter quod nonnulli ipsius regni incolæ, qui ingenio pollent, & litterarum
„ studio apti existunt, eorum paupertate, ac itineris longitudine, viarum discri-
„ minibus, ac idiomatum difficultatibus causantibus, sæpe ad loca, in quibus
„ studia generalia vigent, se transferre omittunt, in non modicum universalis
„ ecclesiæ ejusdem regni, & christianæ religionis, quæ præsertim in partibus il-
„ lis, infidelibus contiguis, viris litteratis noscitur indigere, præjudicium, &
„ jacturam. Quare dictus rex nobis duxit humiliter supplicandum, ut in eodem
„ regno generale studium erigendi, & alias in præmissis providendi facultatem

A Paulo pontifice impetrat.

 „ conce-

(1) Sunt qui a Ludovico Quinque-ecclesiis, Budæ a Sigismundo id modi Academiam institutam velint: sed eæ aut non publicæ, aut non diuturnæ fuerint.

(2) Prostat ejus opus poeticum sub Jani Pannonii nomine, Sclavonem gente esse, tametsi in Sclavonia fors natum non refrager, ipsum Vitézii nomen, quod nobis militem indicat, satis, ut opinor, refellit.

(3) Communicavit id mecum *Illustr. Comes* JOAN. NEPOM. ESTERHÁZI de Galantha, qui in regio archiepiscopali convictu Tyrnaviæ, litteris humanioribus non elegantem minus, quam diligentem operam navat. Magnæ si, ut nunc est, deinceps esse pergat, spei, & expectationis.

Annus Chriſti 1464

„ concedere dignaremur. Nos igitur, qui noſtris temporibus ubique litterarum ſtudia florere ad ipſius fidei robur intenſis deſideriis affectamus, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ in aliqua ex civitatibus, ſive aliquo ex oppidis ejusdem regni, quam, ſeu quod ipſe rex ad id aptam, ſeu aptum duxerit eligendam, vel eligendum, ſtudium generale cum quibuscunque facultatibus, etiam cum cancellario, ac ſalarii deputatione, inibi pro tempore legentium, erigendi, & conſtituendi, nec non ſtatuta, conſuetudines, & ordinationes opportuna ad inſtar ſtudii Bononienſis faciendi, & ordinandi, dummodo eadem ſtatuta, poſtquam edita fuerint, prius nobis præſententur, & illorum confirmatio a nobis, & apoſtolica ſede impetretur, ac cancellario ejusdem ſtudii pro tempore, perſonas idoneas, & bene meritas ad ſingulos gradus, ad quos provehi meruerint, promovendi, gradusque ipſos, illorumque inſignia exhibendi, ac alia ad officium cancellarii ſpectantia ad inſtar cancellarii ſtudii Bononienſis hujusmodi agendi, aliaque omnia, & ſingula circa hæc néceſſaria faciendi, & exequendi, apoſtolica authoritate tenore præſentium licentiam concedimus pariter & facultatem; non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXIV. quarto calendas Junii, pontificatus noſtri anno primo. „

Concitis in eam rem clariſſimis ex Europa viris.

Budæne, cui præ ceteris exornandæ Mathiam ſtuduiſſe conſtat, an alio loco ſcientiarum collegium ſit conditum, omnino non habeo, quod pro explorato affirmem. Id certius: regem ab hinc, concitis undique viris doctrina præſtantibus, per univerſam Europam cum laude inclaruiſſe, qui inſtauratæ armorum gloriæ, quæ domeſticis partium ſtudiis vehementer defluxerat, primus omnium litterarum quoque decus adjunxerit. Quibus capitibus cum omnis reipublicæ felicitas contineatur, mirum nemini videri debet, Hungariam illius auſpicio, præ ceteris regnis ad ſummum ſplendoris faſtigium evectam eſſe, quod ut grave, & magnum per ſe ſe, ita varium, ac multiplex nobis deinceps ſcriptionis argumentum erit.

O. A. M. D. G.



INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

G.

H.

M.

 sponte

N.

mate

